Exeg. 1138 f

Verschuirius

JOANNIS HENRICI VERSCHUIRII,

dum viveret, Theol. Doct. L. L. O. O. et Antiq. Jud. Prof. Ordin. in Academia Franequerana.

OPUSCULA

IN QUIBUS DE VARIIS S. LITERARUM LOCIS, ET ARGUMENTIS EXINDE DESUMTIS, CRITICE ET LIBERE DISSERITUR.

EDIDIT ATQUE ANIMADVERSIONES ADIECIT

JOHANNES ANTHONIUS LOTZE,

Theol. Doct. eiusdemque disciplinae Prof. Ordin. et a Concionibus Sacris, in Academia, quae Franequerae est.

TRAJECTI ad RHENUM,

EX TYPOGRAPHIA WILD & ALTHEER.

MDCCCX.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

VIRO

AMPLISSIMO

GYSBERTO FONTEIN VERSCHUIRIO,

J. U. D. URBIS ALCMARIAE

CUM MAXIME CONSULI

&c. &c. &c.

HAECCE PATRIS OPTIMI OPUSCULA,

D.

EDITOR.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Vacuus a laboribus Academicis et publici Doctoris munere, quo in Friſiorum Academia, quae FRANEQUERAE eſt, XXXIII annos, non ſine aliquo fructu, functus fui, et me ipſe ob graves rationes abdicavi; ruri in amoena villa mea vitam degens, ab acerrime inter ſe contendentium ſtrepitu remotus; vivo, quantum ſcio, nemini moleſtus: id operam dans, ut reliquae vitae ſpatium communi utilitati, regni veritatis et virtutis commodis impendam, et me non prorſus indignum literarum cultorem praeſtem. Probe equidem ſcio et ſentio, quam tenues et exigui hi ſint conatus; ſed in magnis voluiſſe ſat eſt. Praeſtat aliquid agere, quam turpi otio indulgere, nobisque commiſſa talenta prorſus negligere. Quantum temporis alii commeſſationibus, aleae, ludis et nugis, tantum nos literarum ſtudiis tribuere ſolemus. Namque unum perfugium doctrina et literae, quibus ſemper uſi fuimus, quae olim delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam ſalutem. Equidem hos meos Tuſculanenſes dies inſtar eſſe vitae puto: libenterque omnibus omnes honores conceſſerim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, iſto modo vivere. Quidni enim ita cum CICERONE ſentire et loqui liceret? Quis non miretur ingenii corporisque vigorem M. CATONIS Majoris, a

Plutarcho *descriptum in ejus vita §. XXIV. Jam senex* καλλιστον ἐγγήραμα τὴν πολιτείαν ποιησάμενος, ἀναπαύσεσιν ἐχρῆτο καὶ παιδιαῖς ὁπότε σχολάζοι, τῷ συντάττεσθαι βιβλία καὶ τῷ γεωργεῖν. *Cum tantis viris me minime comparare velim, nisi quatenus mihi ruri degenti et non* μισάνθρωπῳ *literarum studia sunt in deliciis. Non tamen* Lacedaemoniorum *si inter eos vixissem, censuram publicam effugere potuissem, quippe qui deambulatione pomeridiana utentibus per literas mandarunt* μὴ περιπατεῖτε ne deambulate; *et literis non valde delectabantur. Ita affectus cum magni mei avunculi,* Hermanni Venemae, Commentarium *in* plerosque prophetas minores, *adhuc in scriniis latentem, nonnullis annotationibus instruxi et ad editionem paravi, tum ipse nonnulla opuscula composui, quorum nunc specimen exire sino. Quibus addidi nonnulla scripta Academica, antea quidem edita, sed extra moenia* Franequerae; saltem extra Rempublicam Batavam, *vix solo nomine nota. Ubique pro more nostro, praesertim in Oratione de* oraculis Hebraeis, *et Dissertatione* de argumento et veritate libelli Jonae, *libere sententiam diximus, memores* Luciani *effati* μονῃ θυτέον τῇ ἀληθείᾳ. *In Republica literaria nulla valet auctoritas, cujuslibet sententiae rationes examinandae et ponderandae sunt.*

Qua-

Quare etiam magnis viris obloqui ausi sumus; dissentire utique licet, hanc veniam damus petimusque vicissim. Sed propter dissensum doctos viros injuria afficere; iis talia affingere, de quibus nunquam cogitarunt, saltem quae nunquam dixerunt aut scripserunt; eorumque detrahere meritis, malignum est, atque ita excitare bella atrocia, tantum tamen calamis, sine sanguinis profusione gerenda, ridiculum. Δεῖ τὸν ἐν μούσαις βίον εἰρηνικόν τε ἅμα καὶ πρᾷον εἶναι. *Veritatem historiae* JONAE *defendentes, ejus oppugnatores, eam in ridiculam fabellam convertentes, rei momento postulante, digne quidem excepimus; eorum jocos, ludibria, et deliria graviter increpuimus, nominibus tamen pepercimus, nec cum illis interpretibus eruditis confudimus, qui existimant libellum hunc fabulam exhibere moralem, instar parabolae Euangelicae. Primum nostrum consilium erat Dissertationem hanc cl.* VENEMAE *commentario in plerosque prophetas minores inserere, sed eius editionem differre coactus, his meis opusculis addidi. Caeterum rectae voluntatis conscientia maxima semper fuit consolatio, in vita publica in Ecclesia atque Academia acta. Quae eadem manet privato, et manebit per Dei gratiam ad vitae finem, quanquam meorum probe conscius sum defectuum, de quibus hic dicere nihil attinet. Molimina ad-*

versariorum, mihi molestiam exhibere conantium, quales nonnunquam immerito expertus sum, generoso semper animo sprevi. Nihil mihi jucundius, quam pacem colere, et de omnibus, quantum pote, bene mereri, injurias oblivisci et condonare. Forte nonnulli ex nostri saeculi illuminatis novum veritatis historiae, in JONAE *libello relatae, patronum albis dentibus deridebunt. Hi suo fruantur genio, nos quamvis verae libertatis ac illuminationis amantissimi; imo in S. Codicis interpretatione, et in omnibus aliis scientiis, ita liberi, ut nullam reformidemus, veritatem, nullius cedamus auctoritati, solam S. Scriptorum mentem, sine ullis praejudicatis opinionibus, superstitione, aut sectae alicujus amore studioque investigare conemur, tamen aliter judicare non potuimus. Spreto sensu grammatico et proprio, ullis scriptoribus, multo minus sacris, per interpretationem allegoricam talia tribuere, de quibus nunquam cogitarunt, non didicimus. Potius auctorem absurda ac bonae menti contraria tradentem rejicimus, quam aliena ipsi affingendo cum sana ratione reconciliare conamur. Nos nostro animi lumine usi, rectiora et veriora docentibus, idoneisque rationibus probantibus, cedere, palmamque dare parati sumus.*

J. H. VERSCHUIR.

Dabam in villa nostra
Bernia state.

LE-

LECTURIS

S. P. D.

JOHANNES ANTHONIUS LOTZE.

Non ego is ſum, qui aut iudicio meo tantum tribuam, aut, ſi qua auctoritas a loco, quem occupo, proficiſcatur, ea uti velim ad commendandum opus, quod mea cura in publicum prodit; cum enim ipſe iudicandi libertate utar, alienus ſum a vanitate illa, qua ceterorum iudicia meo flecti poſſe putem, aut aliorum aegre feram diſſenſum. Hactenus nullus me ineptior aut imparatior eſſe poterat ad officium hoc praefandi; et nunquam perſuaderi mihi pasſurus fuisſem, ſi hoc opus qualicunque mea praefatione commendandum fuisſet. Aliae vero ſunt cauſae eaeque ho-

nestae, quae me impulerunt, ut huic officio ſatisfacerem, benevolaeque amicorum ac fautorum existimationi responderem.

Scilicet, meum esſe ſemper putavi, ut, ſi quid ad literas iuvandas et promovendas adferri a me posſet, illud conferre ne refugerem; operam igitur denegare edendo operi, multis utili futuro, ſi officio meo pro eius dignitate, ac religione mea fungi velim, haud erat licitum. Tum, rem gratam et acceptam me ſuscepturum esſe putabam, ſi praeſtantis ingenii egregiaeque doctrinae viri lucubrationes, ab ipſo praelo destinatas, in publicam perferrem notitiam; quae, in ſcriniis ſemper latitasſent, niſi manus operi aliquando admoveretur. Eam denique doctrinae famam conſecutus erat VERSCHUIRIUS, ut non nihil honoris ad me quoque hocce opere vulgando redundaturum intellexerim. Haec reputans, ac ſubinde ab amicis et fautoribus admonitus, haud paucos esſe, qui uti cuperent, quae VERSCHUIRIUS ad literas ſacras interpretandas ſcripſisſet; operis hujus, quod, ſuadente viro reverendo HOUWINKIO, perhumaniter ad me miſerat Filius tanto patre dignisſimus, edendi curam in me ſuscepi. Atque haec quidem cauſa est, cum lectoribus

bus communicanda, quod editoris fungar officio.

Ut vero demandatae provinciae, uti par est, satisfaciam, visum est VERSCHUIRII vitam, mores, doctrinam, et studia narrare; quod ut perquam gratum fore multis accepi, ita et mihi perquam iucundum accidit, vel propterea, quod et sic bene mereri de hac nostra *Academia* possim, quae quidem prae ceteris nostrae patriae Academiis, fama doctissimorum virorum fuit celebrata; sed eadem saepe quassata, nuperrime vero ab interitu, quem ipsi temporum iniuria minabatur, vindicata, et mox ad maiorem, id est pristinam, gloriam reducenda, modo *Frisii* ipsi, patrii soli bona non contemnant, quod eorum haud paucos et fecisse et adhucdum facere, res est maxime dolenda; atque illi inprimis, quorum ratio id postulat, caveant, ne libidine ac pruritu nova sed eadem noxia moliendi, detrimenti quid capiat schola *Franequerana.*

JOHANNES HENRICUS VERSCHUIRIUS, patriam habuit Frisiam Orientalem; natus quippe a. d. XXI Februarii an. MDCCXXXV, *Neudorpi*, istius regionis pagi, patre *Henrico*, interpretis christiani munere illic primum fungente, dein vero ab an. MDCCXXXVIII, *Sleeni*, qui

qui tractus *Drentheni* est vicus; matre autem MARGARETHA FORSTENA, lectisſima foemina, ex haud ignobili domo orta. Avum paternum habuit JOHANNEM, oraculorum divinorum interpretem apud coetum, qui colligitur in pago *Groningano*, vulgo *Zeeryp*, cuius viri varia etiamnum ingenii peritiaeque ſuperſunt documenta. Narratur BERNOUILLIUS cuius ſub auſpiciis JOHANNES ille operam navavit ſtudiis mathematicis, ſucceſſu haud contemnendo, aliquando cum diſcipulo ſuo communicaſſe, difficillimum quoddam problema mathematicum, ipſi *Pariſiis* ut enodaret miſſum. VERSCHUIRIUS ut hoc accepit, elaborandum ſibi ſumſit, et pro ea qua pollebat ingenii ſagacitate atque eruditione illud ita enodavit, ut BERNOUILLIUS non dubitaret, diſcipuli quondam ſui explicationem *Pariſios* mittere. Cum Pariſienſes animadvertisſent VERSCHUIRII ingenium ſagacisſimum, ad diſciplinas mathematicas factum, et a natura quaſi formatum, invitarunt honestisſimis conditionibus eum ad conſcendendam *Pariſiis* cathedram philoſophicam, et, ut nulla ipſi esſet recuſandi cauſa, promittentes, liberam ipſi eiusque domo futuram doctrinae reformatae profesſionem; inſigne profecto

tunc

tunc temporis liberalitatis documentum! Haec etsi apta quidem erat in latissimum excurrendi campum opportunitas, impetrare tamen a se non potuit ut oblatum honorem acciperet; gravabatur namque patriae solum cum peregrino commutare. Huius igitur viri filius erat dictus ille HENRICUS, cui uxor duos peperit filios, alterum JOHANNEM HENRICUM, alterum WOLTERUM FORSTENUM: hic *Groningae* Professionem Medicinae summa cum laude habuit, ille vero is est, cuius vitam, mores, et studia delineare institui.

VERSCHUIRIUS igitur noster annorum quinque puer matre orbatus est. Compensabatur autem haec iactura affectu et cura avorum maternorum, qui in pago *Groningano*, vulgo *Wildervank*, degebant. Hi ergo in domum receptum ac enutritum tanto lubentius puerum institutione ad humanitatem informandum curarunt, quanto melius in dies id beneficium collatum videbant. Ut enim primum se exserere coeperat eius ingenium, dotes in pusione eae apparuerunt, quibus continuo bene de eo sperare possent. Non igitur haesitabant, studiis puerulum dicare, eumque anno aetatis decimo tradebant in disciplinam Gymnasii *Groningani*, cui tunc praeerant do-

cto-

ctores eximii, qui, cum viderant puerum literarum flagrare amore, ingenium ejus per ſex deinceps annos ita aluerunt et acuerunt, ut haud mediocrem Latinae Graecaeque orationis facultatem ſibi comparaverit iuvenis

Decurſo gymnaſii ſtadio, ea iam erat Verschuirius aetate ac ſcientia, ut graviores diſciplinas in Academia posſet percipere. Igitur ſuadente Hermanno Venema, Verschuirii avunculo, qui ipſi ſtudiorum exſtitit moderator talis, qualem a tanto viro expectare posſes, an MDCCLI receptus fuit in numerum civium *Academiae Groninganae*. Hic, dum vivebat, omnes eximii diſcipuli partes ita explevit, ut haud alienum videatur enarrare, quae ipſi fuerit ſtudiorum ratio: ut hoc nostro tempore, quo, quod dolendum, haud paucos vidimus ignaviae deditos, erectioris ingenii iuvenes intelligant, qua via ipſis incedendum ſit, ut ad doctrinae laudem perveniant.

Sed hic locus me monet, ut humanitatem praedicem Henrici Sypkensii, *diſciplinae Schroederianae*, in Academia, quae *Groningae* est, vindicis egregii, cui proſperam valetudinem, vitamque felicem, ad promovendam antiquam *Batavorum* in literis Orientalibus

bus gloriam, adprecor, is igitur SYPKENSIUS, VERSCHUIRII a pueris familiaris, me rogante, pro ea qua est humanitate et animo in amicum beatum, huius, quum *Groningae* operam literis daret, etsi vitam delineare recusavit, mihi tamen copiam fecit adumbrandae imaginis, in quam intueantur, quotquot literis sacris operam navant.—

VERSCHUIRIUM literarum amore doctrinae studia esse aggressum, vel hoc maximum est argumentum, quod in ea, quam sibi colendam sumserat scientia, non vias sequebatnr eas, quas brevitatis et facilitatis commendat opinio, sed *regiam*, quae longo quidem limite et tarde, sed certe ad veram et utilem doctrinae scientiam ducit. Itaque praeceptoribus ac monitoribus suis obsequens, neque recte neque feliciter se percipere posse eam Theologo necessariam rerum notitiam putans, nisi ab literis elegantioribus, et iis, quae cum his aliquam habent connexionem, inciperet, totus his se dedit.

Atque utinam tenerent hoc animis quotquot disciplinae saciae operam navant, ne modicam quidem et mediocrem doctrinam, facultatemque ad sacra peragenda consequi aliquem posse, nisi intentiore aliquo studio in eleganti-

tioribus literis addiſcendis diu multumque verſatus ſit. „ Vere enim HEYNIUS, vir „ ſummus, non ignoramus, inquit ſaeculi nos„ tri eum morbum esſe, qui omnem fere „ iuventutem tanquam pestilenti ſidere affla„ tam corripuit, ut inutiles esſe putent lite„ ras, ſeſeque bene iis carere posſe, quae „ non ea diſciplina contineantur, cui nomen „ ſuum profesſi ſunt; neque in hac ipſa di„ ſciplina ſibi curandum eſſe quicquam, niſi „ illud, ex quo rerum actus pendeat, in quo „ illi aliquando ſe verſaturos esſe aut ſperent „ aut opinentur; ſaltem providendum esſe ut „ earum rerum notitiam aliquam conſequan„ tur, de qua forte in examine aliquando ſu„ beundo quaeri posſit; quod ſi forte inci„ derit aliquid aliquando praeter illa ſollen„ nia et vulgaria, de quibus in lectionibus „ moniti ſint, posſe ea ex libris peti aut „ aliunde arcesſi. Quibus perſuaſionibus „ nihil esſe potest perniciosſius." Sed totus locus qui extat in V. Cl. *Opuſcul Academ. vol.* 5 pag 268 et 269, legendus et relegendus est. Quanto melius veteris nostri ordinis homines literis conſulebant, hi egregii in omni antiquorum ſtudio erant verſati, ERASMI, MELANCHTONIS, CALVINI,

CA-

CAMERARII, HYPERII, COCCEII, VITRINGORUM, aliorum, ingenii monumenta id palam testantur. Neque tamen usque adeo ſum laudator illorum temporum, ut quod vivemus ſaeculum damnaturus in univerſum, continuo vociferer cum JUVENALE (XIII, 28): „ Nunc (ſic legendum puto) aetas agitur peioraque ſaecula ferri Temporibus!" Cum TACITO potius aſſeverandum videtur: „ Non adeo virtutum ſterile ſaeculum, ut non et bona exempla prodiderit." Sunt namque pauci quidam ſaeculi contagione et labe immunes, cum in ceteris Batavorum ſcholis, tum in ſchola *Franequerana*, quae non edito rumore, placide ſolidam eruditonem, e puris fontibus hauſtam propagat, et tuetur. Sed eo, unde digreſſi ſumus, redeamus.

Literas Graecas et Latinas avide didicit VERSCHUIRIUS, magistro uſus LENNEPIO, egregio VALCKENARII discipulo. Hoc praeceptore veram illam ſibi comparavit veterum ſcriptorum interpretandorum rationem, qua, quod edita eius opera luculenter docent inter nostrates excelluit. Nec mirum profecto! ita enim induxerat animum ut crederet, in nullo genere doctrinae, omnium minime

 au-

autem in Theologia aliquid eximium aut perfectum existere posse nisi artium et doctrinarum bonarum omnium fundamentis inniteretur. Igitur, non satis habebat singulis diebus horulam LENNEPIO audiendo consumere, sed quotidie ab eo discebat, et quod arripuerat, domi diligenter retractabat; unde hunc retulit fructum, ut Graecorum Latinorumque scriptorum monumenta accurate magnoque cum iudicio tractaret: in his praesertim historiae auctoribus, HERODOTO, XENOPHONTE, THUCYDIDE POLYBIO, LIVIO, SALLUSTIO, TACITO, aliisque mirifice delectaretur, iisque legendis per totam deniceps vitam libenter horas subsecivas impenderet. Porro ex aliorum scriptis, uti HOMERI, PINDARI, PLATONIS, item CICERONIS, HORATII, VIRGILII, et SENECAE, assidue versandis, sincerum hausit verae pulcritudinis sensum, sibique paravit cum facultatem criticam, tum grammaticam interpretandi rationem. Et hoc quod in elegantioribus literis addiscendis posuerit studium, ipsi conciliavit amorem LENNEPII, qui quum dein discipulum, in hac Academia habebat Collegam, de eo ut amico suo optimo loquebatur, eiusque consuetudine delectabatur.

Ne-

Neque vero ſatis habebat VERSCHUIRIUS, his literis operam navare, ſed quidquid cum his aliquam habebat coniunctionem avidiſſime didicit. Audivit in omnibus Philoſophiae partibus ENGELHARDUM, in Hiſtoria cum univerſali tum Patriae OFFERHAUSIUM. Etſi autem in illis hospes non erat, ſuo tamen ingenio ferebatur ad historiae delicias; hanc ſcire maxime avebat, hanc tanto duce coluit, nec colere unquam deſiit, quia turpe ducebat eam negligere diſciplinam, cuius, tanta est vis et efficacia ad mores formandos, ad humanitatis ſenſum acuendum, omnemque vitam prudenter inſtituendam. Praeterea probe intelligebat ab historia veteri, uti aliis artibus, ſic quoque Theologiae, inprimis vero literarum ſacrarum interpretationi lumen accendi. Quid? quod accurata illius ſcientia omnino est necesſaria ad tuendam et propagandam diſciplinarum ſacrarum integritatem, ſplendoremque nativum. Itaque hinc factum est, ut a prima inde iuventute cum voluptate legeret veteres ſcriptores historicos, quibus adiungere recentiores quidem ſolebat, illis tamen palmam haud dubitanter adiudicans. Nec immerito; „ est enim ſequor ERNESTIUM illa ab „ ingeniis maximis, et plurimarum rerum uſu

„ praeditis conſcripta, quibus formam historiae „ tradendae, et ad vitae uſum accommodate „ docendae, recentiores acceptam referunt."

Quum ſtudium linguarum Orientalium VERSCHUIRIUS necesſarium quidem duceret, nec tamen ei esſet animus huic ſe dicare; factum est inſtitutione SCHROEDERI, excellentis illarum literarum doctoris, ut literas, ad quas addiscendas ſe contulerat, hac tantum ductus ratione, quod earum ſcientia carere non posſet, mox adamare coeperit, eaeque vicisſim eum demulcerent, ac tandem nativa ſua gratia caperent, captumque ſic tenerent, ut abhinc videretur iis tantum inſervire. Quid mirum igitur ſi SCHROEDERO ſimilis fieri ſtudebat? Huius ſcholis asſiduam operam navavit, huius diſciplinam animo hauſit, huius ab ore pependit, huius conſuetudinem conſectatus est, huius propenſam in ſe voluntatem ut tunc expertus est, ita inposterum praedicavit. Hoc ſtudiorum in his literis rectore et comite asſidue tractavit cum libros ſacros tum ceterarum dialectorum Orientalium monumenta, et tanta quidem cum cura, ut ea brevi tempore prompte expediteque interpretari potuerit. Pervenerat autem ad hanc facultatem recta, quam in ceteris ſequebatur di-

difciplinis, progrediundo ratione. Non multa fed multum legebat; legens autem investigabat cuiusque loci fententiam propriam, quam, ut e legibus grammaticis conftitueret, attendit ad illius compofitionem et ftructuram, ad huius vero nexum, et totius orationis argumentum. Si quando incideret in locum obfcurum et expeditu difficilem, non aliorum ftatim confulebat commentaria, fed experiebatur quid propriis viribus valeret, attendendo ad fcriptoris argumentum, ad eius cogitandi dicendique formam, comparandoque alia, his similia. Cuius quidem ftudii is erat fuccesfus, ut faepius loca expediret, in quibus alii haeferant; fin vero aliquoties haereret, alios adiit, quorum interpretationes attente perlustrabat, fingularum ponderabat argumenta, id cavens ne unquam doctoris alicuius auctoritate fe abripi pateretur, hunc tantum fequens, qui probabiliter locum expofuerat; et fi tum haerere pergeret, librum in aliud tempus reponebat, vel, quod facere nunquam omifit, Schroederum confulebat. Erat id quidem opus difficillimum, laboris et fudoris plenum, fed idem multum ei profuit cum ad iudicium acuendum, tum ad doctrinae copiam augendam, denique ad fa-

cultatem criticam comparandam, quam ſemper libere ſed modeste, nec invita Minerva exercuit. Cuius rei luculentum est argumentum disſertatio Philologica docte ſcripta, ac publice, SCHROEDERO praeſide an MDCCLVII a. d. XV *Junii* magna cum laude defenſa; posteriore autem VERSCHUIRII cura edita et inſerta in *Syll. disſertat. praeſid. Schultenſiorum et Schroederi diſſenſarum, vol. 2. pag.* 861 Exhibet autem ea *Obſervationes Miscellaneas iu ſelecta S. S. loca*, natas e notandi conſuetudine, quam nunquam non diligenter tenuit. Mirabantur omnes VERSCHUIRII ingenium ſolers, exquiſitam ſcientiam, et facultatem cum prompte ac dialectice tum diſerte Latine loquendi; quod quidem testimonium ipſi iam dederant viri eruditi, quum anno MDCCLVI. disputationem a SCHROEDERO conſcriptam, exhibentem *Obſervationes ſelectas ad origines Hebraeas*, publice defenderat.

Hisce inſtructus praeſidiis acceſſit ad ipſam Theologiam, ita tamen ut adamatum ſibi linguarum et hiſtoriae ſtudium incumbere pergeret. In Theologiae partibus audivit BERTELINGIUM, HOLLEBEKIUM, CHEVALLIERUM. Partium ſtudii hostis infenſiſimus, nulli ſe dicavit, ſed omnium inſti-

tu-

utionem in usus suos convertere, unice studebat. Placebat ipsi BERTELINGII simplex docendi ratio; doctis CHEVALLIERI scholis assidue intererat, ab HOLLEBEEKIO vero nunquam discedit; illius elegantiam, huius suavitatem multum amabat, utrorumque autem liberalitatem magni faciebat. Haec cum ageret assidue et strenue, expertus est quam haberet vim linguarum studium ad Theologiam, non e frivolo saeculi ingenio, sed liberaliter addiscendam, ad scopulos in quos multi impingunt, feliciter evitandos, ad avocandum a commentis humanis in eam invectis, et quod maximum erat, ad animum doctrinae Christianae puritate imbuendum, deque eius veritate persuadendum.

Sic VERSCHUIRIUS per sex fere annos Scholae *Groninganae* fuit civis eximius, quum abitum pararet, ut *Franequerae* avunculi sui HERMANNI VENEMAE uteretur institutione. Priusquam vero *Groningae* valedicebat, utile ei visum fuit in Candidatorum numerum recipi; igitur examine ecclesiastico instituto, quo egregie placuit, illorum numero adscriptus est. Quo facto continuo *Franequaram* petiit, avunculum adiit, qui nepotem comiter excepit, eiusque doctrina delectatus, ad maiorem huius perfectionem et auctor et dux ipsi exstitit.

Ex dictis igitur ſatis intelligitur, VERSCHUIRIUM ita literarum ſtudia inſtituisſe, ut bonum in iis discendis ordinem ſervaret, et a facilioribus rebus ad difficiliores ſemper procederet; verbo ut viam tereret unam hancque terendo metam feliciter attingeret. Quod ſi et alii ſalutarem illam, qualis patrum memoria adhuc obtinebat, ſcholarum ſeveritatem ſequerentur, maiores ſtudiorum reportaturos esſe fructus, haud dubitanter adfirmare posſe mihi videor, ſed indomitus iste novandi pruritus, et nimium tempori ſive inſerviendi ſive cedendi et inclarescendi quoque ſtudium, in quod iuvenes, ſuperbientes non raro novellae ſapientiae lumine, adductos reperimus, effecerunt, ut modo hanc modo aliam inſiſtant viam, prout eorum fert libido; atque ita pergentes variam adeo et miscellam, ac quaſi confuſaneam, ut ait GELLIUS, doctrinam conquirunt. Recte igitur SENECA, epiſt. 45, ſcribit: „ qui, quo „ destinavit, pervenire vult, unam ſequatur „ viam; non per multas vagetur. Non ire „ istud, ſed errare est." Quod vitium ut diligenter caveatur, proxima medicina est recta ſtudiorum ratio. Hanc igitur, quia proclivia ſunt tempora, quae vivimus, ad

ſtu-

ſtudia disciplinarum perfunctorie et leviter et tanquam aliud agendo, proſequenda, non aliter (ſunt HEYNII, v. cl. verba) ac ſi de luſu aliquo aut ludicro ſcenico ad fallendum otium agatur, — hanc inquam methodum, qua VERSCHURIUS egregie uſus est paucis exponere, haud inutile iudico. ——

Praeſcripſerat ſcilicet ſibi VERSCHUIRIUS, tanquam agendi normas, certas quasdam regulas, quas legum inſtar, SYPKENSIO teste, obſervabat, quarum prima fuit: *lege non multum ſed bene.* Eligebat idcirco eiusmodi libros, qui in ſuo quisque genere esſent optimi, et ſingulos accurate excerpebat. *Hemſterhuſiorum*, *Valckenariorum*, *Ruhnkeniorum*, *Piersoniorum*, *Lennepiorum*, *D'orvilliorum*, *Schultenſiorum*, *Schroederorum*, *Michaelium*, aliorumque opera critica et philologica, quatenus iam tum prodierant, non percurrerat, ſed, ut ita dicam, perrepſerat. E theologicis atque exegeticis ſcriptoribus plurimum ei placebant, praeter veteres, qui reſtituendorum ſacrorum floruerunt tempore, et qui his ſunt aetate proximi, recentiores hi *Turretinus*, *Werenfelſius*, *Vitringae*, *Venema*, et *Saumurienſes.* Altera vero regula, quam ſancte obſervabat VERSCHUIRIUS, fuit huiusmodi:

ipſe cogita; hanc autem cogitandi artem calluit egregie. In tractandis namque rebus non prius acquiescere ſolebat, quam indolem earum, nexum, et diverſitatem ab omni parte penitus perſpexisſet; unde nata est, ſolida illa rerum ſcientia, qua maxime floruit, et nomen inter primarios Batavorum doctores adeptus est. — Porro, dicere ſolebat VERSCHUIRIUS: *experire omnia, ſed vera retine.* Singulas quasque res ſevere et accurate perſcrutabatur, et ſecundum dialectices atque hermeneutices praecepta, quae bene habuit percepta, inquirebat; quare ſaepius accidebat, ut plurima rerum argumenta, quibus alioquin uti potuisſet, et multi utantur, idcirco, quod ea non *numerare* ſed *ponderare* ſolebat, ab eo negligerentur. At vero eo firmius amplectebatur, quae tentata a ſe fuerant et probata; neque aliquid aut probabat aut repudiabat, propterea quod vetus erat aut recens, ſed quod falſum aut verum esſe reperiebatur. — Hoc denique perpetuo coluit praeceptum: *ſuo quaeque tempore esſe agenda.* Singulas cuiusque diei horas ita diſtribuit, ut cuique ſtudiorum generi ſtatuto tempore operam daret; interdum, ſed raro tamen, et ſi ita viſum fuerat, ab hac ratione discedens, idque agens, quod animi libido ferebat. In-

Inſtitutam habuit vivendi rationem, ut facile intelligitur, bene ordinatam, at nulla fere in ea fuit variatio: e muſeo enim ad Profesſorum ſcholas atque inde in muſeum ibat, redibat, et quod merito in egregio hoc viro reprehendas, tanto fuit incenſus ſtudiorum ardore, ut ad concubiam ſaepe noctem tempus lucubrando duceret, ac ſanitati corporis detrimentum adferre videretur. Unam vero horam postmeridianam ambulando dabat, quo defesſum corpus recrearet et novas reciperet vires. — Die vero dominica, quam vocant, quaevis ſtudia remittebat, et unice in colendo Deo erat occupatus; ſedulo horis antemeridianis templo aderat, et vesperi aut HOLLEBEEKIUM aut CHEVALLIERIUM audibat, qui eo tempore Theologiae Profesſores, ſua quisque vice, in templo Academico concionare ſolebant. Neque hoc ſoli conſuetudini obtemperans fecit VERSCHUIRIUS; ſed quia homini christiano maxime necesſarium duxit, coetibus publicis, ubi Deus publice veneratur, interesſe quam frequentisſime, ac cantu precibusque ſummas eius laudes praedicare. Sic virtuti ſtudebat, ſic virtutem, quam ſciebat, ſummum hominis esſe ornamentum, quantivis aeſtimandum, et alebat et corroborabat.

Non

Non est itaque quod miremur, hunc, cum adeo temporis parcus esſet, non niſi paucisſimorum familiaritate uſum fuisſe. Interdum quidem, uti deceret, praeceptores viſebat, qui eum et magni fecerunt, et ſummopere dilexerunt, quare ſemper ei patuit ad illos aditus, molestus vero eorum nemini fuit. Ex commilitonibus quibuscum familiarius vixit, alii iam mortui ſunt, alii etiamnum vivunt et florent. Fuere inter eos H. KNOCKIUS, Theologus doctisſimus, qui postea ſacerdotio functus est *Lulae*, ejus tractus, qui *Gorecht* vocatur, pagi; et D. MESTINGHIUS, vir Literarum Orientalium amantisſimus et peritisſimus, qui disſertationem edidit philologicam: *de authentia quorundam cethibim*, quam anno MDCCLVII, SCHROEDERO praeſide defendit; at hic postea intermisſis Orientalium Literarum ſtudiis, Jurisprudentiae operam dare coepit. Praeterea VERSCHUIRII amicus fuit N. RUMMERINKIUS, verbi divini minister *Dordracenus*. At ego, [ſic pergit SYPKENSIUS in literis ad me datis, quas Latine cum lectoribus cummunico: „ at „ ego omnium, inquit, VERSCHUIRII fami„ liarisſimus fui, et ille amicus mihi fuit in„ tegerrimus, fidisſimus et certisſimus, cu-

„ ius

„ ius quidem amicitiae cauſa in eo praeci-
„ pue poſita fuit, quod et nos invicem mag-
„ ni faceremus, et eodem ſtudiorum amore
„ incenſi esſemus. Hic autem cum me et
„ natu esſet maior, et prius ſtudioſorum nu-
„ mero adſcriptus, exemplo, conſilio, eru-
„ ditione, atque adhortatione plurimum adiu-
„ vit, et maximam mihi adtulit utilitatem.
„ Totos ſaepisſime dies iucunde et utiliter
„ confabulando contrivimus, et ſi alter novi
„ aliquid aut cognovisſet, aut obſervasſet,
„ continuo cum altero communicabat; atque
„ haec nostra amicitia eiusmodi fuit, ut ne-
„ que disſenſu neque contentione unquam
„ fuerit disſoluta, et quamvis relicta deinde
„ Academia, longa locorum diſtantia disiun-
„ cti fuerimus, atque adeo minus commodo
„ amicitiam nostriam exercere potuerimus,
„ nunquam tamen eam penitus intermiſimus,
„ ſed mutuis epistolis conſcribendis perpetuo
„ coluimus." — Haec ille!

Commoratio Franequerae, admodum ille utilis Verschuirio, non ultra biennium tracta fuit. Interea quidem opportunitas fuit impetrandi ſacerdotii christiani munus, ſed maluit hoc per aliquod tempus differre, ac ſuo indulgere ingenio; cum tamen ulterius id facere haud licuit, *Bolswardiam* pul-

pulcram Friſiae urbem, anno MDCCLIX ad fungendum munere eccleſiaſtico vocatus eſt. Hanc provinciam, utpote honorificam eo lubentius auſpicatus eſt, quo magis ei copiam faciebat viſendi VENEMAM, ac perpetuo conſulendi. In hac autem ſtatione nihil de ſtudiis remittebat ſed quod ei reliquum erat tempus a munere bene obeundo literarum ſtudiis dicebat. Quorum inter cetera argumentum quoque eſt, diſſertatio de loco illo *Hagg.* 2: 6—9, conſcripta, ut Theologiae Doctoris honores in hac Academia obtineret, quique in eum collati fuerunt a. d. xxv *Junii* an. MDCCLX. Tum continue multi VERSCHUIRIO Cathedram deſtinabant, eumque VENEMAE ſucceſſorem aliquando futurum conjiciebant. Ipſe vero ſorte ſua contentus, coetus *Bolswardienſis* commodis dextre et concionando et puerili ætate, quin et adultis doctrinâ christianâ imbuendis inſerviebat. Nec tamen, qui VERSCHUIRIO bene cupiebant, vani fuerunt augures; etenim anno MDCCLXIV vocatus eſt ad literas Orientales et antiquitates Judaicas in hac Academia profitendas, quarum cathedra vacua erat facta, quod MANGERUS, vir vere doctiſſimus, et de ſchola *Franequerana* egre-

gie

gie meritus, mutaverat hanc provinciam cum illa docendæ Theologiæ, quam prolixa in eum voluntas MARIAE LUDOVICAE, Principis multis virtutibus illustris, et cuius magna erat in rebus publicis auctoritas, ei detulit. Fuerunt, qui Theologiæ doctoris munus VERSCHUIRIO commissum vellent; idque maxime agebat quoque VENEMA: vicit tamen Principis MARIAE voluntas; et vere videor affirmare posse VERSCHUIRIUM impetrasse provinciam eam, quae uti maxime ipsius responderet ingenio, ita et ei materiam praeberet, ut eam nominis celebritatem, qua semper floruit, assequeretur.

Suscepit quidem VERSCHUIRIUS demandatam professionem eo quo vocatus erat anno, sed solemni ritu eam auspicatus est a. d. XVIII Martii an. MDCCLXVII, habita oratione: *de interpretatione S. S. veteris Testamenti grammatica, hoc nostro saeculo ad magnum perfectionis gradum perducta, porroque ad maiorem perducenda.* In hac oratione id potissimum egit, ut grammaticae interpretationis et indolem veram, et causas, et vim ad libros sacros intelligendos libere et candide explicaret, atque horum tractandorum eam exhiberet rationem, cuius ipse per omnem deinceps

ceps vitam diſcipulis perfectum fuit exemplar, orbique erudito plurima, eaque egregia exhibuit ſpecimina; ut adeo mirum non ſit, exteros quoque magni eum feciſſe, et opera eius adprobasſe. ERNESTIUS, at quantus vir! laudat excultam VERSCHUIRII eruditionem, et peritiam in literis ſacris interpretandis; comparetur eius *Bibliothec. Theol.* vol. 5. pag. 407. ſeqq. pag. 413, et *Nov. Bibl. Theol. vol.* 3, pag. 353. ſeqq. MICHAELIS, *Bibliothec. orient. et exeg.* vol. 6. pag. 32. ſeqq., perquam honorificum de liberali eius doctrina tulit iudicium, eique primum adiudicat locum inter eos patriae nostrae doctores, qui literarum ſacrarum ſtudiis feliciter colendis et illuſtrandis, dederunt operam. Praetermitto testimonia, quibus idonei inter nos alienorum meritorum exiſtimatores VERSCHUIRIUM ornarunt, nemini, niſi qui in literis hospes est, incognita; id addo, KENNICOTTUM, quod mihi apparuit, literarum commercium cum VERSCHUIRIO frequenter habuiſſe, huncque magni feciſſe.

Non est, qui dubitet publici doctoris provinciam ſustinuiſſe VERSCHUIRIUM ita, ut Academiae gloriam nomine ſuo illuſtraret; cuius rei documento ſunt cum *Diſſertationes*

Phi-

Philologico - exegeticae ipſius cura anno MDCCLXXIII in vulgus editae, tum quae hoc opuſculo, quod mea prodit cura, comprehenduntur, habent namque et eruditionis et novitatis commendationem. Haud me fugit, *novitatis* ſtudium multos offendere, neque is ſum, qui eius patrocinium in me ſuſcipere cupiam, ſi ſcilicet eo nomine inſigniatur, quidquid temere, ſine cauſa, et veterum faſtidio dicitur, et ingenii debetur libidini; ſed idem ego audacter dico, quidquid boni habet genus humanum, ſive in ſtudiis, ſive in artibus, ſive in quacunque tandem re, id omne omnino deberi novorum inventioni. Aſpernantur in ſtudiis novitatem, quibus ingenium recuſavit natura, qui ignaviae ſunt dediti, aut pro ſua ſapientia, imo ſtupore, certos ſtudiorum ponere audent fines, ultra quos progredi non concedunt, quae agendi ratio ipſam alit barbariem; VERSCHUIRIUS certe, quamquam non ductus libidine novandi quae bene conſtituta ſunt, probe perſpiciebat, multa adhucdum esſe haud bene conſtituta, quae emendatione indigebant, atque adeo nunquam hoc emendandi ſtudium esſe remittendum: Deum, hominibus non concesſurum fuisſe vim illam, quae in res novas melioresque feratur, ſi in patrum inventis prorſus

acquiescendum esſet, cum ERNESTIO dicere ſolebat. Igitur, cum omne ſuum tempus in literis excolendis tereret, et iudicaret ſe ſic ſuam recte explere provinciam, ut literae nova caperent incrementa; non dubitavit emendandi Orientalium Literarum ſtudii in ſe ſuſcipere curam, ſedulo tamen cavens, ne unquam deſideraretur nova utilitas. Hinc, quod cum aliunde, tum quoque e diſſertatione *de argumento libelli Jonae* conſtat, et veterum, quae bene ſe habent, ſed novandi temeritate in diſcrimen cum maxime vocantur, defenſionem egit, ea doctrinae copia, ea ingenii ſubtilitate, ea iudicandi ſolertia, eo denique veri amore, ut, qui in VERSCHUIRIUM non agnoſcat virum ingenue et liberaliter eruditum, praeiudicata opinione obcaecatum esſe oporteat.

Scholas habuit novitiis, rudibus, et doctrina iam imbutis accommodatas. Linguæ Hebraicæ praecepta illis SCHROEDERO duce tradebat, id maxime operam dans ut brevi, præcepta, quorum notitia careri prorſus nequeat, haberent discipuli percepta, ratus nempe, grammaticam istius linguae ſcientiam acquiri haud posſe, niſi mox accedat interpretationis ſtudium. Igitur ſcholas, qua di-

dicuntur analyticæ, ſic conſtituebat, ut, quæ Hebraicæ orationis poteſtas ſit et uſus, cum in ſingulis vocibus, tum dictionibus et compoſitione, ratione grammatica aperiret, et ulterius confirmaret, adhibito orationis conſilio et nexu. Sic igitur primo anno diſcipulos præparare ſolebat ad ſcholas maxime inſtitutas, ut hi facultatem explicandorum librorum ſacrorum ſibi compararent. Dabat igitur penſum e libro argumenti hiſtorici, vel e Pſalmis, ut domi huic operam navaret ſtudioſa iuventus. Unus penſum prælegebat, quo lecto interpretationem ad leges grammaticas exactam exhibebat; ſi haereret, alius interrogabatur; et ſæpe VERSCHUIRIUS ceteros de improviſo interrogando cogebat, ut ſtudiorum ipſi redderent rationem. Abſolutis diſcipulorum in his partibus, penſum iterum ipſe prælegebat, huius argumentum et conſilium explicabat, tum textum, ſi qua in codicibus aut verſionibus reperiebatur lectio varians, conſtituebat, primariam porro verborum notionem una cum ſecundariis, ope adfinium dialectorum ſignificabat, ac verum denique orationis ſenſum interpretabatur, quem præceptis obſervationibusque ita et illuſtrabat et confirmabat, ut auditores veluti experiundo ſen-

tirent, ſe iam auctoris percepisſe mentem. Veteranis tandem, ut ultro progrederentur, conſtitutam habuit ſcholam aliam, in qua Prophetæ cuiusdam orationem interpretabatur. Nullæ in his erant discipulorum partes, niſi quod domi, quæ ipſis exhibuerat magister, diligenter et asſidue repeterent, et hos monere ſolebat, nunquam esſe negligendam repetitionem, ſed continuo factitandam, quia incredibilis eius ad proficiendum ſit efficacia. VERSCHUIRIUS igitur in his ſcholis commentabatur vatis cuiusdam argumentum; dictabat verſionem ad verborum ſignificationem et ſenſum factam, huic adiungebat brevem interpretationem, ad rerum ſcientiam aptatam. Hae ſcholae ut multiplicis erant utilitatis ſic maxime fructuoſae ad bonum formandum codicis S. interpretem. Testor egregii viri discipulos, YPEYUM, dignisſimum Academiae Gelro-Zutphanicae Profesſorem, MEBIUM, *Hoſeae* interpretem accuratum, multisque aliis ſcriptis celebratum, G. REDDINGIUM, disſertationis, *de Pſalmis bis editis*, ſub VERSCHURII auſpiciis conſcriptae, auctorem, ſocietatis nostrae doctorem vere egregium, SURINGAREM, ſcholae Linganae Profesſorem liberaliter eruditum, VERWEYUM nostrum,

fa-

facundissimum apud *Haganos* oraculorum divinorum interpretem, VISSERUM, virum optimum, candidum, nobisque amicum, dignum, qui ad amplissimum inter nos promoveatur coetum. In his autem etiam commemorandus mihi est JOHANNES BAKKERUS, doctis notus egregia dissertatione de *Nominibus Dei Hebraicis*, VERSCHURIO praeside defensa, qui pro sua erga me voluntate haud recusavit, literis ad me datis praeceptoris sui describere institutionem, quod humanitatis officium mihi grato animo praedicandum videbatur. Huic enim, quidquid de VERSCHUIRII scholis Hebraicis dixi, (et idem omnino dicendum est de ceteris, quibus *Antiquitates Judaicas*, IKENIO duce, interpretabatur, aut alias Orientis literas docebat) huic, inquam, viro illud omne acceptum refero. Habebat praeterea eius disciplina commendationem a perspicuitate et suavitate, qua aures animosque discentium teneret. Memoriter omnia tradebat, nil in manibus habens praeter codicem sacrum. Erat eius oratio profluens, et sine haesitatione labens. Ceterum, ut bene tenebat verissimum illud SENECAE: „ de illis nemo dubitavit, quin operose nihil „ agant, qui in literarum inutilium studiis de- „ tinentur, quae sive contineas, nihil tacitam

 „ con-

„ conſcientiam iuvant; ſive proferas, non „ doctior videberis, ſed moleſtior," ita VERSCHURIUS nihil vanitati ſed omnia neceſsitati dabat. Inſtabat diſcipulis aſsidue percuntando et premendo usque dum, percepiſse ſentiret, quae vellet: ingenia feliciter urgebat, ut ſecum progredi cogerentur: quid multa? erat VERSCHUIRIUS doctor egregius et vere ſingularis.

Talem vidit eum Schola *Franequerana*, cuius magiſtratum ter magna fide et dignitate gesſit; vidit eum per annos tres et triginta res ſuas egregie ornantem, ſuisque commodis vacantem. Quum vero conſtitutus rerum ordo anno MDCCLXXXXV, turbaretur, cuius totam everſionem non ſine ingenti dolore verebatur; quumque esſent, qui ſuadebant Academiam tollere, atque res eo eſſent perductae, ut Academico muneri ultro vacare haud potuerit, neminique moleſtus esſe vellet, ſponte ſe profesſione abdicavit anno MDCCLXXVII. Urbem migrans, ruri vitam porro agere conſtituens, ut remotus a civium diſcordiis factionumque odiis, otio literario tranquille frui posſet, neque fatalem illum videret diem, qui Academiae duceret ruinam. Expertus namque VERSCHUIRIRIUS ſemel iterumque fuerat diem, Scholae *Franequeranae* perquam infauſtum. Primum, anno MDCCLXXIII, quum Friſiae Ordines legem

gem ſancierant, (vera profiteri liceat) publicae rei Academicae noxiam, et iuventuti ſtudioſae iniquam. Quae huius conſtituendae extiterunt cauſae, quae tunc et deinceps fuere de difficili isto negotio plurimonum iudicia, quid avertendo damno Academiae Senatus facere conſtituerat, quid huius conſilium irritum dedit, quid inposterum ſed frustra tentatum est, ut illa lex abrogaretur, me dicere nihil attinet, quamquam ſatis prolixam narrationem, non e levibus rumoribus ſed ex ipſis fontibus ductam, inſtituere posſem. (*) Dicere ſufficiat, ab eo inde tempore, delabſas fuisſe *Friſiae Scholae* res, et in peius mutatas; in pejora autem ruisſent certisſime, niſi habuisſet Curatores, viros illustrisſimos, qui ſummo ſtudio et favore eius promoverunt commoda. Horum ſub auſpiciis factum est, ut anno MDCCLXXXV, ſingulari Ordinum Friſiae favore, ſacrum, quod dicunt Jubileum ſecunda vice celebratum fuerit. VERSCHUIRIUS non ſine ingenti animi voluptate vidit Filium ſuum, GYSBERTUM FONTEINIUM in istius ſolennitatis partem venire, eumque more maiorum doctoris laurea ornatum.

(*) Abrogata tandem, bona facto! decreto Magiſtratuum Provinciae Friſiae An. MDCCCIV.

tum. Quotquot vero tunc publicae laetitiae aderant testes, meliora continuo augurabantur Academiae tempora; ſed inexſpectata et incredibilis fuit rerum mutatio, adeo ut biennio post „ ſtabat deſerta (utor WASSENBERGHII, viri clarisſimi verbis) miſere, ac deſo„ lata Friſiacae Minervae Aedes, et, quod „ numquam antefactum legimus, in Novem„ brem usque menſen cesſarunt lectiones." Sed haec quoque immoderata tempestas ſedata est, viditque Minerva Friſiaca aedem ſuam ſoſpitatam: Curatorum enim prudentia ita inflicta vulnera fuerunt obducta, ut de ſucceſſu felici bene ſperare coeperint omnes. Non tamen ei contigit ut ultra ſeptennium quodammodo laetari potuerit; conſtituto enim rerum ordine turbato annis abhinc quatuordecim Friſia mox vidit ad reipublicae clavem ſedere homines eos, qui literas contemnebant, ac publice profitebantur, Juris Civilis ſtudium inutilem, quin et noxium esſe, quae publice declarata opinio JOANNEM PHILIPPUM SCHEIDIUM, virum clarisſimum, Juris doctorem vere excellentem, movit, ut provinciam ſuam deponeret. VERSCHUIRIUS autem quid ab eiusmodi hominibus exſpectare poterat? Nihil prorſus boni! Cognoscebant

enim

enim omnes, eum ſtare a partibus Nasſavicis, quas iure iurando abnegare deinceps cogebantur quotquot Reipublicae aut Eccleſiae inſervire cupiebant. Has autem abnegare, qui unquam hercle potuisſet VERSCHUIRIUS? Alte namque eius animo infixa erat avunculi ſui, HERMANNI VENEMAE ſententia, quam ipſis huius magni viri verbis deſcribere liceat. „ Sicut Respublica Judaica, inquit, per „ Maccabeos a potentisſimi tyrannni oppres„ ſione ſingulari Dei ope vindicata, et in „ ſummo profperitatis fastigio collocata, tam „ diu floruit, quamdiu heroes illi et Reipu„ blicae ſtatores in republica egerunt du„ ces et gubernatores, collabi cum illa „ domo Maccabaica coepit: ita quam„ vis nec propheta, nec prophetae filius „ ſim, nedum fanaticus aut inſpiratus, haud „ vane tamen, ni fallor, auguror, quod du„ dum in dedicatione primi mei libri, B. M. „ Principi facta, profesſus ſum, nec nunc „ profiteri erubesco, Rempublicam nostram „ tam diu ſtaturam, quamdiu de illuſtrisſima „ domo Auriaca et Nasſavia ſuperſunt, qui „ Reipublicae gubernacula una, cum Ordini„ bus teneant, et maiorum vestigia in libera „ Republica tutanda premant, ſeſe intra ſtatu„ tos dignitatis et officii limites continentes.

 „ Cu-

„ Cuius iudicii haud una mihi est ratio, hic
„ non promenda, ne muneris limites transi-
„ liam. Illud afferre liceat, Rempublicam
„ sine celsissimo cive et eminentiore persona
„ nec reverentiam apud exteros, nec statum
„ suum civilem aut militarem, nec concor-
„ diam mutuam bene et diu tueri posse; nul-
„ lam dari domum, nisi hanc ipsam, propter
„ arctissimam eius et multiplicem cum Repu-
„ blica relationem, quae apta sit, ei susti-
„ nendae; nullam, quae Reipublicae, eius-
„ que civibus, tam sit cara, tantamque civi-
„ bus et militibus possit inspirare virtutem,
„ fiduciam, et fortitudinem. Sed cur plura?
„ haec sola est augusta illa domus, quam
„ Deus, ut olim Maccabaicam, elegit ad
„ Rempublicam condendam et ornandam, col-
„ lapsamque restituendam." Atque haec ille.
Ad hanc autem VENEMAE mentem apprime conscripta est illa VERSCHUIRII Oratio, publice a. d. XV *Junii* anni MDCCLXXXVIIII, quum Magistratu Academico iterum abiret, dicta *de Republica Judaica temp ris Maccabaici, a Syro-Macedonum tyrannide liberata, comparata cum nostra Belgii Republica, Philippi* II. *jugo excusso, in libertatem vindicata;* hanc orationem typis denuo describi noluit VERSCHUIRIUS, cujus rei causam vel me tacente in-

intelligentiores, facile asſequi posſe, dubium mihi non est; neque ego hanc adſumere mihi volui licentiam, ut invito auctore, eam formis typographicis repeterem.

Ab eo inde tempore quo VERSCHUIRIUS publici doctoris officio ſe abdicavit, in amoena ſua villa morari manſit, dies addicens ſuorum curis, amicorum negotiis, rerum divinarum et humanarum meditationi, qua ſuum alebat animum, cum SENECA existimans, otium ſine literis mortem esſe et hominis vivi ſepulturam. Huius otii fructus utinam omnes posſint cum lectori communicari; alia enim quam quae nunc prodeunt, molitum esſe virum optimum, certo adfirmare posſum, quae, niſi obſtaret eius voluntas, numquam non ſancte colenda, lubens in publicam perferrem notitiam; confidimus tamen, ea quae nobis offerri voluit ipſe, gratam eius memoriam ſervaturam esſe apud omnes, qui tanto viro in ſtudiis, comite et duce uſi ſunt.

Sed cum ſatis de VERSCHUIRII ſtudiis, diſciplina, inſtitutisque dixerimus, qualis in reliqua vivendi ratione fuerit, paucis addemus. *Bolswardiae* cum ministerio ſacro fun-

fungeretur in matrimonium duxit a. MDCCLX a. d XXVII Julii ISABELLAM, GYSBERTI FONTEINII, verbi divini ministri in eadem urbe meritisſimi, filiam, omnibus ſexus ſui virtutibus ornatisſimam; quod cum aliis omnibus cauſis, tum ſubole egregia felicisſimum fuit. Nam filias ex ea genuit duas, et filios duos, horum unus adhuc ſuperſtes est, qui cum maxime urbis *Alcmariae* conſul est dignisſimus.

Ut horum liberorum obſequio et pietate delectari potuerunt parentes, ita contra illi ad egregia, quae domi ipſis videre contigit, omnis virtutis exempla ſe conformare ſtuduerunt; nec mirum! incredibile enim dictu est, quantam vim habeant ad pueriles animos bene formandos parentum quotidiana exempla, quae bona et pulcra esſe, facile ſibi perſuadent liberi. Igitur domestica felicitas, qua nulla est et ſuavior, et uberior, et vero aequabilior, per multos deinceps annos ita obtigit VERSCHUIRIO, ut nihil ei deesſe videretur: quare ſolebat in amicorum circulis providam Numinis curam, et ſummam benignitatem praedicare, quippe ei unice haec beneficia accepta referebat. Scilicet e rerum ſacrarum ſtudio hunc quoque perceperat fructum, ut animus esſet Dei plenus; huius autem

tem pietatis sensum adversus Deum, assidua exercitatione ita confirmaverat, ut ad extremum vitae duraverit; hunc sensum sine ulla pompa, factis probavit, nec pudebat et publice et privatim fateri, sibi omnia esse in uno Christo, et bonis per eum partis; unde quoque id sibi cordi esse profitebatur, ut ad sanctissimum Christi exemplum, animum, vitamque universam fingeret ac componeret. Tenacissimus quapropter erat disciplinae ab eo nobis traditae, vehementer eorum improbans iniquitatem, qui eam fraudare audebant. — Erat porro VERSCHUIRIUS, si quis unquam, ab omni simulatione alienus, et semper, qualiscunque erat, totus patebat. Abhorrebat ab infelici illa nonnullorum astutia, qui hanc ipsam integritatem, quam a bonis magni fieri viderent, mentiantur, et promovendis suis commodis speciem simplicitatis antiquae et fidei induunt. Noluit bonus videri, sed esse. Talem cognoverunt omnes VERSCHUIRIUM, testanturque, virum fuisse eum antiqua virtute et fide, ipso etiam vultu severitatem praeferentem, rebus seriis semper intentum, semper sui similem, nunquam commotum nec labefactatum istis saeculi vel iudiciis vel moribus, cum plane persuasum, exploratumque haberet, mercedem vir-

tu-

tutis ipſius ſatis amplam esſe. Sic vitam egit ad mortem usque, quae de improviſo eum rapuit anno aetatis ſexageſimo octavo, a. d. XX *Maii*, a MDCCCIII. Vivit tamen in coelis, vivet in animis diſcipulorum et amicorum, maxime autem Filii, patris virtutes feliciter aemulantis.

Restat, ut pauca dicam cum de hoc VERSCHUIRII opere, tum de conſilio, quod in illo edendo ſecutus ſum. Et de opere quidem ipſo, auctor ſatis dixisſe videtur in praefatione; nec quod addam habeo, niſi hoc. Erunt fortasſe, qui iudicent, melius omnino factum esſe, ſi, quae VENEMAE debentur, ſeparatim edita fuisſent. Hos igitur admonitos volo, VERSCHUIRIUM ſollicitum fuisſe de edendis iis, quae avunculus ſuus in libros HOSEAE, JOELIS, AMOSI, JONAE, et MICHAE commentatus erat; at librarii fere omnes recuſabant eorum imprimendorum negotium. Et quid miramur? Quotusquisque est, quem fugiat, et nostro tempori convenire, quod HIERONYMUS, in *Praefat. libr. II.* in *Eſa*, de ſua conquestus est aetate: „ multo maior pars est Mileſias fabulas revolventium, quam Platonis „ libros. In altero ludus et oblectatio est: „ in altero difficultas et ſudor mixtus labori."

Igi-

Igitur, etsi consilium de commentariis istis edendis abiicere coactus fuerit VERSCHUIRIUS, voluit tamen cum orbe erudito quaedam communicare, in quae et ipse suum posuerat studium, ac prae ceteris digna videbantur ut ad omnium venirent notitiam. Num recte iudicaverit, aliorum est sententiam dicere; ad me quod attinet, sic comparati mihi videntur isti libelli, ut egregium inde fructum percipere possint, qui literis sacris navent operam. Ceterum, quae VERSCHUIRIUS spectaverit edendis coniecturis VENEMAE ad N. T. textum, intelligitur e brevi quadam prolusione, inter ipsius schedas reperta, et hoc loco inserenda:

„ Exhibeo tibi hic, benevole lector! con-
„ jecturas criticas Cl. avunculi mei H. VE-
„ NEMAE, quas ipse in margine N. T. ST.
„ CURCELLAEI notaverat (a). Sive sint
„ lectiones in Mscr. Codd. aut versionibus an-
„ tiquis obviae; sive conjecturae aliorum,
ipsius „

(a) Adservantur in publica Academiae Bibliotheca Biblia Hebr. ad cuius marginem VENEMA plurimas notavit emendationes. Animus mihi fuit, ea cum lecturis communicare; desisti autem a proposito: forsan alio tempore, si viris doctis id placere intellexero, hoc faciam.

„ ipſius probatae judicio, quando nomina
„ auctorum plerumque addita ſunt, ſive no-
„ vae, ipſius formatae ingenio, quales ple-
„ raeque. Earum nonnullas rationibus mu-
„ nivi, exemplis aut explicatione illuſtravi,
„ aut modeste refutavi, additis nominibus,
„ ut ſciatur, quid cuique tribuendum ſit.
„ Addidi duas P. CONRADI, VENEMAE,
„ in Academia, *Franequerana* diſcipuli, dein
„ diu collegae, viri eruditiſſimi. Unam eti-
„ am aut alteram VALCKENARII, ab ipſo
„ hoc viro magno non vulgatam; quibus de-
„ nique meas adjunxi. De quibus omnibus
„ judicium lectori critico permitto. Modo
„ ad animam revocet, me VENEMAE con-
„ jecturas ita deſcripſiſſe, ut ab ipſo annota-
„ tas inveni, ſive jam in ejus *Hiſt. Eccl. ſ.*
„ aut alibi vulgatae ſint, quod tamen plerum-
„ que indicavi, ſive nondum editae. Col-
„ lectio conjecturarum crit. in N. T. a docto
„ typographo W. BOWYER facta, addito
„ hoc argumento, inſigniter augeri posſet.
„ Opus hoc ex *Anglico* in Latinum Sermo-
„ nem, ad uſum eruditorum omnium natio-
„ num, vertere, atque his, aliisque, etiam
„ ſuis conjecturis augere et ornare, me ad-
„ hortante, in animum induxerat, et felici-
„ ter

„ ter coeperat vir doctus S. WYNGAARD,
„ Campenſium ſcholarum Rector, ſed nimio
„ labore fractus in gravem et diuturnum in-
„ cidit morbum, atque immatura morte no-
„ bis ereptus est (*b*). Cum itaque nec
„ ſpes decolaverit, haec meis adjungo opus-
„ culis. Nonnullas harum conjectationum
„ jam memoravit et laudavit VALCKENA-
„ RIUS in *Adnotat. Crit. ad loca quaedam*
„ *N. T.* Qui procul dubio post HEMSTER-
„ HUSIUM, praeceptorem ſuum, in Graecis
„ principatum obtinuit. Erat eo major, quia
„ ad HEMSTERHUSII exemplum, Orienta-
„ lium quoque Literarum gustu tinctus, et
„ VENEMAE diſcipulus, dein familiarisſi-
„ mus fuit amicus. Solebant illi viri in eru-
„ ditis ſuis colloquiis talia tractare ad quae
„ ego

(*b*) WYNGAARDIUM multum operis huic impendisſe labori, mihi apparuit. BOWYERI editionem tertiam, prioribus multis locupletatam, ſed paucis tantum cognitam, Latino reddidit ſermone, emendationes vero ab BOWYERO neglectas addidit, adiecit quoque alias quam plurimas, nondum cum aliis communicatas, quas WYNGAARDIUS plurimorum in patria eruditorum debebat humanitati. Huius viri vidua, lectisſima matrona, totum mariti opus mihi edendo committere voluit, et ſpes est, ut deſideriis eius ſatis facere poterit. L.

„ ego juvenis, ex ſchola SCHROEDERI et
„ LENNEPII recens, et dein collega, ſae-
„ pe admisſus ſum. Quorum recordatio mi-
„ hi ſemper jucundisſima est. Haud una
„ vice VENEMAM dicentem audivi, dolen-
„ dum esſe, Theologos eruditos non eodem
„ ſtudio in libris N. T. a librariorum vitiis
„ emendandis verſari, quo critici in auctori-
„ bus Graecis et Romanis. At vero, hoc
„ illo tempore adhuc periculoſum erat, quo
„ VALCKENARIUS etiam publicam Oratio-
„ nem habuit *de critica S. N. T. literatori-*
„ *bus, quos vocant, non exercenda.* Sed tem-
„ pora mutata ſunt, atque in his major lux,
„ major libertas, affulget. Cavendum tan-
„ tum, ne ab uno extremo, quod ſaepe fit,
„ labamur in aliud."

Reperientur forte, qui de Latini ſermonis habitu in his opusculis nimis abiecte iudicent; vidimus enim hoc noſtro tempore haud paucos, inſulſam de latinitate ferre ſententiam, vitioque ſingulis verti, ſi quo utantur ſtilo, ad ſtilum CICERONIS non formato et accommodato.

Non is ego ſum, qui orationis negligentiam aut ſordes excuſare velim; eos tamen monere velim, haud fas esſe videri, ſi ob ſtilum, minus con-

di-

dintum, tenuiter ſentias de viris, qui ſuis ingenii doctrinaeque monumentis ſaeculum ſuum illuſtrarunt; etſi enim aurei aevi ſermonis per omnia imitandi fuisſent ſtudioſi, innumeras tamen magni momenti res Ciceroniano ſtilo commode exprimi non posſe, vere dixit ERASMUS, Ep. XV. Lib. XX. Quid etiam cauſae est, cur ſingula ad CICERONIS Latinitatem formata esſe debeant? Num huius auctoris ſtilus, pro diverſo, quod tractet argumento non varius et diverſus est? Num eandem, quam in libris *de Oratore* regnare intelligimus ſermonis ſtructuram, in eius *de Officiis* libris apprehendas? Sane Latina lingua vix quidquam ſcribere posſimus, ſi tam dira lege divincti esſemus; actum esſet profecto de vera doctrina, ſi cancellis tam arctis ſermo latinus esſet circumſcriptus. Porro, ut unicuique ſuum est ingenium, ſic et ſuus ſtilus ſit necesſe est, quem fingere ad alienam mentem, id demum est ut vere CLERICUS, nulla ratione ſtaturae habita aliena veste velle uti, quod ſtultisſimum est. Prudens ea propter SENECA monuit: „ nimis anxium esſe te „ circa verba et compoſitionem, mi Lucilli „ nolo: habeo maiora, quae cures. Quaere „ quid ſcribas, non quemadmodum. Cuius- „ cunque orationem videris ſollicitam et poli-

 „ tam

„ tam, ſcito animum quoque non minus esſe „ puſillis occupatum. Magnus ille remisſius lo- „ quitur et ſecurius: quaecunque dicit, plus „ habent fiduciae quam curae. Nosti complures „ iuvenes, barba et coma nitidos, de capſula „ totos: nihil ab illis ſperaveris forte, nihil „ ſolidum. Oratio vultus animi est: ſi cir- „ cumtonſa est, et fucata et manufacta, os- „ tendit illum quoque non esſe ſincerum, et „ habere aliquid fracti." Sic ille VERSCHUIRIUM igitur, ſuum ſequentem ingenium, commode ſcripſisſe, non est qui dubitet.

Sequitur, ut de opera, in his opusculis edendis, a me praeſtita, breviter dicam. Id quidem primo curae mihi fuit, ut diligenter operis textum deſcribendum curarem; quodnegotium, quia VERSCHUIRIUS ſane haud eleganter pingebat, arduum fuisſe, intelligunt omnes qui viri optimi manu ſcripta unquam viderint. Delaboris igitur ſocio cum ſollicitus esſem, ecce WASSENBERGHIUS v. cl. collega mei ſtudioſus, conſilio communicato, ea qua est humanitate, opem ſuam mihi ſponte addixit, et quod ſponderat, diligentia ſuperavit. Non posſum igitur non publice huic viro, de Academia nostra optime merito, gratum testari animum, id ſtu-

ſtudens, ut qui ipſi a me debentur fructus eos uberrime ex me ferat. Parem gratiam refero amicisſimo JOANNI BAKKERO, qui cum ante aliquot menſes *Amſtelodami* commorarem, inde a pagina 358, in vitiis typographicis expungendis ſtudium ſuum collocare voluit. Quamtumvis ergo ipſe omnibus ac ſingulis ſedulo invigilaverim, tamen ut deinceps animadverti, cavere non potuit, quin multiplici errandi periculo hinc inde peccaretur. Quae maioris momenti ſunt, notavi, leviora quisque benevolus emendare haud recuſabit. Ceterum ſpero et confido non omnino displicituras esſe quas hinc inde adieci animadverſiones, quibus ſtudioſorum potisſimum commodis utcunque inſervire volui. Plurimas, quae aliquantum rectae ſacrarum literarum interpretationi conducant, addi potuisſe, haud nego; et cum in Literarum Orientalium ſtudio, mihi a prima ſtudiorum ratione inprimis adamato, WALRAVENII, SCHULTENSIIQUE inſtitutione culto, non plane hospes mihi viderer (quod tamen non dico, ut cenſoris cuiusdam malevolentiam, qui adfirmare auſus est me nullam fere V. F. in criticam poſuisſe operam, reprimam, neque enim de meo ſtudio, neque de nonnullornm iniuria ſcribendum mihi esſe arbi-

tror,) cum, inquam, in Literis Orientalibus aliquam facultatem mihi paravissem, alias lubenter numero plures exhibuissem animadversiones; sed verebar ne operis moles meis addendis, nimis cresceret. Prolixior omnio fui in adscribendis notis ad coniecturas, ab VENEMAE v. cl. ingenio ad N. T. textum profectas; et fateor, me id consulto egisse. Etsi enim neutiquam ab illorum partibus standum iudico, qui nullas admittere volunt in N. T. libris emendationes, imo cum DRUSIO profiteor: „ Coniecturam per se quidem esse in„ certam, et nullius ponderis; sed, si ratio „ accedat certa, tam certam esse posse, quam „ est certe vetusti alicuius exemplaris auctori„ tas;" attamen coniecturis non indulgendum est. Et VENEMA mihi videbatur in hoc incurrisse vitium: nonnunquam enim hac usus est medicina, ubi omnia bene se habere, nonnunquam vero ut dicta, quae difficultatis habere videntur plurimum, facilius expediret; saepius quoque eiusmodi occurrunt emendationes, quas, si res mei fuisset arbitrii, ego certe delevissem. Hoc autem quo minus facerem prohibuit religio mea; videns autem VERSCHUIRIUM, VENEMAE obloquentem et refutantem, et ego meum

meum libere interponere iudicium, non dubitavi. Ceterum, corrigendi officium, obnoxium illud, si quod aliud, invidiae, sic administravisse mihi videor, certe administrare volui, ut quae mortuis debetur reverentia, a me proterve laesam esse, nemo facile queri possit.

Haec habui, quae praefarem. Vale!

Scripsi in Academia Franequerana a. d. XXIV: Octobris a MDCCCIX.

OPUS-

OPUSCULORUM SERIES.

I.	*Dissertatio de loco Gen.* XIV: 18-20.	Pag. 1-35
II.	*Dissertatio de argumento libelli Jonae, eiusque veritate historica, cum appendice.* . .	Pag. 36-105
III.	*Oratio de oraculis, quae Hebraei Vates instinctu afflatuque divino fuderunt, in S. codice Hebraeo memoria proditis.* .	Pag. 106-137
IV.	*Oratio de incommodis et malis ex perversa Veteris Oeconomiae imitatione in civitate et Ecclesia Christiana ortis.* . . .	Pag. 138-161
V.	*Dissertatio de origine et caussis insani idololatriae, amoris et studii, maxime in gente Israëlitica.* .	Pag. 162-
VI.	*H. Venemae Lectiones in Obadiam* . .	Pag. 187-235
VII.	*Observationes ad selecta quaedam Hoseae, Joelis, et Amosi loca* .	Pag. 236-322
VIII.	*Dissertatio Philologico-Exegetica in selecta S. Cod. loca* . .	Pag. 323-357
IX.	*Coniecturae criticae de variis N. T. locis*	Pag. 358-443

DIS-

DISSERTATIO

DE LOCO

GEN. XIV: 18—20.

Et Melchizedecus, Salemi rex, protulit panem et vinum, erat autem ipse sacerdos Dei altisſimi; atque benedixit illi, dicens, benedictus Abrahamus Deo altisſimo, posſesſori coelorum et terrae. Laudatus quoque ſit Deus altisſimus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam. Deditque ei decimam de omnibus.

Primum ac ſummum officium, omnibus incumbens hominibus, est unum ſolum verum Deum, cœli terræque creatorem et Dominum, ſpiritum ſupremum ac perfectisſimum, agnoscere, amare, venerari et colere, et quidem cultu rationali, pura et casta mente. At vero homines crasſo induti corpore, externis ſenſibus nimis inhærentes, varia primum Numinis ſibi fingere ſymbola, et imagines formare, dein illa tanquam vera Numina adorare, unius veri Dei, a corporis oculis remoti, oblivisci, atque in turpisſimam prolabi idolola-

 triam.

triam. Hac autem in dies crescente, et ſeſe per totum terrarum orbem magis magisque diffundente, Deus Abrahamum ejusque posteritatem elegit, excitavit, atque arctiore ſecum conjunxit fœdere, ut in hoc uno ſaltem populo verus unius veri Dei cultus conſervaretur, ſartus tectusque maneret, craſſis tamen ejus conceptibus, quantum ſalva Dei majestate fieri poſſet, accommodatus. Nec tamen existimandum, ſtatim, cum Abrahamus e *Chaldæa* evocaretur, univerſum hominum genus ita idololatria infectum et commaculatum fuiſſe, ut præter Abrahamum ejusque gentem nulli amplius unius veri Dei existerent cultores. Contra; ex historia conſtat et tum et diu adhuc postea cognitionem cultumque veri Dei, ſeu Religionem patriarchalem, a Noacho acceptam, ſuperſtitem manſiſſe. Quam ſummi momenti veritatem uno illustriſſimo ſpecimine in præſentia illustrare et demonſtrare, in animum induxeram. Abrahamus terram patriam Dei juſſu deſerens ſecum duxerat cognatum Lothum, cum illo tetenderat ſub provida Numinis cura in *Cananæorum* regiones. Cum vero ambo eſſent pastorum principes, ampliſſimis gregibus, et numeroſo famulitio inſtructi, atque per campos, pro istius temporis more vagarentur, ſibi invicem incommodo eſſe cœperunt. Lite tum inter utriusque pastores orta, a ſe invicem diſcedere decernunt; optione autem Lotho data, is ſeſe cum gregibus et omnibus ſuis recepit in tractum *Sodomiticum*. Ibi cum aliquam-

quamdiu moratus fuisſet, *Sodomæ* rex gravi implicitus bello atque victus fuit. Multi tum *Sodomaeorum* et vicinorum captivi a regibus victoribus abducti et ſpoliati ſunt, atque inter hos LOTHUS. Quod cum intellexisſet ABRAHAMUS, potens *Emir Arabicus*, cum trecentis et octodecim ſuæ domus armatis viris, nec non cum quibusdam ſociis, hostes persecutus fuit, eosque prælio adortus plane devicit, omnes captivos eorumque bona recuperavit. Ex hoc prælio glorioſe redeunti ABRAHAMO victori obviam procedunt non tantum rex *Sodomæ* et vicini reges socii, ſed et rex urbis *Salem* nomine MELCHIZEDECUS, gratulatum victoriam. Hic vero *Salemi* rex, ſimul rex, ſimul ſacerdos Dei altisſimi, fesſos ABRAHAMI milites cibo potuque recreans; Deo vero ob reportatam victoriam publice gratias agens, et ab hoc Deo fausta quævis ABRAHAMO apprecans, nostra attentione et contemplatione dignisſimus est. Præbet enim clarisſimum ſpecimem religionis veræ inter gentes *Cananaas* hoc tempore ſuperſtitis.

Advertamus itaque mentem ad MELCHIZEDECUM, *tanquam regem et ſacerdotem veri Dei cum pane et vino* ABRAHAMO *obviam euntem; dein attendamus ad benedictionem quam* ABRAHAMO *impertiit; ad gratias quas Deo ob reportatam victoriam egit; et ad decimas, quas ipſi dedit* ABRAHAMUS; *atque ex his nobis formemus conceptum religionis hujus illustrisſimi viri et ſubditorum ejus.*

Nomen hujus regis מלכי־צדק non adeo fuisse videtur nomen ejus proprium, neque etiam commune regum hujus regni nomen, ut inter *Aegyptios* PHARAO vel deinceps PTOLEMÆUS, sed honoris titulus, et epitheton huic præcise regi tributum, quod justitiæ valde esset studiosus, regnumque ejus esset *justitiæ* ac omnis *virtutis* regnum. Epitheton *justus*, *ὁ δίκαιος*, inprimis regibus dignum est, si revera se tales præstant, quales esse debent. Quare PLUTARCHUS, observans ARISTIDEM ob justitiæ studium eo fuisse ornatum, dicit *ὅθεν ἀνὴρ πένης καὶ δημοτικὸς ἐκτήσατο τὴν βασιλικωτάτην καὶ θειοτάτην προσηγορίαν τὸ Δίκαιον*, in *Aristide* § VI. Fieri tamen potuit ut sequentes reges ad hujus tam illustris prædecessoris exemplum hoc vel simili ornarentur epitheto, licet cæteroquin nihil cum ipsius virtute haberent commune. Sic inter successores ejus memoratur אדני־צדק *Hierosolymae* rex *Jos.* X. *Philistaeorum* rex vocatur אבי־מלך, Scilicet reges eo nomine digni, civium suorum sunt *patres*. Propterea S. auctor *ep. ad Hebr. cap.* VII. observat MELCHIZEDECUM ex interpretatione dici *justitiæ regem* (a).

Re-

(a) Compositionis ratio nominis מלכי־צדק facit quominus beati Auctoris sententiam, quæ plurimorum est, possim probare. „Est enim", utor verbis JACOBI CAPELLI, *Observ. in h. l.* „Nominum propriorum „hæc indoles, ut, cum componuntur e duobus nomi-

„ni-

Regnum hujus regis vocatur שָׁלֵם, *Salem*, videtur idem locus, eadem urbs, fuiſſe, quae postea *Hieroſolyma* appellata fuit, ſed minor procul dubio, eodem nomine a S. poëta nuncupata *Pſ.* LXXVI: 3. (*b*). Quod ex eo confirmatur, quod ABRAHAMO redeunti ex partibus *Damasci* et *Hebronem* verſus contendenti, obvia fuerit *Hieroſolyma.* Ita quoque jam olim cenſebat JOSEPHUS *Antiquit. l.* I. *c.* X. hanc historiam narrans,

„ nibus, quorum prius est concretum, posterius ab„ ſtractum, tum concretum recti abſtractum obliqui „ caſus ſit, et inſeritur *jod*, connexionis vim habens, „ non autem pronominis." Praeterea, ſi hoc nomen honoris esſet titulus, ſive epitheton, legendum foret: מֶלֶךְ צַדִּיק, vel מֶלֶךְ צְדָקָה, conf. MICHAËLIS *Erklärung des Briefes an die Hebraeer*, P. 2, *pag.* 227 et *ſeqq.* L.

(*b*) *Salemum* eandem esſe urbem, quæ *Hieroſolyma*, vulgaris est ſententia, quæ tamen impugnata fuit a RELANDO, *Palest. Illustr.* *vol.* 2, *pag.* 832 et 833. Ego, qui in re dubia et obſcura nihil in utramque partem ſive adfirmare ſive negare audeo, RELANDO in eo adſentior, argumentum, quod petitur e *Pſ.* 76: 3, vulgari ſententiæ confirmandæ nihil valere; ſolent enim Hebræi, compendii cauſa, in nominibus locorum compoſitis, omittere partem priorem, ita *ſeba* pro *Beer-ſeba*, *Joſ.* 19: 2, *Sittim* pro *Abel-Sittim*, *Num.* 25: 1, Conf. BOCHARTUS in *Phal.* Lib. 2. c. 24, et in *Hieroz.* Lib. 2. c. 15. L.

rans, *ibi*, inquit, *urbis Solymae rex excipit eum Melchizedecus, quod regem justum ſonat, atque ejusmodi ex confesſo erat, ut propterea ſacerdos Dei esſet* addit porro, *Solyma postea vocarunt Hieroſolyma.* Judaeos *Salem* et *Hieroſolyma* pro una eademque urbe habuisſe, non tantum ex JOSEPHO ſed et *paraphraste* ONKELOSO liquet, nostrum MELCHIZEDECUM *Hieroſolymae regem* appellante. Hujus nominis quoque ſpectanda est ſignificatio, *pacem* enim notabat, quod non ſine ratione obſervat *S. auctor ep. ad Hebr.* (*c*); urbs forte hoc ornata fuit nomine, quod rex MELCHIZEDECUS esſet *pacificus*, nemini bellum inferret, nec armis peteretur, quod regnum es-

(*c*) Negari nequit, omnem illius auctoris disputationem redolere illum interpretandi morem, qui tunc temporis apud Judaeos invaluerat. Fuit nimirum is illius ætatis genius, is color, ut præter ſenſum, quem *literalem* dicebant, alius etiam et altior contineri existimaretur, ut docuerunt VITRINGA, *de Synag. Veter.* pag, 673. et *ſeqq.* SURENHUSIUS B. K. pag. 577. CARPZOV. *Exercit. S. in epist ad Hebr.* pasſim, ZIEGLER *Einleit. in d. Br. an die Hebr.* §. 16. pag. 271. *ſeqq.* HEINRICHS *Excurſ.* 3. ad h. e. interp. pag. 235. *ſeqq.* et quae disputavi in *Oordeelkundige Inleiding tot de S. des N. V.* T. 1. §. 93 pag. 619. *ſeqq.* Quae vero in contrariam partem nuperrime disputata ſunt a *Rev.* OVERDORP (in *Opp. Societ. Hag.* p. a. 1804.) parum me movent; mera enim ingenii ratiocinia infringendis argumentis historicis haud ſufficiunt. L.

esset *pacis* et *prosperitatis omnigenae*, (hanc enim nomen hoc quoque complectitur) quale esse debet regnum sacerdotis, paci civiumque saluti tantum consecratum. Rex enim hic simul erat *sacerdos* et quidem *Dei altissimi*. Regium et sacerdotale munus in eo pro veterum more conjunctum erat. Teste ARISTOTELE *heroicis temporibus idem imperator judex et rerum Divinarum arbiter erat* (c*). Notissimum est illud VIRGILII (*Aeneid.* III). *Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique Sacerdos.* Ubi SERVIUS, *Sane majorum haec erat consuetudo, ut rex esset etiam Sacerdos, vel pontifex* (*d*). Apud *Romanos* quaedam sacra non nisi a rege fieri poterant, propterea regibus exactis cre-

(*c**) *De Republica Lib.* 3. c. 14, *Opp.* T. 3, *pag.* 477; neque tamen absoluta erat hæc potestas, sed certis legibus circumscripta, quod idem ARISTOTELES docet l. c. pag. 476, κύριοι δὲ ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί. L.

(*d*) Et OVIDIUS (*Metamorph.* Lib. 13. v. 632.) de AENEA narrans, hæc verba profert:

Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebatur, temploque domoque recepit.

Ceterum consulantur CICERO in *Orat. pro domo ad Pontif* ab initio, BERNECCERUS ad *Justin.* Lib. 36, *Cap.* 2. pag. 623. edit. *A. Gronovii.* PAULSEN *over de Regeering der Oosterlingen*, pag. 22 &c. MUNTINGHIUS *noster Gesch. der Mensch. naar den Bijbel*, vol. 3, pag. 83 &c. L.

creatus est pontifex, qui *rex Sacrorum*, vel rex *Sacrificulus*, dicebatur (*e*). Quin etiam ſecundum veram indolem regni Judaeorum Theocratici oportebat, ut idem *pontifex* et *princeps politicus* esſet.

Noster non erat *Idolorum* Sacerdos, ſed *Dei altisſimi*, לאל עליון, τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίϛου, ut LXX reddunt, apud Arabes الله تعالي vel العلي, quo nomine pasſim deſignatur unus verus Deus, coeli terraeque Creator et Dominus Supremus, a S. Poëta Pſ. XCVII: 9. ita deſcriptus, *Tu Jehova Deus altisſimus*, עליון, *es ſuper totam terram omnibus diis multo ſuperior* (*e**). Cujus nominis memoria diu apud PHOENICIOS manſit. Nam in eorum Theologia, fabulis licet contaminata, mentio occurrit Dei Ελιοῦν vocati, quod nomen ὕψιϛον al-

(*e*) Vid. LIVIUS *Histor. Lib.* 2. c. 2. *ab init.* A Græcis mutuatos fuisſe Romanos hunc ritum, certum est, illis enim vocabatur βασιλεύς ἱερῶν. At nullus ſplendido huic nomini honos fuit additus, Pontifici enim Max. ne tanto nomine inſolesceret, rex iste fuit ſubjectus, neque magistratum gerere aut cum populo agere ei licuit, vid. DIONYSIUS HALICARN. Lib. 5, c. 1. pag. 278. *edit Sylburg.* Multa ſuppeditat NICOL. GRUCHIUS de *Comitiis Romanor.* Lib. 1. In *Theſ. Antiq. Rom. Grævii, Tom.* 1, pag. 545 et 546 L.

(*e**) In Pſalmis frequens est hoc veri Dei epitheton. Nec dubitavit S. Auctor ep. ad Hebr. c. VII, quia MELCHIZEDECUS ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίϛου, esſet veri Dei Sacerdos, non idoli cujusdam Cananaeorum.

altisſimum interpretatur PHILO BYBLIUS in fragmentis SANCHONIATONIS apud EUSEBIUM in *praepar. Euang* l. 1. c. X. (*f*). Idem ex PLAUTI *Poenulo* conſtat, compellante Deos titulo *Eljonim*, *Veeljonoth*, *altisſimos* et *altisſimas* (*g*). In loco nostro hoc epitheto unum verum Deum

(*f*) Conf. EUSEBII *Præparat. Evangel. Lib.* 1. c. 70, *pag. m.* 36. Quæ vero EUSEBIUS de SANCHUNIATHONE refert e PHILONE *Byblio*, fabulis adnumerant multi, neque ut videtur immerito; legantur HENRICI DODWELLI *discours concerning Sanchuniathon*, in operib. anglice editis, *Londini* 1723, pag. 84. *ſeqq.* GISBERTUS CUPERUS *in epist. Franco-Gall. edit. Amſtelod.* pag. 171. *ſeqq.* PAULUS FOUCHER in *Memoires de l'Acad. des Inſcript. T.* 38, pag. 452 *ſeqq.* MEINERS *Histor. doctr. de Deo uno et vero*, *pag.* 64. *ſeqq.* L.

(*g*) Eandem hanc ſententiam tuentur BOCHARTUS *Geogr. S.* Lib. 2. c. 6, Col. 721. SCALIGER *in not. ad Veterum Græcor. Fragmen. ſel* ad calcem *op. de Emendat. Tempor.* pag. 30. et THOMAS REINESIUS disſ. *de Lingua Punica* Cap. 12, inſert. *Syntagm. Varior. disſ.* edit. a GRÆVIO, pag. 47. *ſeqq.* Niſi tamen fallor, Punicum nomen melius respondet hebr. אלהים; PLAUTI enim verba ſic legenda existimo:

yth alohim valohoth ſeceret jismacu maſyth,

את אלהים ואלהות שקרת יסמכו מצית

Quam conjecturam probavit in Litteris Orientalibus magnus GREVE, v. c. Collega et amicus noster. Ceterum in-

Deum denotari extra omnem dubitationis aleam positum est: appellatur enim *Deus altisſimus*, reliquis ita dictis diis multo altior et excellentior, et quidem in ſingulari, ut ſignificetur, eum esſe *unum*. Deſcribitur porro tanquam *Creator Coeli et terrae*, totius mundi Rector ſupremus, hominumque *Pater*. Est idem Deus, quem colebat ABRAHAMUS, qui victoriam ABRAHAMO *dederat*, per quem ipſe ABRAHAMUS quoque jurat vs. 22. ABRAHAMUS quoque MELCHIZEDECO, tanquam Dei altisſimi ſacerdoti, decimas offerendo publice testabatur, ſe eundem venerari Deum, et eandem amplecti religionem, quam profitebatur MELCHIZEDECUS.

Hic jam *Salemi* rex et ſacerdos Dei altisſimi ABRAHAMO ex proelio, glorioſe reportata victoria, redeunti obviam procesſit gratulatum victoriam. Secum tulit panem et vinum, quibus fesſum ABRAHAMUM, ejusque milites recrearet, ita jam expoſuit JOSEPHUS: *ſuppeditavit*, inquit, ABRAHAMI *exercitui hospitalia dona, et multam necesſariorum copiam*. Non enim hic de ſolo *pane*, ſed omni ciborum genere cogitandum, quod

infrequens non erat Gentilibus Numina ſua inſignire titulo *altorum*; est apud HESIODUM θεογον. vs. 529, ὀλύμπιος ὑψιμέδων, et apud OVIDIUM, de Jove, Metam. Lib. 15. vs. 866:

Quique tenes altus Tarpeias Jupiter arces. L.

quod *Hebraeum* vocabulum complectitur. Sacrificii hic nulla fit mentio, vera itaque indoles ſacerdotii hujus regis ſita erat; non in ſacrificiis animalium mactandis et offerendis, ſed in munerum cum hominibus communicatione, eorumque benedictione. Caeteroquin hac occaſione pro veterum more ſacrificium obtulisſet. Praeterea tanquam ſacerdos ABRAHAMO bene precatus fuit, dicendo, *benedictus* ABRAHAMUS *Deo altisſimo, coeli terraeque posſesſori*. V. בָּרַךְ pr. ſignificat *flectere genua*, inde genubus flexis bene alicui precari, benedicere; *benedicere homini*, hoc est *fausta quaevis ei a Deo precari*, *benedicere* vero *Deo*, *Dei laudes celebrare*, ipſi *grates agere*, ſive iste ritus *genua flectendi* adſit, ſive abſit. Deus quoque *homini benedicere* dicitur, quando cum favore complectitur, et beneficiis ornat. In hac ſolenni benedictione Deum non tantum appellat *altisſimum*, ſed et *posſesſorem coeli et terrae*. V קנה non omnem qualemcunque denotat *acquiſitionem* ac *posſesſionem*, ſed talem acquiſitionem, qua quid posſidetur, ut peculium privum, carum, omni cura custodiendum, neque unquam alienandum; imo ſaepe ipſum complectitur *generationem* per quam liberi, carisſima nobis pignora, acquiruntur. Hoc verbo prima omnium hominum mater EVA, primo filio beata, in historia Mosaica utitur, *acquiſivi*, inquit, *virum*, prolem masculam, *dono Jehovae Gen.* IV: 1. Eo ſenſu dicit ſumma Sapientia *Prov.* VIII: 22. *Jehova posſedit me principi-*

cipium viae ſuae (*g**). MELCHIZEDECUS hoc titulo Deum deſcribit tanquam *genitorem*, id est Creatorem, Patrem, Poſſesſorem, ac Dominum univerſi mundi ſupremum, hoc opus ſuum, hanc posſesſionem, quam ſibi creationis jure acquiſivit, cari inſtar peculii, curantem, custodientem, conſervantem, atque gubernantem. Non negligendum memoriam *Dei altisſimi*, tanquam talis diu apud *Phoenicios* fuisſe conſervatam; a SANCHONIATONE enim narratur Deum Ἐλιοῦν, id est עליון, *altisſimum, genuisſe coelum et terram* (*h*). Ab hoc jam Deo vero, coeli terraeque Creatore et Domino unico, fauſta quaevis, bona terrestria ſpiritualia ac coelestia omnis generis, ABRAHAMO precatur. Perinde est, ac ſi diceret, „ABRAHAMUS ſit Deo ſupremo, totius mundi Crea„tori Patri ac Domino, carus, gratus, acceptus, „eum cum omnibus ſuis ſua cura complectatur, „con-

(*g**) Recte dicit SOCRATES apud PLATON. in *Phaedone*, *homines* esſe κτήματα Θεοῦ, *posſesſiones* Dei, unde colligit eos non esſe vitae ſuae dominos.

(*h*) Non abs re erit dicti SANCHONIATONIS verba ex EUSEBIO hic apponere. Leguntur l. c. haec: κατὰ τούτους γίνεταί τις Ἐλιοῦν καλούμενος Ὕψιςος καὶ θήλεια λεγομένη Βηρούθ, οἳ καὶ κατῴκουν περὶ Βύβλον. ἐξ ὧν γεννᾶται Ἐπίγειος ἢ Αὐτόχθων, ὃν ὕςερον ἐκάλεσαν Οὐρανόν ὡς ἀπ᾽ αὐτοῦ καὶ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς ςοιχεῖον, δι᾽ ὑπερβολὴν τοῦ κάλλους ὀνομάζειν οὐρανόν. γεννᾶται δὲ τούτῳ ἀδελφὴ ἐκ τῶν προειρημένων, ἣ καὶ ἐκλήθη Γῆ, καὶ διὰ τὸ κάλλος, ἀπ᾽ αὐτῆς, φησιν, ἐκάλεσαν τὴν ὁμώνυμον γῆν. L.

„ conſervet, tueatur, foveat; ipſi in periculis et ca-
„ lamitatibus porro adſit propitius, ipſi conſulat!
„ cuncta neceſſaria omnisque generis bona in ip-
„ ſum abundanter conferat, beneficiis mactet;
„ tanquam *filius* ab hoc *Patre* custodiatur, defen-
„ datur, foveatur, ornetur." — Haec dicit, non tantum tanquam amicus, tanquam homo vulgaris, ſed et tanquam *Veri Dei Sacerdos*, cujus hoc erat officium hominibus bene precari. habebant itaque hoc preces majorem virtutem; tanquam Sacerdos precibus pro ABRAHAMO apud Deum intercedit, Dei gratiam ac favorem ipſi in perpetuum conciliare ſtudet. At vero non tantum ABRAHAMO benedicit, ſed et *ipſi Deo excelſo*, et quidem ob hanc rationem, quod *tradiderit hostes in potestatem Abrahami. Benedictus*, inquit, *Deus altisſimus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam.* v. מִגֵּן plus dicit, quam Latin. *tradere*, nempe ex propria *effundendi* vel *profundendi* notione habet *largitatis* et *gratuitae donationis* vim; ſignificat itaque *elargiri gratis*, *ſine compenſatione ac pretio;* eleganter jam et emphatice dicitur *hostes tuos elargitus est in manus tuas*, ſive gratis, dedidit absque damno, pretio, tuorum ſanguine, etiam magna profuſaque liberalitate tantam hostium bonorum et ſpoliorum copiam. Non tantum itaque Numini gratias agit pro reportata victoria, ſed et pro victoria ſine ullo ſanguine aut pretio, nemine ABRAHAMI militum in praelio caeſo, reportata, et pro ſpoliis amplisſimis, una cum captivis. Omnia haec tribuit Numinis gratuito favori, quo ABRAHAMUM

MUM tanquam amicum, et filium ſuum complectebatur. Conſiderat ABRAHAMUM uti veri Dei, pietatis ac virtutis cultorem, justitiae patronum, oppresſorum et tyrannice vexatorum vindicem liberatorem ac ſervatorem; in eo Dei virtutes celebrat, ejus gubernationem laudat, quod talem praeſtiterit ſalvum, eique de tyrannis et oppresſoribus luculentam dederit victoriam. In eo agnoscit paternam ſupremi Patris curam atque benevolentiam, qua ſuos filios, id est probitatis virtutisque ſtudioſos proſequitur. Summis itaque laudibus extollit divinam justitiam, bonitatem, clementiam, virtutes Dei in hoc ſpecimine conſpicuas; ſincera et publica gratiarum actione Dei miſericordiam ac gratiam erga pios agnoscit, veneratur, celebrat. Hanc urget tanquam rationem moventem ad Deum altisſimum ſolum colendum, ad fiduciam in ipſo ſolo collocandam. Hunc uberrimum ſpei atque conſolationis fontem omnibus Dei filiis aperit. Porro publice fatetur, ſe ABRAHAMI cauſam conſiderare ut ſuam; ſe ABRAHAMI amicum ſociumque esſe; eundem amplecti et exercere Numinis cultum, quem ABRAHAMUS. Senſum adeo divitem revera complectuntur haec pauca verba, quae hic fudit MELCHIZEDECUS, recte pro re nata conſiderata, ex quibus tanquam ex ungue leonem agnoscas.

Hac ratione excepit ABRAHAMUM MELCHIZEDECUS; at vero non minus humanum amicum et pium ſeſe praestitit ABRAHAMUS, de-

dedit enim MELCHIZEDECO *decimam partem* ex omni praeda. In textu Hebr. legitur *dedit ei decimam de omnibus*, vel *de universitate*; non autem exprimitur nomen ejus, qui dedit; si verba itaque absolute per se spectentur, dubium videri posset, quis decimas dederit MELCHIZEDECUS vel ABRAHAMUS! Quae tamen difficultas statim evanescit, modo ad animum revocemus, sacerdotes non solere decimas dare, sed accipere. Praeterea S. Auctor *ep. ad Hebr.* clare docet, ABRAHAMUM MELCHIZEDECO tanquam sacerdoti dedisse decimas. Non autem dedit omnium bonorum suorum, sed praedae, quod per se clarum est. Ita quoque verba intellexit JOSEPHUS, et *s. auct. ep. ad Hebraeos* (*i*). Hoc etiam cum antiquarum gentium more convenit, quae decimas non tantum proventuum ex grege vel agro, verum etiam ex praeda bello capta, diis vel sacerdotibus dare solebant (*k*). Hoc modo ABRAHAMUS gratiam MELCHIZEDECO persolvit, retulitque cumulatissime, atque publice hoc actu declaravit; se

(*i*) Conf. JOSEPHUS *Antiq. Jud. Lib.* 1, c. 10, §. 2, *pag.* 32. *vol.* 1. *edit. Haver.* Hebr. 7: 2. L.

(*k*) Conf. XENOPHON *Cyropaed. Lib.* 7, *pag.* 442. *edit. Thieme.* HERODOTUS *Lib.* 8, *pag.* 676 *edit.* WESSELINGII, DOUGTAEI Analect. S. *pag.* 17. Inprimis SELDENI *diss. de Decimis*, *quae Comment.* CLERICI *in Pentateu. subiecta est*, pag. m. 634. *seqq.* L.

ſe MELCHIZEDECUM tanquam unius veri Dei, univerſi mundi creatoris, ſacerdotem agnoscere et venerari; ſe eandem cum ipſo amplecti, profiteri, et exercere religionem; quare mox etiam per eundem Deum, Deum altisſimum, coeli terraeque auctorem et dominum, ſuum tutelare Numen, juravit; ubi a Moſe nomen יְהוָה additur, ne dubitetur, quin Deus altisſimus ſit idem, qui postea Judaeis nomine ſuo proprio *Jehova* innotuit. Quemadmodum MELCHIZEDECUS publice et ſolenniter ABRAHAMI religionem approbavit, ita quoque ABRAHAMUS illam MELCHIZEDECI.

Liquet ergo ex hac Historia SALEMI regem non tantum coluisſe unum verum Deum, verum etiam ejus fuisſe ſacerdotem; quin imo cives hujus urbis, ſubditos hujus regis, vel omnes vel magnam partem eidem cultui fuisſe addictos, et deditos. Populus enim ſolet ad mores atque religionem principis ſe ſe componere; ſolent quoque reges vere pii omnem movere lapidem, ut religionem veram inter cives ſuos rationali modo propagent. Neque poterat MELCHIZEDECUS ſacerdos esſe Dei altisſimi, niſi a popularibus conſtitutus, et hoc ſacro inter eos munere fungens, ſeſe talem praeſtans, omnesque muneris hujus partes implens. Fieri itaque aliter non potuit, quin *Salemi* cives, vel omnes vel plurimi, fuerint veri Dei cultores. En illustrisſimum veri cultus unius Dei, totius mundi creatoris, inter Cananaeos, extra ABRAHAMI familiam, conſervati, et in regno

MEL-

MELCHIZEDECI superstitis, specimen, a MOSE data opera in tam brevi relatione accuratissime memoriae proditum, ut idololatris pudorem incuteret, atque doceret, Deum Optimum Maximum, communem humani generis parentem, ABRAHAMUM ejusque posteritatem in peculium eligendo, reliquos homines non neglexisse, sibique permisisse, ac prorsus repudiasse; sed omnino eorum quoque rationem habuisse, ipsis necessariam cognitionem viamque salutis monstrasse, adeoque eos sua culpa ab ea aberrasse.

Operae vero pretium fuerit, hanc regis ac civium *Salemi* religionem paulo accuratius cognovisse. Praecipua ejus dogmata mox in oculos incurrunt: *Dei unitas*, totius mundi per eum *creatio*, *gubernatio* seu *providentia*, tam *specialis* quam *generalis* et *cultus rationalis* per preces, gratiarum actiones et celebrationem divinarum virtutum et beneficiorum. Sed his limitibus illa haud est coërcenda, verum magis extendenda. Ex dictis enim liquet Religionem ABRAHAMI et MELCHIZEDECI prorsus fuisse eandem; eadem itaque utriusque capitalia dogmata. Amborum religio fuit ea omnium piorum Patriarcharum, ex revelatione divina hausta, atque per traditionem a NOACHO accepta, cum omni ejus posteritate, adeoque toto humano genere communicata; sed alibi citius, alibi tardius, deperdita, tempore ABRAHAMI et diu deinceps adhuc inter varias gentes superstes.

Omnes illi prisci mortales, genuino Numinis cultui adhaerentes, firma fide credebant, [unum

verum esſe Deum, ſpiritum perſectisſimum ac omnipotentem; eum totum hunc mundum, tam materiae quam formae respectu, ſolo omnipotenti jusſu fecisſe, creasſe, ut ſplendidum ſuarum virtutum et beneficiorum esſet theatrum; homines in hoc terrarum orbe collocasſe rationales, qui haec ſpectarent, admirarentur, mundique auctorem et dominum venerarentur, adorarent, colerent: eundem omnia a ſe facta ſua provida cura curare, conſervare, gubernare; ſpeciatim hominibus conſulere, eorumque vitae caſus dirigere; hominum esſe Dei exhibere in hac terra imaginem, ejus justitiam, aequitatem, bonitatem, clementiam, miſericordiam erga creaturas omnes, praecipue naturae conſortes, imitari. Sed non minus convicti erant de corruptione et peccatis humani generis, a Creationis ſcopo magis magisque aberrantis: hunc esſe malorum omnium fontem, omnis miſeriae et lacrimarum ſcaturiginem; omnia bona e coelesti origine derivanda, cum Deus optimus terram jucundum hominum et animantium habitaculum, innumeris bonis et oblectamentis refertum ornatumque, ad ejus incolas recreandos ac oblectandos fecerit. Qui ſi in mutuo amore, concordia et virtute persiſterent, hic tanquam in deliciarum paradiſo viverent. Hominum culpae mala, calamitates, miſeriam omnem, discordias, rixas, certamina, bella, dira odia, eorumque fructus, omnia tribuenda esſe mala, etiam phyſica, ex intemperantia, pravis moribus, bonorumque abuſu potisſimum orta, probe erant perſuaſi et convicti. Probe noverant imaginum et

fal-

falſorum deorum cultum, nec non ſcelera ac peccata in Deum et homines omnia fugienda; pietati et virtuti operam esſe dandam; potisſimum Deum, ſpiritum perfectisſimum, rationali modo, mente pura castaque, colendum esſe. Non latebat ABRAHAMUM, aliosque Israëlitarum majores futurus humani generis *Servator*, qui ſuo tempore peccata expiaret, cunctaque ad primaevam revocaret integritatem et felicitatem, quippe ſtatim post tristem lapſum primis hominum parentibus promisſus; quique crebro tanquam *Jehovae angelus* hominumque patronus et ſervator iis apparuit. Ritus s. atque ſacrificia ſine pio offerentis animo nihil valere, nec religionis esſe animam ſciebant. Non omnis eorum ſpes intra angustos vitae hujus limites concluſa tenebatur, ſed ulterius ad veram atque perennem alterius vitae felicitatem ſe extendebat. Nemo mihi perſuaſerit, eos vitae alterius ignaros, hac parte gentilibus fuisſe minores, quorum Poëtae pasſim praemia et poenas apud inferos canunt; quae licet fabulis involuta ſapientiores viderent, tamen illi probabilem vitae futurae conceperant ſpem. Prisci autem hujus aevi homines pii noverant, ENOCHUM ob probitatem et virtutem Deo prae caeteris adamatum, multo citius ex vita hac raptum fuisſe, quod utique factum non fuisſet, ſi prorſus in morte periisſet. Moribundi in Deo adhuc ſpem et fiduciam collocabant. BILEAMUS, etſi homo nequam, tamen hujus verae religionis principiis imbutus, optat mortem ſuam fore inſtar mortis hominum proborum; ſi autem nihil ex ejus

opinione post mortem ſperandum aut metuendum, voti hujus probabilis ratio reddi nequit. Haec jam fuit religio ADAMI, ENOCHI, NOACHI, ABRAHAMI, MELCHIZEDECI, JOBI, aliorumque piorum Patriarcharum; quam MOSES, ſuam introducens oeconomiam, praeſumit *Israëlitis* probe notam esſe; ob hanc rationem vitae post hanc futurae expresſam non fecit mentionem, licet ex multis indiciis conſtet, eum de ea certo perſuaſum fuisſe. Argumenta et ſpecimina proſtant in libro Geneſeos, aliisque libris MOSIS et JOBI (*k*). Reliquiae hic illic, ex naufragio quaſi conſervatae, in gentium antiquis annalibus reperiuntur. Apud MOSES ejus vestigia ſuperſunt in PHARAONE, *Aegypti* rege, *Geneſ.* XII; in alio deinceps PHARAONE, JOSEPHI tempore, *Gen.* XLI; in ABIMELECHO, *Philiſtaeorum* principe, *Gen.* XX; in alio ABIMELECHO, *Gen* XXVI; in *Hetthaeis*, *Gen.* XXIII; in JETHRONE, MOSIS ſocero, *Exodi* XVIII; dein in *Rachaba*, Jos. II: 9—12. Serioribus temporibus in CORNELIO, *Actor.* X, ubi in primis notatu digna ſunt PETRI verba, vs. 34, 35. ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι ὅτι οὐκ ἔϛι προσωπολήπτης ὁ Θεός. Ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐ-

(*k*) Inprimis antiquisſimus Jobi liber praeclarum exhibet ſpecimen religionis inter *Idumaeos* et *Arabes* verae, post ABRAHAMUM et ante MOSIS aetatem; quam diu adhuc ibi permanſisſe veriſimile est.

αὐτῷ ἐςι. Eandem religionem amplexa fuit, ut videtur, celebris illa *Schebae*, id est *Arabiae* Felicis, regina, quae ſapientiae SALOMONIS fama excitata *Hieroſolymam* ſe contulit, ejus ſapientiam admirata fuit, ac Jehovam propterea laudavit 1 *Reg.* X, ab ipſo Servatore laudata et in exemplum propoſita. Forte veri Dei cultoribus quoque adnumerandi ſunt HIRAMUS, Tyri rex, 2 *Chronic.* II: 11, et CYRUS Perſarum monarcha. Fateor tamen ſpecimina haec non omnia aeque eſſe clara, quod historiae brevitati tribuendum. Sed Idololatriae originem apud varias gentes multo eſſe recentiorem, quam vulgo putatur, liquet ex antiquisſimorum, nunc deperditorum, ſcriptorum testimoniis, quibus uſi fuerunt patres Eccleſiastici, quorum aevo adhuc ſupererant, JUSTINUS MARTYR, ATHENAGORAS CLEMENS *Alexandrinus*, EUSEBIUS, LACTANTIUS, AUGUSTINUS, aliique (*l*). Praeterea novimus *Perſas* et *Chi-*

(*l*) Idololatriae origines in historia veteri fere latere doctorum virorum ſtudia probant. Conf. VOSSIUS *de theolog. gentil. ſeu de origine et progresſu idololat.* in ſer. Oper. T. 5, SELDENUS *de Diis Syris Proleg.* Cap. 3, pag. 25. J. OWENUS *Theologoum. Lib.* 3, c. 3. *ſeqq.* pag. 184. *ſeqq.* P. JURIEU *Histoir. Crit. des dogm.* &c. *part.* 3. c. 2. pag. 404. *ſeqq.* JABLONSKI *in proleg. ad Panthe. Aegypt.* pag. 7. *ſeqq.* MUNTINGHIUS *Geſch. der Menſch.* vol. 1. pag. 248. *ſeqq.* et vol. 3. pag. 208. *ſeqq.*, qui omnes probarunt

Chinenses diu unius veri Dei cultum retinuisse, saltem sanioris religionis apud eos remansisse vestigia (*m*). Eadem quoque apud veteres Indos reperiri, luculentis prolatis speciminibus haud ita pridem probavit ROBERTSON (*n*), eruditus historicus, in docto de veteribus *Indis* libro. In ipsa insula *Otahiti*, per multa secula ignota, et a gentium commercio separata, mansit notitia unius Dei, mundi totius Creatoris invisibilis (*o*). Illustre exemplum priscae verae religionis, diutissime in *Arabia Felice* conservatae, occurrit inter monumenta vetustiora *Arabiae;* duo carmina anti-

ABRAHAMI tempore idololatriam apud aliquas iam invaluisse gentes. Atque illud intelligitur ex ipsius summi Numinis consilio in *Abrahamo* eligendo, ut vera puraque Dei notitia per huius posteros integra maneret. Ipsum autem *Abrahamum* seculi sui labe infectum fuisse, quae nonnullorum est sententia, incertum est, vid. HOVENS in *diss. insert. Op. Societ. Teyler.* vol. 1. pag. 81. MUNTINGHIUS l. c. vol. 3, pag. 221. L.

(*m*) Legantur, quae disputavit de Chinensibus MEINERS l. c. *Lib.* 1. Sect. 5. pag. m. 129. Conferri quoque mereatur DE GUIGNES *Essai Historique sur l'etude de la philosophie chez les anciens Chinois*, Tom. 38. *Mem. de l'Academie des Inscript.* pag. 268. L.

(*n*) *Onderzoek wegens Oud-Indie* pag. 454 *seqq.* L.

(*o*) Legatur FORSTERUS in *Adnot. ad* COOK t. v. Lib. 1. c. 10. *pag.* 289. aliisque Oceani australis insulis, *ibid.* pag. 338 et 340. WILSON *Zendelingreis naar den stillen Oceaan*, vol. 3. pag. 149—151. L.

tiquisſima in *Arabia Felice* inventa ſunt ſuper marmoribus arcium dirutarum, inter annum *quadrageſimum et quinquageſimum Hegirae* quae ex opere *Arabico Geographico Historico exhibuit* A. SCHULTENSIUS, in quorum priore hi notabiles occurrunt verſus:

يليا ملوك يبعدون عن الخنا
شديد علي اهل الخباثة والغدر
يقيم لنا من دين هود شرايعا
ونومن بالآيات والبعث والنشر

ex verſione SCHULTENSII.

Praeerant nobis reges remotisſimi a turpitudine
Vehementes in omnes fraudi et perfidiae deditos.
Hi ſanciebant nobis de Religione Heberi vias regias;
Et fidem habebamus miraculis et reſurrectioni et vitae futurae (*p*).

Ipſum nomen proprium *Heber* non quidem reperitur in textu Arabico, ſed هود *Houd*, quod nomen est antiqui Prophetae, qui ex ſententia nonnullorum est *Heber*. Alias هود denotat *judaeos* et est decurtatum ex يهود. Procul dubio, ſi genuinum ſit hoc monumentum, evidentisſimum exhibet testimonium Religionis antiquae | verae. Dis-

(*p*) Vid. *Specimina monumentorum vetustior. edit. Lugd. Batav.* an 1740, pag. 69. L.

Displicebit forte nonnullis criticis nimia evidentia, major quam in ipsis scriptis *Mosaicis*, in quibus *resurrectionis* et *vita futurae* diserta mentio frustra quaeritur; comparabunt oracula *Sybillina*, atque suspicabuntur Christianos Arabiae incolas, hos versiculos prae fraude finxisse. Mera tamen haec esse videtur suspicio, nulli firmo innixa fundamento.

Apud veteres *Graecos* et *Romanos* quam plurima antiquae verae religionis reperiuntur vestigia. In sermonibus et colloquiis SOCRATIS apud PLATONEM ac XENOPHONTEM multa de Deo; providentia, virtute, atque animae immortalitate, seu vita futura, occurrunt ratiocinia, quae priscam sanam redolent religionem. Secundum CICERONEM animae immortalitatem credidit omnis antiquitas; quae quo propius aberat ab ortu, et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat; deinceps: *credo equidem etiam alios tot seculis disputasse de animis. Sed, quod litteris exstet, Pherecydes Syrus primum dixit animos hominum esse sempiternos* (q). Hujus PHERECYDIS discipulus erat PYTHAGORAS, cujus haec erat sententia: *permanere animos arbitramur consensu rationum omnium.* Apud *Graecos* immortalitatis animorum imago erat ψυχὴ, ex eruca emergens papilio, quia primum vermis, terrae affixus et humi repens, post aliquem quasi somnum volucris evolat, altaque petit. Omnis tamen illa immorta-

(q) *Quaest. Tuscul.* Lib. I. c. 12 et 16.

talitatis ſpes apud *Gr.* et *Rom.* erat dubia, incerta et conjecturalis. Sic quidam apud CICER. dicit ſe ſaepius PLATONIS librum de animo legisſe, *ſed nescio*, inquit, *dum lego*, *asſentior: cum poſui librum*, *et meeum ipſe de immortalitate animorum coepi cogitare*, *asſenſio omnis illa elabitur*(r). Ipſe SOCRATES quam dubitanter loquitur in ſermone ſuo ad judices, qui ipſum capitis damnaverant, apud PLATONEM. Hac enim utitur raciocinatione quam CICERONIS verbis exhibeo, *Magna me*, inquit, *ſpes tenet*, *judices*, *bene mihi evenire*, *quod mittar ad mortem*. *Necesſe est enim*, *ſit alterum de duobus*, *ut aut ſenſus omnino mors omnes auferat*, *aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur* (s), In *Phaed.* Ibidem tamen affirmat veterem esſe hunc de immortalitate animorum ſermonem παλαιὸς, inquit, μὲν οὖν ἐςί τις ὁ λόγος οὗτος ὡς εἰσὶν ἐνθένδέ ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται, καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων. *Vetus quidem hic exſtat ſermo ſuperesſe animas*, *quae hinc illuc abierunt*, *rurſusque hic reverti fierique ex mortuis*. (p. 159.) Egregie apud XENOPHONTEM, CYRUS in ultimo ad filios alloquio immortalitatis ſpem declarat, quae Latine exhibet CICERO in *Catone majore*. Optime *Calanus Indus*, *cum adſcenderet in rogum arden-*

(r) *Quaest. Tuscul.* Lib. I. c. II.

(s) l. c. *Lib.* I. c. 40.

dentem, o praeclarum discessum, inquit, e vita cum mortali corpore cremato in lucem animus excesserit! apud CICER. DE DIVIN. l. I. Omnes veterum Philosophorum ratiocinationes de morte, et animae statu post hanc vitam, inprimis SOCRATIS apud PLATONEM, simul complectitur PLUTARCHUS in libro παραμυθητικῷ πρὸς Απολλώνιον §. XII. In quibus multa praeclara, sed omnia incerta. *Si in hoc erro*, dicit CICERO, *libenter erro.* Certam demum immortalitatis spem et fidem debemus religioni a Deo revelatae. Quicquid sani veterum his de rebus ratiocinationibus inest non tantum tanquam sanae rationis, sed maxime tanquam traditionis, ac priscae sanae doctrinae reliquias et scintillas consideramus. AEGYPTIOS veteres hujus doctrinae non fuisse expertes satis declarat Μετεμψύχωσις, quam vere fieri credebant. Maxime grassante idololatria tamen nonnullos rectius de Deo sensisse satis apparet ex verbis CICER. Tusc. quaest. l. I. *Nec vero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno.* Quin multos veterum credidisse revera *unum tantum verum Deum, mundi hujus effectorem, ac Gubernatorem supremum, eumque spiritum perfectissimum esse*, ex multis testimoniis demonstrari posset, si id nunc ageretur, et ab aliis abunde praestitum non esset. Praesertim haud ita pridem ab eximiis viris, D. WYTTEN-

TENBACHIO, celebri illo PLUTARCHI Editore, et S. H. MANGERO in disputationibus hac de re, a *legati Stolpiani Curatoribus editis* (*t*).

In magna veterum monumentorum iactura multa tamen WYTTENBACHIUS in medium protulit indicia, ex quibus appareat, philosophos eos, qui ante SOCRATEM et PLATONEM floruerunt, plerosque in eo consensisse, Naturam eam, quae causam efficientem moventemque omnium verum contineret, non esse nisi unicam. EURIPIDES, teste L. C. VALCKENARIO, Deorum, quales a Graecis vulgo colerentur, contemtor, unicum agnovisse videtur Deum αὐτοφυῆ, mentem puram, aeternam, atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam: mentem puram a materia longe semotam (*u*). Eadem erat sententia SOCRATIS de Deo supremo, invisibili, uno, licet deos patrios secundum leges coleret. Dua egregia ex XENOPH. (Ἀπομν. I, 2, 17 et Ἀπομν. IV, 3, 13,) protulit WYTTENB. (*Disp cit.* p. 16.), ex quibus liquet, quid de Deo vero ejusque providentia senserit eximius hic Philosophus. Quam senten-

(*t*) Insertae sunt Tom. 3. diss. ad Theol. Nat. pertin. Hisce eleganter scriptis dissertationibus addatur doctissimi MEINERSII *Historia doctrinae de Deo uno et vero.* L.

(*u*) Conf. summi viri *Diatribe in Euripidis perditor. dramat. reliquias*, pag. 36. et *seqq.* Adde CUDWORTHI *Systema Intell.* vol. I. c. 4. §. 19, pag. m. 555. et *seqq.* L.

tentiam tenuit quoque PLATO, qui mundi hujus fabricam ac descriptionem, atque adeo creationem reliquorum, qui vulgo colerentur, Deorum, uni tribuit Deo summo ac Principi (*v*); eum ποιητὴν et πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς vocat, eundemque τὸν μέγιστον Θεὸν appellat, qui ipsissimus est ὁ ὕψιστος ABRAHAMI et MELCHIZEDECI. Unum (*w*) adhuc adscribam testimonium, quod tanquam a SOPHOCLE profectum nobis conservarunt Patres Eccl.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστι, Θεὸς
ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακράν (*x*).

Spe-

(*v*) *In Timaeo*, pag. 526. (De PLATONE non eadem est doctorum sententia. Legantur CUDWORTH. l. c. vol. 1. c. 4, §. 23, pag. 619. et *seqq.* MEINERS l. c. pt. 1, pag. 396, et ejusdem viri cl. *Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften in Griechenland und Rom*, vol. 2. pag. 683. *seqq.*, D. TIEDEMANN *Geist der Spekulativen Philosophie*, vol. 2, pag. 63. etc. WARBURTON, *God. Zending van Moses*, vol. 2, pag. 214. etc. BRUCKER *Histor. Crit. Phil.* vol. 1, pag. 637. et *seqq.* L.)

(*w*) Qui plura desiderat SOCCRATIS aliorumque philosophorum testimonia, evolvat laudatas *Legati Stolpiani* disputationes, CUDWORTH l. c. vol. 1, c. 4, §. 20. *seqq.* pag. 563. *seqq.* TURRETIN *diss. de Theol. Nat. Opp.* T. 1. pag. 47. *seqq.* (LESZ *Uber die Religion* vol. 1, pag. 32 *seqq.*)

(*x*) Laudantur notissimi hi versus a JUSTINO *Mart. Cohortat ad Graec.* pag. 13. *Opp. edit. Sylburg.* CLEMENS.

Specimina haec abunde ſufficiunt (y), clarisſime ex iis liquet veram religionem, et ſupremi Numinis notitiam et cultum non prorſus inter gentes fuisſe exſtinctum et abolitum. Derivanda ea ſunt ex traditione, a ratione adjuta ac illustrata. Palaestina quoque, in gentium politarum vicinia ſita, ſuae lucis radios ſparſit. Non tantum ad exilium Babylonicum usque hic illic inter varias gentes priscae religionis manſerunt reliqui; clarior denuo lux accenſa est per Judaeos, in exilium misſos, ac per varias regiones disperſos; deinde per S.

MENS. ALEX. Opp. T. 1, pag. 63, edit. POTTERI, ex STOBAEI *Eclogis* autem GROTIUS adpoſuit in *Excerpta Veter. Comicor.* et *Tragicor.* pag. 148. CUDWORTHUS eos quoque recitat l. c. pag. 554.

(y) Huc quoque referendum quicquid praeclari de officiis et moribus non tantum in veterum philoſophorum ſcholis docebatur, ſed et in antiquorum legislatorum legibus et inſtitutis reperitur. Tales ſapientes viros Deus in omnibus fere excitavit populis, qui puriorem docerent Religionem et mores reformarent. De *officiis* inprimis accuratisſime disputavit CICERO, qui correctione quadam adhibita, potisſimum, ut ipſe dicit, ſecutus est PANAETIUM, Philoſophum Stoicum, cujus vitam, doctrinam, ſcripta etc. nuper in clara luce collocavit F. G. VAN LYNDEN, *Nobilis Friſius*, dignisſimus WYTTENBACHII discipulus, in erudita et eleganter ſcripta disputatione,

S. Codicem Hebraeum Graece verſum, peregrinis notum factum. Donec, cum, his non obſtantibus, idololatria univerſum fere terrarum orbem occuparet, ipſe Dei Filius, humani generis Servator, de coelo deſcenderet, ut non tantum gentem Judaicam, ſed univerſum humanum genus, Divina luce illustraret, atque ad rectum unius veri Dei cultum revocaret. Hic in memoriam redit, quod fere omiſisſem, inter ABRAHAMI posteros ex ISMAËLE ſemper manſisſe gentem, unum verum Deum colentem, ab idololatris impiam habitam, atque inde a MAHUMMEDIS tempore *Ismaëlitas*, ſive *Saracenos*, unum ſolum Deum colere, licet ab impostore hoc decepti in multis errent.

Si jam ad haec mentem advertamus, lux *in tenebris* orietur; Numinis ſapientia, justitia, aequitas et bonitas, in mundi regimine conſpicua, magis elucebunt. Exiſtimant vulgo jam ABRAHAMI tempore omnes terrarum orbis gentes, deſerto uno vero Deo, idololatriae deditas ac immerſas fuisſe; ſolum ABRAHAMUM tanquam torrem ex igne ereptum, veram Eccleſiam angustis ejus domus limitibus circumſcriptam fuisſe. Quam horrendum autem hic oritur ſpectaculum! ex ABRAHAMI posteris dimidia pars, *Ismaëlitae* paucis exceptis, et *Idumaei*, a veri Dei cultu defecit, in ſola JACOBI manſit progenie. At vero, quoties illa idolomania fuit infecta ac commaculata! in longo verſus *Cananaeam* itinere, in *Arabiae* deſerto vagans, deinde ſub Judicum Regumque imperio. Inter *Israëlitas* aetate ELIAE ſeptem tantum mille ſu-

ſupererant, qui genua *Baali* haud inflexerant! quot in *Judae* regno verae religionis et pietatis, praeſertim regnantibus improbis Regibus, deſertores! ſaepe, maxima populi pars hac laboravit peste, omniaque eluſit remedia, a Prophetis aliisque piis viris adhibita. Sic vix rari ſalvi evadent, paucitas puſilla, cum immenſo pereuntium numero non comparanda! quid de caeteris fiet gentibus? an omnes a ſupremo mundi Judice condemnabuntur? an veriſimile est Deum Optimum Maximum, hominum amantisſimum, omnes omnino gentes deſerere, negligere, ſibique permittere, ſoli Judaeorum genti coelesti revelatione conſulere voluisſe? Equidem non ſine horrore de ſevera rigidorum nonnullorum Theologorum ſententia unquam cogitare potui, qua ſalvandorum numerus tam ſit exilis! clementisſimus, hominumque amantisſimus Servator cuidam temere roganti, *an pauci, qui ſervantur?* nihil respondit aliud, quam hoc, *contendite vos intrare per angustam portam, Luc.* XIII: 23, 24. Multi ſane teste eodem venient ab Oriente et Occidente, ex omnibus mundi plagis, qui accumbant in regno coelorum.

His divinae Revelationis hostes utuntur armis, ad nos debellandos, ſed e manibus eorum elabentur, quam primum videant, Deum non tantum *Rationis*, verum et *Revelationis* lucem omnibus omnino populis, univerſo mortalium generi accendisſe, diuque conſervasſe, adeo ut luce clarius appareat, idololatras ſua culpa ab uno vero Deo, mundi totius Creatore ac Domino, defecisſe, atque

que ſua ſponte in perniciem ruere, ſaltem eorum errorem nunquam fuisſe invincibilem. Quod ſi enim traditionis ſcintillulis, Rationis luce magis illustratis, recte uſi fuisſent, nunquam ad tam abſurdas, ridiculas, atque rationali homine indignas de Deo, rebus Divinis, mundi Origine, et Religione prolapſi fuisſent opiniones. Quemadmodum clarisſime apparet ex tot eximiis viris in omni polita gente, rectius de his ſentientibus, metu quidem has ſententias vulgare prohibitis, cum discipulis tamen eas communicantibus, atque id operam dantibus, ut populorum mores reformarent. Quales Deus fere ubique terrarum, et per omnia excitavit ſecula, ut mortales ab extrema dementia et corruptione ad meliorem mentem frugemque revocaret. Quantopere homines et gentes Deo altisſimo ſemper curae cordique fuerint, vel luculenter ex illustri Ninivitarum exemplo liquet, quorum exitium, ut ſalva ſua ſanctitate impedire posſet, miſit ad illos prophetam JONAM, poenitentiae praeconem, qui eos in virtutis viam reduceret.

Praeterea ſi hoc oculo gentes veramque ſpectemus religionem, optime Christianae religioni conſulemus. Hac enim ratione manifestum fiet, veram religionem ſemper esſe et manere *eandem*. Nimirum veritas una, ſimplex, ſemper eadem et mutationis expers est. Unde ergo, inquiunt adverſarii, illa verae religionis mutatio et diverſitas? alius enim Numinis cultus tenuit locum, et quidem divinitus inſtitutus, ante legem MOSIS; alius ſtante veteri oeconomia; alius post Servatoris adventum. Omnis haec

haec difficultas illico tanquam nix coram ſole liquescit, modo id probe habeamus perſpectum, religionem, quod ad animam, ſive nucleum ejus, ſemper manſisſe eandem et inviolabilem, tantum accidentia fuisſe mutata. Scilicet cultus Numinis ante legem Mosis, Abrahami aevo vigens, ſi animae et medullae tantum ratio habeatur, non differt a cultu Euangelico, nec is per cultum caeremonialem fuit mutatus; tantum ob graves rationes lex caeremonialis, tanquam additamentum, vel accidens, accesſit, quae ſolam obligavit nationem Judaicam, et quidem in terra ſancta habitantem usque ad Messiae adventum, caeteros populos nunquam obſtrinxit. Quare Poetae S. in Pſalmis, et Prophetae in ſuis ad populum ſermonibus ſaepe declarant, Deum ſacrificiis ritibusque externis non delectari, ſed animo vere poenitente, Dei et virtutis amore imbuto, ſanctaque vita, et praecepta inculcant moralia; ad justitiam, aequitatem, clementiam, miſericordiam, hominumque amorem revocant, atque de omni ſcelere, nequitia, injuria, dolo, fraude dehortantur, et propter haec crimina et idololatriam ſeveras intentant minas. Cultum Dei rationalem, ex animo ortum, cum virtutis exercitio conjunctum, bonis operibus foetum, aeque ut N. F. Scriptores, et ipſe Servator, tanquam religionis animam conſiderant, qua deſtituta religio foetidum ſit cadaver, mera ſuperſtitio, Deo valde displicens, quod jam ipſe Moses hic illic haud obſcure innuerat.

Prisca religio Patriarchalis ſemper manſit ſalva, nec per Euangelium alia facta fuit mutatio, quam quae ex Servatoris praeſentia non poterat non fieri. In hoc enim cardine verſantur ratiocinia PAULI *Apostoli* in *Epistolis* ad *Romanos* et *Galatas*. Propterea omnes invitat ad fidem ABRAHAMI, eumque *omnium credentium patrem* appellat, MOSISQUE legem abrogatam esſe docet, eam enim promisſioni ſuperaccesſisſe, non *Gentium* ſed *Judaeorum* gratia. Lex MOSIS, ſolis lata *Judaeis*, mutari potuit, et praeſente Mesſia necesſario mutanda erat; nec templo et Republica deſtructis obſervari amplius potest, quippe quae his adſtricta est. Sed *regia ſalutis via*, ab externis caeremoniis ſeparata, fides in Deum et Servatorem viva, bonis operibus foeta, cultus Numinis rationalis ſemper manet. Hoc ſane ſenſu *Christus heri, hodie, et in ſecula idem est Hebr.* XIII. Tandem et *Judaei* et aliae antiquae gentes multos ritus externi cultus, in ſe bonos, a Patriarchis jam uſitatos, imitati ſunt. Hinc nonnunquam tanta inter ritus judaicos ac idololatricos ſimilitudo et convenientia. Neque in his Judaei imitati ſunt Gentiles, neque hi Judaeos, verum originis ſunt antiquioris, atque ab utrorumque majoribus orti. Hanc antiquam veram religionem praeſumit MOSES *Israelitis* esſe notam, a majoribus ipſis traditam, hactenus conſervatam, et uſitatam, idololatria licet commaculatam: huic ſuam exteram Oeconomiam politico — eccleſiaſticam addidit inter

alia,

alia, ut gentem Israeliticam a fictitiorum Deorum cultu, indies magis magisque crescente, arceret, quantum fieri poterat craſſo eorum ingenio, moribus, ac amori cultus externi, ſplendidi, cum reliquarum Gentium cultu religioſo hac parte convenientis, indulgens, modo hac ratione in veri Dei cultu conſtantes manerent, atque ab idolorum cultu immaculati. Sic intelligimus, quare multa verae religionis dogmata omiſerit. Sed haec hactenus.

DISSERTATIO

DE

ARGUMENTO LIBELLI

JONAE,

Et Veritate ejus Historica.

§. I. Quamvis Veteris oeconomiae tempore ſpecialis Dei cura et providentia potisſimum circa Judaeos verſaretur, quam gentem foedere ſibi arctisſime junxerat, cujus Numen et Rex eximio et ſingulari modo erat; cui ſuae voluntatis dederat revelationem, ad quam continue prophetas, tanquam ſuos legatos, mittebat: tamen multis luculentis ſpeciminibus demonſtravit, ſe aliarum gentium curam non depoſuisſe, ſed tanquam communem humani generis Creatorem Patremque et illis proſpicere. Recte THEODORETUS πάντας ἀνθρώπους δημιουργήσας ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, πάντων ὁμοίως διατελεῖ προμηθούμενος. εἰ καὶ πλέον πάλαι ποτὲ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐπιμελούμενος ὤφθη, καὶ τοῦτο δὲ εἰς κοινὴν ἁπάντων ἀνθρώπων εὐεργεσίαν ἐποίει. *Deus univerſo-*

rum,

rum, qui omnes homines creavit, omnium curam gerere perſeverat, tametſi plus olim nonnunquam Iſraëlitas curare viſus est, ſed et hoc ipſum ad commune omnium hominum beneficium faciebat (*a*). Illustribus hoc confirmari posſet exemplis, ſi id nunc ageretur. Inter omnia eminet exemplum prophetae JONAE, Dei Opt. Max. ad Ninivitas legati, eum in finem misſi, ut praedictione inſtantis urbis *Ninives* ruinae eos ad meliorem mentem frugemque reduceret, atque hac ratione praeſentisſimo periculo eriperet. *Ninive*, ſive *Ninus*, quo nomine ab aliis auctoribus inſignitur, ingentis et ſtupendae magnitudinis urbs, *Asſyriorum* metropolis et regia ſedes, circa tempora JEROBOAMI II. *Israëlitarum* regis, quando JONAM vixisſe et prophetae munere functum fuisſe liquet ex II *Reg.* XIV: 25, incolarum numero, potentia et opibus quam maxime florebat; ſed incolae, inde a rege et optimatibus ad infimam plebem usque, luxu diffluebant, injustitiae aliisque criminibus dediti, iisque toti immerſi erant, adeo etiam usque, ut Deus ſupremus humani generis rex et judex, ſalva justitia ſua, ſcelera haec diutius impunita ſinere non potuerit; ſed necesſe duceret miraculoſa hujus tantae urbis ruina, aeque ac everſione *Sodomae* et *Gomorrae*, reliquis nationibus dare exem-

(*a*) Ita in *interpretat. Jonae*, *Opp.* T. 2, part. alter. pag. 1458, edit. SCHULZII.

emplum, in quod intuentes a peccatis, exſtantioribus ſaltem, deterrerentur. At vero clementisſimus humani generis pater, tantae urbis miſericordia motus, mittit prophetam JONAM, qui ejus civibus everſionem, post XL dierum ſpatium exſecutioni mandandam, praediceret, hac mente, ut tanti mali propinquitate moti quantocius cum ſincera reſipiscentia ad Deum et virtutem redirent, ſalvique evaderent. Licet enim JONAS hanc conditionem addere non fuerit jusſus, nec illa prophetae claris verbis indicata fuerit, tamen hoc Dei fuisſe propoſitum ex ipſa rei natura, ex prophetae misſione, caeterisque rebus circumſtantibus, ipſoque eventu certum est. JONAS autem, variis de cauſis deinceps proferendis, a legatione alienus *Tarſin*, *Hispaniae* urbem, fugere conatur; eum in finem ingreditur navem, eo ex *Joppes* portu tendentem. Vix navi commisſa mari vehemens oritur tempestas, praeſentisſimum minans naufragium. Territi nautae ſuſpicantur, aliquem immani commaculatum ſcelere, quem divina vindicta perſequatur, esſe inter hujus itineris ſocios. Sorte, pro ſuperſtioſo veterum more, rem explorant, Deo ita dirigente tangitur et detegitur JONAS (*b*). Is crimen contra Deum *Israelis*, ſu-

(*b*) Quamvis Numinis providentia hoc ſingulari in caſu rem ita direxerit, ut ſors tetigerit ſontem, qui ſtatim crimen confesſus est, non tamen ſuperſtitioſum hunc morem approbavit.

supremum totius mundi Dominum, commissum confitetur, et tandem ipse id rogans, aliis evadendi conatibus nequicquam factis, in mare praecipitatur. Nec tamen aquis suffocatus, sed per Divinam providentiam a magno pisce deglutitus, tres dies noctesque in piscis ventre delituit. Tum a pisce vomitu in terram ejectus, denuo *Ninivem* ire jussus, Deo se praebet dicto obedientem. Alta voce, per urbis plateas obambulans, ejus instantem praedicit interitum. Huic praedictioni fidem adhibent rex, proceres, et incolae omnes; publicum et solenne indicitur jejunium, cuncti vera cum poenitentia scelera sua confitentur, resipiscunt, sumunt serium vitae emendandae propositum, ad divinam confugiunt misericordiam. Propheta interim suo munere defunctus urbe egreditur, parvum facit tugurium, in quo commorans observaret, num urbs post definitum temporis spatium interiret nec ne; clementissimus autem Deus videns universalem et sinceram resipiscentiam, poenitentia ducitur, θεοπρεπῶς dictum sit, urbemque eo temporis spatio elapso servat illaesam et incolumem. Contra JONAS, XL diebus elapsis civitatem salvam manere videns tristitia obruitur, indignatur, quin cum Deo expostulat. Quam vehementer animus ejus fuerit commotus, narratur Cap. IV. 1—4. ubi observandum vs. 5 parenthesi includendum, et verba esse in *plusquam perfecto* hoc modo reddenda, *nam egressus erat ex urbe* etc. Ordine enim vero et naturali prophetae ex urbe egressio, et commoratio in tugurio praecedit

 ejus

ejus indignationem. Duo in historia hac occurrunt nostra attentione digna I. *Numinis bonitas clementia*, *et misericordia*. II. *Prophetae immisericordia*, et *vehemens propter Dei clementiam indignatio*.

§. II. Quod ad Dei bonitatem attinet, ipse propheta eam aptissimis et emphaticis epithetis describit, vivisque depingit coloribus dicens Cap. IV: 2. noveram te esse אל חנון ורחום ארך אפים ורב־חסד ונחם על־הרעה. Vocat Deum חנון *gratiosum*. Verbi חנן pr. notio est in *tinnulo* et *stridulo* gutturis sono, quem animalia edunt, quo tenerrimum erga foetus suos demonstrent amoris affectum, quem *Graeci* στοργὴν vocant. Quod quidem nunc, ex magni A. SCHULTENSII doctrina notum et vulgare est, sed hic non negligendum, quia tenerrimum Dei Opt. Max. amorem, quo homines tanquam liberos suos patris optimi instar complectitur et prosequitur egregie exprimit. Ipse *Illustris* MICHAËLIS hanc primariam notionem agnoscit in *supplem. ad lex. Hebr.* (p. 845.) *prima verbi vis*, inquit, *in arguto sono et gemitu*. Ex hoc fonte profluxerunt notiones *miserationis*, *tenerrimi amoris*, qualis est matris vel patris, *gratiae*, etiam supplicationis, stridula et lamentabili voce factae, et cum suspiriis gemituque conjunctae. Sentitur *argutior* et *flebilis sonus* ex gutture editus *Ps.* XXVIII: 2, *audi vocem stridoris mei*; in Hitph. *deprecari* pr. stridula voce veniam opemque implorare. Ad primariam notionem respicitur *Job.* XIX: 17, ubi vid. SCHULTENS.

TENS. Usus tenerrimi amoris materni evidens exemplum occurrit in EUTYCHII *annalibus* (p. 282), ibi ALEXANDER M. in ultima epistola ad matrem, quae ipsi ab hoc auctore tribuitur, eam vocat matrem suam الحنينة لي حناة *benignam, misericordem*, tenerrimo amoris affectu filium complectentem, ubi חנון et רחום eodem modo, uti hic conjunguntur. Quod posterius non est superfluum; prius exprimit στοργὴν, posterius tenerrimae commiserationis affectum erga miseros, רחם pr. *mollis* et *tener fuit* eximie adhibetur de *tenerrima misericordia*, uti Gr. σπλαγχνίζεσθαι. Porro ארך אפים, *longanimis*, proprie *longitudo* vel *prolixitas narium*. quem usum substantivum habet *Jer.* XV: 15. Verum per metonymiam, qua abstractum pro concreto ponitur, *longitudo narium* dicitur de homine longas nares habente. Nimirum nasus et nares, ut eruditis notum est, a veteribus pro *irae sede* habebantur; ex longis naribus irae scintillae, ut ita dicam, non facile erumpunt. Est ergo descriptio *longanimis*, lenti et tardi ad iram; contra *brevis narium* dicitur *iracundus*, ad iram pronus. Eandem opinionem Graecis et Romanis placuisse demonstravit J. CASAUBONUS ad hunc THEOCRITI versum:

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται (c).

In

(c) Conf. editio DANIELIS HEINSII pag. 238. seqq. L.

In primis Orientalibus haec idea placuit, ut SCHULTENSII variis in locis docuerunt (*d*), quod de Deo *θεοπρεπῶς* intelligendum. Qui describitur tanquam רב־חסד, largissima atque inexhausta benignitatis, bonitatis, et libertatis instructus vena. Prophetae menti obversabatur locus *Exod.* XXXIV: 6, 7. Deum quoque vocat נחם על־הרעה, *quem facile mali poeniteat*, qui continens sit in poenis inferendis, lento gradu ad vindictam procedens, et facile placabilis.

§. III. Tam ex universa hac historia, quam descriptione Prophetae liquet, Deum patris amantis instar erga creaturas suas, eximie homines, esse bonum, quin optimum; erga peccatores longanimem, miseros misericordem, resipiscentes gratiosum, placabilem, magis ad bonitatis et gratiae, quam rigidae justitiae exercitium inclinatum, adeo ut nihil magis desideret; quam peccatorem salvis suis virtutibus, quas abnegare nequit, salvare; nulla re magis delectetur, quam peccatoris resipiscentia, vita, et felicitate; atque ita affectus sit erga omnes homines et gentes sine discrimine ullo. Quae constans est S. literarum doctrina. Non tanta Dei est bonitas, ut velit peccatorem sua sponte contumaciter in criminum scelerumque sordibus haerentem, et in peccati servitute perma-

(*d*) Conf. ALB. SCHULTENSIUS *Comment. in Job.* pag. 177, ad *Proverb. Salomon. pag.* 142, imprimis *in Origin. Hebr. Lib.* 1. *pag. m.* 26. et seqq. L.

manentem, impunitum dimittere, minime vero; ſed ut lentus ſit ad iram, ad vindictam tardus, et velit peccatori delictorum dare veniam, modo poſſit ſalva majestate ſupremi mundi regis, ſalva justitia judicis humani generis. Ex justitia proficiſcebantur minae ſubitae ruinae, *Ninivitis* intentatae; ex clementia et bonitate venia reſipiſcentibus data, magnaeque hujus civitatis conſervatio. Pravitas, malitia, eorum tanta erat, in tam ingentem aucta cumulum, ut *adſcenderet ad faciem Dei* Cap. 1: 2. Crimina et ſcelera tam enormia, adeo multiplicata, ut alta quaſi voce vindictam clamarent, et Deus tanquam justus humani generis judex ſalva justitia poenam amplius differre non poſſet. Crimina omnem modum et menſuram excedentia coram Divino tribunali quaſi comparebant, promptam poenam et vindictam flagitantia. רעה, *malitia*, pravitas, nomen generale omnia prava facinora, ex corrupta indole orta, complectens uti *Gen.* VI: 5, uſu ſpeciali de *discordiis*, rixis, contentionibus et pugnis adhibetur *Jud.* IX: 23. *Prov.* XII: 20. Hic, *Cap.* III: 8, quisque dicitur *converſus a via ſua*, id est vita, *prava, et a crudelitate, quae in manibus ipſorum.* Si jam animum advertamus ad vitia, quae plerumque in magnis urbibus grasſari ſolent, omnino cogitandum de discordiis, rixis, pugnis, injuriis, vexatione et oppresſione hominum innocentium pauperum et tenuium; praeterea de luxu et effreni libidine, varioque ſcelerum genere. Cogitandum de justitia ſupremi judicis, quemadmodum verſari ſolet non circa ſingulos homines, ſed integras gentes, civita-

tates, ſocietates, quae in hac tantum vita exiſtunt, et praemia reportare aut poenas luere ſolent. Menſura criminum et ſcelerum hujus civitatis plena, adeoque exemplari poena adficienda erat. Tanta tamen Numinis erat bonitas atque clementia, ut prius ultimi remedii periculum facere vellet, quam tantam civitatem perdere. Hoc conſilio Jonam mittit legatum, qui Dei juſſu verbisque inſtantem urbis ruinam praediceret, ut his minis territi reſipiscerent, et ſalvi evaderent. Etſi autem Deus de hoc ſuo propoſito nihil Jonae indicaverit, tamen hunc legationis ſuae finem probe perſpiciebat. Quod bene obſervavit Theodoretus, de eo dicens ἐσκόπησε γὰρ, ὡς οὐκ ἂν προεμήνυσεν, εἴπερ κολάσαι ἐβούλετο. ἀλλὰ μετανοίας ἐςὶ δήπουθεν προτροπὴ τῆς τιμωρίας ἡ ἀπειλή. *Conſideravit enim, illum praenunciaturum non fuisſe, ſi punire voluisſet, ſed ſupplicii comminationem esſe adhortationem ad poenitentiam* (d*). Cum autem *Ninivitis* non faveret, onus hoc a ſe amoliri conatus fuit, ſed nequicquam; Deus enim rem ita direxit, ut Jonas non tantum ex fuga fuerit retractus, verum ipſa haec fuga inſerviret *Ninivitis* ad reſipiscentiam incitandis; quippe quae occaſionem praebuit magno isti miraculo, quo Jonas in mare praecipitatus, in grandis piscis ventre ſervatus, ſalvus ex praeſentisſimo hoc evaſit periculo; quod *Nini* civibus per illos nautas, aliosve itineris ſocios, innotescens, ipſis de Divina prophetae legatione, et indubitata praedictionis veritate, cui cae-te-

(d*) l. c. pag. 1463.

teroquin fidem non habuisſent, ſed quam potius contumelioſe rejecisſent, perſuaſit.

§. IV. Hic enim praeconii Jonae fructus fuit, ut narratur Cap. III: 5. ויאמינו אנשי נינוה באלהים *Ninives incolae Deo firmiter crediderunt*, illam Vatis denunciationem tanquam veram, certam, indubitatam et divinam receperunt, urbemque post definitum temporis ſpatium interituram crediderunt, ſi in peccatis perſeverarent. De alia fide hic non est cogitandum, et de conditione ex ipſo hoc nuncio aliquam conceperant ſpem. Sic Deus dixit Abimelecho *Gen.* XX: 3. *morieris propter mulierem hanc, quam rapuisti*, quae minae hanc conditionem tacite incluſam habent, *niſi mulierem marito reſtitueris.* Licet autem ſecundum humana conſilia hujus ingentis atque potentis urbis, potentisſimae monarchiae metropolis, tam repentinus caſus minime esſet veriſimilis, tamen Prophetae fidem adhibuerunt, ſed ex ſolo rationis lumine de Numinis Opt. Max. bonitate et clementia perſuaſi, ex ipſo hoc nuncio, quem utique frustra non miſisſet, aliquam concipientes ſpem, judicarunt cauſam ſuam haud esſe desperatam; verum posſe hoc tantum malum ſincera poenitentia, fervidis precibus, et vitae emendatione averruncari. Ipſe itaque rex de throno descendit, ſplendidis vestibus depoſitis lugubrem induit ſaccum, atque pro Veterum, in magno luctu, more *ſuper cinere* conſedit. Ad ejus exemplum ſe componit omnis populus; omnes aeque proceres ac plebs ejus obediunt mandato, luctus fit per totam ur-

bem

bem universalis. Cuncti lugubribus amicti vestibus cibo potuque abstinent, et ad Deum clamant. Quod attentione dignum est, ipsa animalia bruta, boves et pecudes, alimento omni prohibentur. Cujus facti hanc rationem jam dedit THEODORETUS, ὡς ἂν τῷ λιμῷ πιεζομένων, καὶ τῶν μὲν μυκωμένων, τῶν δὲ βληχομένων, καὶ ἑκάστων τῇ οἰκείᾳ κεχρωμένων φωνῇ, θερμότερα μὲν οἱ ἄνθρωποι προσενέγκαιεν δάκρυα, ἀνοίξαιεν δὲ τοῦ Θεοῦ τὰς τοῦ ἐλέου πηγάς· *Ut his fame pressis, et partim mugientibus, partim balantibus, et suam singulis vocem promentibus, ferventiores lacrimas homines funderent, divinaeque misericordiae fontes reserarent* (e). Recte etiam SULPICIUS SEVER. *jumenta, et diversi generis animalia, compulsa fame et siti, lamentantium speciem cum hominibus praebebant*, Sane non parum haec faciunt ad publicum luctum augendum. Idem apud alios populos usu erat receptum. Ita VIRGIL. magnum luctum describens *Ecloga* V, vs. 24.

Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque
(amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

In

(e) l. c. pag. 1472. Mihi quidem dubium non est, quin versus 6, 7, 8 et 9. *Cap.* 3. a seriori quodam auctore sint additi, ut significaret gravem omnino fuisse Ninivitarum luctum, quem e sui temporis more vividis depinxit coloribus. Nullus, ut opinor, negabit hisce versibus, rumpi orationis seriem, et commata 10 arcte cohaerere cum vs. 5. L.

In primis mirum videri posſet, ipſa quoque jumenta ſaccis, ſeu vestibus lugubribus, operiri, quod tamen non magis mirandum, quam in hodiernis funerum pompis equos nigris ephippiis vestiri. Alia quoque magni luctus ſigna in jumentis ostendere ſolebant. Sic *Perſae* in praelio cum *Graecis* magno equitum magistro MASISTIO amisſo, in ſignum luctus non tantum ἑαυτοὺς ἔκειρον, ſed et ἵππους καὶ ἡμιόνους, teste PLUTARCHO in *Aristide* (§. XIV.) At vero non tantum *Nini* cives gravem prae ſe ferunt luctum, non abſtinentia ſolisque precibus defunguntur, ſed et deſerunt pravum vitae inſtitutum, *avertuntur quisque a via ſua prava* etc. Cap. III: 8. Quod de ſerio firmoque vitia deſerendi propoſito intelligendum est. Firmo itaque et bene deliberato animi conſilio ſtatuunt in posterum ſibi a pravis facinoribus cavere, et virtuti ſtrenue operam dare. Hac ratione naſcebatur opportuna gratiae occaſio; Deum enim videntem opera ipſorum, averſionem a vita prava, *poenituit hujus mali, quo ſe dixerat* eos affecturum, nec affecit. Cap. III: 10.

§. V. Hanc Ninivitarum poenitentiam et converſionem veram et ſinceram, non falſam et ſimulatam fuisſe, ortam ex animo peccata dolente et averſante, nulli dubitamus; namque clare dicitur, unumquemque *reverſum*, vel *averſum fuisſe a via ſua prava et a crudelitate ſua.* Hoc demum demonſtrabat poenitentiam esſe ſinceram; ſparvi apud Deum valoris fuisſent publica illa luctus ſigna, et preces, niſi accesſisſet vera poenitentia.

ſin-

ſincerum ac efficax vitae emendandae propoſitum. Tum Deum mali poenituit, cum videret opera ipſorum; cum ipſo facto demonſtrarent, ſe pristinum vitae genus ſcelestum averſari. Propter fucoſam reſipiscentiam Deus justus, ſanctus, omniscius urbi non pepercisſet; nec Servator Ninivitas Judaeis in exemplum propoſuisſet, uti fecit *Matth.* XII. Non tamen fuisſe videtur reſipiscentia cum fide in venturum mundi Servatorem conjuncta, cujus nulla vola aut vestigium, indicia nulla, hic comparent. Effectus erat praeconii JONAE, qui tamen nihil aliud annunciaverat, quam civitatis propter publice grasſantia ſcelera ſubitam everſionem Non venerat tanquam novae Religionis doctor, tantum inculcabat, ſe a Jehova, Judaeorum Deo, ſolo totius mundi Creatore et Domino, a quo cunctarum gentium et ſingulorum hominum fata dependeant, ſupremo actionum humanarum judice misſum esſe, ut eos a vita prava et immani crudelitate averteret; et in virtutis viam reduceret, minando ſubitam urbis ruinam, a Deo ſcelerum vindice efficiendam. Etſi vero JONAS id animo non intenderit, ut civitatem hanc emendaret et ſervaret, hoc tamen Dei erat conſilium, eventu comprobatum. Fieri potuit, ut hac occaſione nonnulli accuratiore verae Religionis cognitione fuerint imbuti, et non tantum pravis moribus atque ſceleribus, verum et ipſi idololatriae valedixerint, quippe nunc perſuaſi ſolum Jehovam verum esſe Deum totiusque mundi ſupremum Dominum: ſed historia tacente nihil temere fingendum est.

§. VI.

§. VI. Docetur hic magni momenti veritas, ſupremum humani generis judicem ad gentium mores attendere, atrocisſimis ſceleribus commaculatas et immerſas, luxu perditas, jus publice violantes, impune in innocentes grasſantes, eorum ſanguine inquinatas, omni Numinis excusſo metu continue in pejus ruentes, non diu ferre posſe; non tamen earum poena et pernicie delectari, lento gradu ad vindictam procedere, et non niſi variis remediis frustra adhibitis. Praeterea gentes magnasque ſocietates, in hac tantum vita existentes, etiam hic puniri aut praemiis ornari; posſe Deum ſalva ſua majestate, justitia et ſanctitate, iis parcere, ſi reſipiscant, pravoque vitae inſtituto deſerto, ad virtutem redeant; miſericordiae, continentiae, castitati, justitiae, aequitati, humanitati, aliisque virtutibus ſocialibus operam dent; ſi vexationem omnem, et tyrannicum tenuium oppresſionem, aeque ac callidas fraudes, in aliorum perniciem ſtructas, ſummo ſtudio vitantes et detestantes, ſeſe veros patriae, civium, omniumque hominum, qua talium, praeſtent amicos. In omnium gentium historiis providae Numinis curae ſpecimina reperiuntur, qua illas ad virtutem excitare allaboravit. Vere dici potest, magnos viros, egregios philoſophos et legislatores non ſine Deo fuisſe excitatos, ſine quibus ſi fuisſet, terrarum orbis in latronum ſpeluncam fuisſet converſus. At vero prorſus extraordinaria ratione *Nini* incolas a vitiis et ſceleribus in virtutis viam re-

vocavit, atque ita ab interitu servavit. Cujus facti Deum sapientissimas habuisse rationes nulli dubitamus. Voluit hoc illustri exemplo publice declarare, omnes totius mundi nationes sibi curae cordique esse, et publice docere, quid gentes timendum vel sperandum habeant; Judaeis quoque perversam illam philautiam, quasi ipsi soli a Deo dilecti, caeteri mortales omnes exosi et contemti essent, eripere. Quin hac solenni et extraordinaria legatione Euangelio quasi praeludere et docere voluisse videtur, fore tempus, quo populorum discrimine sublato Numinis legati ad cunctas mitterentur gentes, quae aeque ad Dei communionem et gratiae foedus admitterentur, ac Israëlitae; imo Judaeis incredulis et Messiam proterve rejicientibus praeferrentur; hoc quoque Ninivitarum exemplo Judaeos de contumacia ac indole perversa convincere, qui tot Numinis legatos contumeliose rejicientes, tot adhortationes, Dei verbis factas, negligentes, vitiis et peccatis secure indulgebant; tandem itaque repudiationem et excidium incredulae ac rebellis nationis Judaicae, per Romanos exsequendum, esse aequum justumque, quem in finem Servatorem nostrum hoc exemplo usum fuisse novimus, Matth. XII.

§. VI. Videamus jam quo animo hanc Dei bonitatem, hanc erga resipiscentes Ninivitas clementiam, tulerit JONAS. Quis non putaret JONAM quoque φιλανθρωπίᾳ et misericordia motum laete Numinis benignitatem celebraturum? sed nihil horum,

rum, contraria omnia de eo perhibentur. *Aegre ei fuit aegritudine magna, indignatione et ira exarſit* Cap. IV: 1. Quae obſecro hujus tantae indignationis ratio? Cur Propheta Ninivitis infenſus jam ſtatim eos ad poenitentiam adhortari detrectavit, et cum id tandem facere coactus esſet, urbemque ſervari videret, indignatione commotus cum Deo expostulavit? (1) Putasſe videtur, ſe ita tanquam falſum vatem, ipſamque Dei veracitatem et potentiam ludibrio haberi, quia Dei jusſu abſolute, ſine ulla addita conditione, urbis interitum praedixerat. (2) Misſionem Dei legatorum ad profanas gentes rem esſe mali exempli, quae Israëlitis nil niſi malum portendere posſet; cum ipſi ſoli, tanquam natio foedere cum Deo arctisſime conjuncta, hac fruerentur praerogativa. (3) Opinabatur forte, perverſo actus zelo, demonſtrationem rigidae et ſeverae justitiae in exemplari tam ſcelestae et impiae civitatis poena magis ad Dei gloriam tendere, quam lenem hanc indulgentiam et miſericordiam. Quod commune habuit cum rigidis nostri temporis zelotis, qui ex ſua indole ad vindictam prona, de Numinis justitia judicant. Vehementiore indignatione et ira hos idololatras et pesſimos homines proſequens, nihil magis optabat, quam ut mali hi perirent. Simili agitabatur zelo ac olim ELIAS. (4) Praecipua ratio, ob quam *Nini* interitum in votis haberet, ex patriae amore orta videtur; formidabilem regni *Asſyriaci* potentiam metuebat, et pro ſua prudentia facile praevidebat, illam continue crescentem imperii hujus

magnitudinem, et vires tandem populo ſuo fore pernicioſas et exitiales; quod tristis quoque docuit experientia. (5) Probe quoque perſpiciebat Ninivitarum converſionem Israëlitis fore opprobrio. Recte rurſus THEODORETUS τῶν Ἰουδαίων κατηγορίαν ὑπέλαβεν ἔσεσθαι τὴν τῶν Νινευΐτων εὐπείθειαν, ὡς τῶν μὲν ἀγνῶτι καὶ ἀλλοφύλῳ πεπιςευκότων ἀνδρὶ, τῶν δὲ μυρίοις προφήταις ὁμοφύλοις, μετὰ θαυματουργίας τὴν προφητείαν ποιουμένοις, διηνεκῶς ἀπειθούντων, καὶ ὄνησιν οὐδεμίαν παρ' αὐτῶν δεχομένων. *Judaeis crimini fore duxit Ninivitarum obedientiam: ut qui homini ignoto et alienigenae credidisſent, cum Judaei innumeris prophetis contribulibus ſuis, crebris cum miraculis vaticinantibus asſidue refragarentur, nullumque ab iis fructum caperent.* His de cauſis adeo aegre ferebat Ninives ſalutem, nec tamen animo a Deo, ejusque obſequio, alieno erat; quin contra omnis haec indignatio ex gloriae divinae ſtudio oriebatur; verebatur enim, ne praedictio, Jehovae jusſu facta, cui eventus non reſpondebat, tamquam falſa, et ipſe Jehova tamquam fictum Numen ab ethnicis hisce ludibrio haberetur, et ne peccatorum impunitas acris ad peccata esſet ſtimulus; tandem ne regia haec urbs et *Asſyriorum* imperium populo Dei esſet exitiale. Hic ejus animus Deo devotus, et in ipſo fiduciam collocans ſatis clare apparet ex precibus ad Deum factis, fidei in Deum et fiduciae plenis Cap. II. ubi etiam eleganter et emphatice fictorum Numinum cultores hac ratione deſcribit משמרים הבלי־שוא חסדם יעזבו, *obſervant turgo-*

gores vanitatis, *sed turgorem suum uberem dese-runt*. Elegantia et acumen est in vocibus הבל et חסד, quarum illa notat *turgorem*, *inflationem* turgidam, in qua nihil solidi; hinc numen falsum, quod quidem magna ac splendida pompa colitur, sed nullo vero felicitatis fructu cultores suos beat; haec vero exprimit *turgorem* valde diversum, qualis est uberum lactis copia distentorum, ex quibus, tanquam ex perenni vena, copiosum effluit lac. Quamvis autem hic Prophetae zelus ex bono ortus esset principio, tamen clementi Deo valde displicebat, atque ricini (*f*) ex-

(*f*) Quae planta sit קיקיון disputatum est. *Ricinum* esse copiose probant BOCHARTUS in *Hierozoic.* part. 2, *col.* 293, CELSUS *Hierobot.* part 2, *pag.* 273-282, MICHAËLIS *supplem.* ad *Lex. Hebr. pag.* 2185 seqq., JABLONSKI *Opusc.* Tom. I, pag. 110 et 111, ibique adnotatio viri et singularis humanitatis et egregiae doctrinae laude celeberrimi, cujus grata mihi semper erit memoria, JONAE GUILIELMI TE WATERI, quem diu in Academiae Regiae decus et emolumentum superstitem esse jubeat Numen Summum. Hisce addi velim FORSKAL *Flor. Aegypt. Arab.* pag. 164. NIEBUHR *Beschrijving van Arabie*, *pag.* 140. Numeratur quoque RICINUS in *catalogo plantarum* adiecto *Itinerario Schawii*, pag. 25. *Cucurbitam* vero esse, pluribus argumentis adstruere conatus est FABER in Annot. ad HARMERI librum, *Waarnemingen over het Oosten*, vol. I. pag. 173. et *seqq.*, eamque interpretationem exhibent interpretes *Graeci* et *Syrus*. L.

exemplo iniquitatis convincitur. Quin Deus, immenſam miſericordiae ſuae magnitudinem clarisſime exponens, ſic tandem concludit *tu pepercisti ricino* etc *et ego non parcerem Ninivae, civitati maximae, in qua ſunt plures duodecim myriadibus hominum, qui non norunt discrimen inter dextram ſuam et ſiniſtram ſuam*, id est tot numero infantes, rationis usu et judicio, quo bonum a malo, verum a falſo, justum ab iniquo discernant, hactenus destituti; qui vel ſoli, utpote a culpa illorum criminum, quae esſent cauſae exitii hujus urbis, immunes, meam excitare posſent miſericordiam, praeter innumerabilem innoxiorum animalium multitudinem, nam et horum curam gerit et miſeretur Optimus Maximus Pater Coelestis. In JONAE exemplo nobis proponitur imago ſervi Dei, amore quidem Dei imbuti ſtudioque fervido pro Numinis gloria agitati, ſed intempestivo et perverſo, imago quoque civis, patriam nimis amantis, patriae amorem non justis rationis limitibus coërcentis, adeo ut in invidiam, et aliarum gentium odium degeneret, nec cum vero hominum amore conciliari posſit.

§. VIII. En illustre ſpecimen justitiae divinae, ſapientia, bonitate, clementia, miſericordia et gratia temperatae; justitiae quidem in excidii repentini comminatione; gratiae vero in eo, quod legatum ad Ninivitas mitteret, reſipiscentiae tempus daret, et reſipiscentes ſervaret. Nihil magis Deus deſiderabat, quam ingentis hujus civitatis ſalutem, ſed illa ſalva justitia ſine vera reſipis-

cen-

centia obtineri non poterat. Illustre quoque specimen universalis Dei amoris, quo totum humanum genus, tanquam communis omnium parens semper complexus fuit, etiam veteris oeconomiae tempore, non obstante arctiore illo cum Israëlitis foedere. Exhibetur hic speculum, in quod cunctae terrarum orbis nationes, Judaei vero non sine rubore, intueri possint. Nullum aptius excogitari poterat remedium ad perversam philautiam ipsis eximendam, ad odium et contemtum tollendum, quo peregrinos populos prosequebantur. Non poterat supremus judex luculentiore exemplo declarare, se non delectari peccatorum interitu, et severae justitiae exercitio, sed poenitentium salute; talem quoque in ministris suis animum desiderare, zelum nimium et rigorem improbare; contra patientiam in peccatoribus tolerandis, facilitatem in poenitentibus admittendis commendare; semper humanae imbecillitatis rationem habere; poenitentiam tamen, hoc nomine dignam, nullam esse sine firmo et sincero vitae emendandae proposito. En libelli hujus argumentum, prolixius propositum, non quod in obscuro lateat et incognitum sit, verum ut statim in omnium oculos incurrat, quam sit Deo dignum, et liber talis dignus loco, quem inter libros S. V. T. semper habuit, et quam gravissimae fuerint rationes, quare Deus in JONAE liberatione et convictione non sine miraculis defungi voluerit. Quae cum ita sint, miramur quorundam nostro seculo ingeniorum petulantiam, qua fit, ut hujus historiae veritas a nonnullis in du-

dubium vocetur, tanquam mera fabula tractetur; quin naſo ſuspendatur adunco, ludibrio exponatur, ſannis excipiatur, quaſi esſet abſurda et ridicula fabella. Potestne ullus veri amans tam egregiam de Deo et virtute doctrinam, quam hic libellus docet et inculcat, negare aut disſimulare? an propter miraculum hic narratum historia haec repudianda? itane de reliquis S. libris, miraculorum plenis judicabimus? ſed audiamus disſentientes (*f**).

§. IX. In primis JONAE indoles, agendique ratio, licet in ipſo hoc libello a Deo improbata, tamen ita displicet; ut talis homo veri Dei legatus et propheta haberi nequeat. A Deo jusſus *Ninum* ſe conferre, putat ſe fuga in regiones peregrinas mandatum hoc eludere posſe; istius aevi ſtolida opinione imbutus, exiſtimat, ſi hos criticos audiamus, Jehovam tantum in Israëlitarum terra, tanquam ejus Numen tutelare, esſe praeſentem; proripit itaque ſe, ut fugiendo *Tartesſum* *His-*

(*f**) Cum auctore nostro faciunt HESSIUS, *Geſchichte der Königen Israels und Juda nach der trennung des Reichs*, vol. 1, pag. 309, et doctisſimus PIPER in disſ. (quam tamen nunquam vidi) *historiam* JONAE *a conatibus recentior. vindicatam ſistente*, *Gryphisw.* 1786. Quam vellem, ut omnes perpendant, quae egregie ſcripſit amicus optimus, doctiſ. VLOTENIUS, *de Bybel vertaald*, vol. 9, pag. 285. ſeqq. L.

Hispaniae peteret. — Etsi male egit JONAS, non tamen ita deliravit. Ergone JONAS adeo emotae erat mentis, ut putaret Jehovam tantum praesentem esse in *Palaestina*, non *Hispania*? quo si imbutus fuisset errore, existimasset quoque, eum non adesse in *Assyria*; ita quam primum ex *Joppes* portu solvisset, ejus effugisset territorium, nec quicquam ab eo timendum habuisset; quare in *Hispaniam* cogitat? At vero non fugere voluit propheta מפני יהוה *a facie Jehovae*, quasi omnipraesentem effugere vellet, absit longissime; ipse enim coram nautis profitetur, hunc Jehovam esse *Deum Coelorum*, *mare* et *terram*, hoc est totum terrarum orbem, totum fecisse mundum, adeoque ejus esse dominum, cujus praesentiam in mari mediterraneo aeque ac in Cananaea et ubique agnoscit, ipsumque hujus vehementis tempestatis habet auctorem. Sola ignorantia phraseos Hebraeae hunc peperit errorem; non fugere voluit מפני יהוה *a facie Jehovae*, sed מלפני יהוה *munus standi corum Jehova*, ministerium ejus, et munus propheticum, terrae Judaicae adstrictum, fuga in regionem exteram evitare, et a se removere voluit. *Stare coram aliquo* apud Hebraeos significat *ejus esse ministrum*, continue adstare, adesse ad ministrandum. Hunc usum habet I *Reg.* I: 2. עמר לפני המלך. Eodem modo prophetae Jehovae dicati ministerio *coram eo stare* dicuntur. Ita ELIAS I *Reg.* XVIII: 15. II *Reg.* III: 14. V: 16. אשר עמרתי לפניך *coram cujus facie ego sto*,

 cu-

cujus ego minister et propheta ſum (*g*) idem uſus occurrit Jer. XV: 19. לפני תעמד. Recte Chald. Paraphr. *ne in nomine Domini vaticinaretur.* Probe noverat Deum ubique eſſe praeſentem et potentem, ſed fugae ratio in eo quaerenda est, quod moleſtam illam ad Ninivitas legationem evitare, ipſumque munus propheticum potius a ſe removere vellet. Sciebat enim ſe hac in re Deo obſequium negantem munere amplius prophetico fungi non poſſe, adeoque hoc honorifico carens munere potius inter ignotos in regione peregrina et longe diſſita, quam patria, verſari voluit. Praeterea, ſi vel maxime ad peregrinos prophetae mitterentur, non niſi ad vicinos, quibuscum Judaeis aliquid commercii erat, mitti ſolebant, uti nunc ad *Asſyrios*, in remotisſima itaque *Hispaniae* regione nullum muneris prophetici locum fore putavit, ibi ſpiritus prophetici afflatum prorſus ceſſaturum eſſe ſperavit.

§. X. Praecipue ejus character atro notatur carbone, tanquam omni φιλανθρωπίᾳ deſtitutus. Ni-

(*g*) Locis citatis addatur *Estherae* 1: 10. *coll.* cap. 7: 9. Eamdem interpretationem praeeuntibus SULPICIO SEVERO et MERCERO dedit COCCEJUS ad h. l., *Opp.* Tom. 4, pag. 135, eamque unice veram eſſe vel inde patere arbitror, quod ipſe JONAS (vs. 10.) criminis ſe reum eſſe ingenue faſſus est, quod quidem crimen ex ipſius ſententia nullum alium eſſe potuerit, quam quod recuſaret oblato miniſterio fungi. L.

Nihil magis et ardentius deſiderabat, quam tantae urbis, et innumerabilis fere incolarum multitudinis, interitum, ut ſua gloria, tanquam Numinis legati, maneat illaeſa; cum delectatione *Nini* ruinam, civium, etiam innoxiorum infantium, caedem, ingentis hujus civitatis caſum vidisſet, tantum ut praedictioni reſpondeat eventus! adeo philantiae erat devotus, ut innumera ei offerre vellet ſacrificia; ut humano ſanguine multarum myriadum ei litare vellet! haeccine est imago legati veri Dei, amantisſimi hominum patris? potius est imago legati Diaboli, indoles mere diabolica! hoc monſtro hominis Deus Opt. Max. tanquam ſuo uteretur miniſtro? nullusne ergo ſupererat nobilioris animi homo, ad miniſterium hoc ſacrum aptior et Deo dignior? ita declamant, tantas excitant tragoedias, JONAE infenſisſimi adverſarii. *Iidem hi*, qui adeo invehuntur in JONAM, forte admirabuntur et laudabunt patriae amorem in CATONE M. omnibus, de quibuscunque etiam rebus, ſententiis ſuis in ſenatu ſubjiciente, *delenda est Chartago*, ſive ut PLUTARCHI verbis dicam, δοκεῖ δέ μοι, καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι (in ejus vita §. XXVII.) Summis forte efferent laudibus SCIPIONEM AFRICANUM *Chartaginem* inclementer et crudeliter delentem. Sed duo cum *faciunt* idem, non tamen est idem (*b*). Nos vero enixe

(*b*) His non obſtantibus magnus MICHAËLIS a ſe impetrare potuit, ut Prophetam JONAM in fabula hac con.

enixe eos rogamus, ut ad tranquillam mentem redeant, et ſecum reputent Prophetae zelum, etſi malum ac a Deo valde improbatum, tamen unice ex gloriae divinae ſtudio, patriaeque amore ortum, cui etiam qui humaniſſimi videri volunt, re ita postulante, ſecure humano ſanguine, copioſe effuſo, litare ſolent; quamvis non diffitendum ſit, hos plerumque ſaevam et crudelem indolem, vindictae cupidam, vero hominum civiumque amore orbam, hac larva tegere. In Propheta autem nostro hic Dei civiumque amor ſincerus erat, et propterea aliqua dignus excuſatione. Forte hic de *Sodoma* et vicinis urbibus exemplari poena punitis, quin prorſus deletis, de Cananaeis cum uxoribus et liberis Dei juſſu exſtirpatis, ne ſcelerum contagione plures mortales et gentes inficerent, cogitavit. Eodem fervido pro Dei gloria et virtute ardebat ſtudio, ac olim ELIAS I *Reg.* XIX. a quo ne ipſi quidem hominum amantiſſimi Servatoris discipuli in initio immunes fuerunt. *Luc.* IX: 54. et ſeqq. Putavit talem Dei comminationem, ſine ulla addita conditione factam, eventu deſtitutam, eo tendere, ut Deus verus lu-

conſideraret, tanquam pulcherrimam populi Iſraëlitici non tantum imaginem, ex quo Deus legatos ad alias gentes emiſit, ſed et ipſius CHRISTI JESU, quia tamen hujus character ab illo JONAE valde est diverſus. hoc posterius non ſine ſcrupulo et timidius affirmat in animadv. ad JONAM Belg. ed. p. 195—197.

ludibrio habeatur, tanquam fictum Numen contemnatur, ipſeque tanquam nequisſimus impostor traducatur; hoc dolet, et aequo animo ferre nequit; indignatione plenus est non ſui, ſed Dei ac verae Religionis cauſa; maluisſet Deum tantas non intentasſe minas, quam intentatas non exſequi; hanc ob cauſam jam ſtatim ſe excuſare, et operi huic ſubtrahere voluerat. Praeterea Asſyrios hos patriae ſuae perniciоſos fore praevidebat. Nimis magnifice de ſua ſentiebat gente, caeteras nationes alto despiciebat ſupercilio, quod minime laudandum, aliquid tamen istius temporis et nationis praejudicatis opinionibus condonandum est. Procul omni dubio male agebat, jure et merito ab ipſo Deo reprehenditur, qui hoc exemplo Judaeos docere voluisſe videtur, illam philautiam et fastum deponendum, exteros populos quoque amandos, et communis totius humani generis Parentis cura non indignos esſe; ricini itaque exemplo iniquitatis convincitur. Haec licet ita ſint; tamen magis excuſandus, et venia dignior est, quam impudentes religionis, ac ita dictae orthodoxiae, zelotae, quales multi omni fere tempore inter eos fuerunt, qui Christianorum prae ſe ferunt ſpeciem, qui divinae gloriae praetextu tantum uſi ſunt ad innocentium perniciem. Quae pestes, diabolicam ſpirantes indolem, cum Propheta nostro comparandae non ſunt, qui putasſe videtur, delicta et ſcelera Ninivitarum adeo esſe atrocia, enormia et multa; gentem hanc ita corruptam, et poenitentiam ſubitam ſuspectam, ut e re virtutis

et

et ſanctitatis eſſet, eam radicitus exſtirpari. Tandem, ſi ipſe JONAS libelli hujus auctor est, quanta in eo cernitur ſinceritas, quantus ſanctitatis ac virtutis amor et candor, quod ipſe, inſtar MOSIS aliorumque ſanctorum virorum, ſua vitia haud celat, ſed candide fatetur, ac posteritatis memoriae, aliis in exemplum prodit (*i*). — Praeterea alia quaedam levioris momenti in Propheta nostro carpuntur. Vehemente orta tempestate, nau-

(*i*) Probe obſervandum est, quum deinceps ad fabulae figmentum refutandum hoc inter alia utimur argumento, non eſſe veriſimile JONAM ipſum, aut etiam alium auctorem JONAM, prophetam notum et celebrem, adeo atro carbone notare ac posteritatis indignationi et contemtui tradere voluiſſe; nos loqui ex illorum opinione, qui historiam hanc in fabulam convertunt: qui vix ſibi ſatisfacere poſſe videntur in JONAE charactere denigrando. Ipſe libri auctor nimium hunc rigorem, hanc historiam ſcribens, improbat, ſive ſit ipſe JONAS, ſive alius: introducit enim Deum, graviter JONAM increpantem. Si itaque JONAS ipſe ſcriptor est ingenue vitium ſuum agnoſcit, improbatque. (Quod a pravo JONAE ingenio animoque abiecto petitur argumentum, futile mihi ſemper viſum. Et BILEAMUM pesſimae indolis hominem, Legati divini munere ornatum fuiſſe, conſtat; praeterea, etſi JONA ingenium prodat, quod offendit, attamen in eo vituperando nimios eſſe haud paucos, recte obſervarunt NIEMEIJERUS, *Characterkunde van den Bijbel*, vol. 4. p. 2, pag. 421. ſeqq. et VLOTENIUS noster l. c. L.)

nautis caeterisque itineris ſociis valde commotis et anxiis, ipſe jacet alto obrutus ſomno; hic quoque ſomnus vitio vertitur, ſaltem ad ea refertur, quae hujus historiae veriſimilitudini adverſentur. Quid ergo de Servatore nostro dicemus? qui etiam nave vectus in maxima tempestate, ac praeſentisſimo vitae periculo dormivit ac excitatus est a discipulis *Matth*, VIII: 24. *Marc*. IV: 38. Fieri etiam potuit, ut ſomno ſe tradiderit ad conſcientiae ſtimulos evitandos, ut obſervat Theodoretus, ὑπὸ γὰρ τοῦ συνειδότος κεντούμενος, καὶ τῇ ἀθυμίᾳ βαλλόμενος, καὶ τῶν λογισμῶν τὰς ἀκίδας οὐ φέρων, ἐμηχανήσατο τὴν ὑπὸ τοῦ ὕπνου παραψυχήν. *Conſcientiae ſtimulis vexatus, ac moestitia jactatus, cogitationum aculeos non ferens, conſolationem captavit ex ſomno.* — Porro nautae depinguntur, tanquam φιλάνθρωποι, quales vere erant, omni enim modo infelicem hunc hominem ſervare conantur; ſed ipſe vitae ſuae negligens frigida indifferentia ſe offert in mare projiciendum; fluctuum furori, monſtris marinis, ſuffocantibus aquis tradendum. — Hac ratione reprehenditur, quod laude dignum videri posſet. Quodſi enim de ſua culpa convictus et perſuaſus nautas caeterosque itineris ſocios propter ſe in maximo verſari periculo putavit, nonne magnopere laudandum, quod ſua vita ipſorum vitam redimere voluerit. Si rem ita conſideremus, revera φιλανθρωπίας, a qua eum longisſime remotum fuisſe clamant, ſpecimen edidit. Forte etiam in tanto periculo ſpem aliquam ex divina clementia concepit, ut ex precibus, mox fuſis, conjicere licet.

§. XI.

§. XI. „ Multa tamen in hac historia referuntur incredibilia, ad fabulae indolem composita. Unde tantae urbis, adeo florentis et potentis, tam repentinus casus? quem JONAS post XL dierum spatium minatur. Quis mortalium Omnipotenti modum et limites praescripserit; nonne terrae motu, fame, peste, vento venenato, in hoc terrarum tractu frequentissimo, bello, intestinis tumultibus, fulminum et tonitruum tempestate, aliisque modis civitatem, obstinate in sceleribus perseverantem, delere potuit?"—quis tu es homuncio, qui de omnipotentia Creatoris tui, a cujus nutu singulis momentis vita tua dependet, dubitare audeas? dices forte; non de Numinis omnipotentia dubito, sed impostorum esse aio, ubi aqua haeret, statim ad illam confugere, quod non negamus; sed incredulorum est omnia tollere miracula.— At sit hoc ita, quis tamen credat *Nini* cives ignoti hominis dictis statim fidem habuisse? Peregrinum hominem, omnipotentis Dei legatum se jactantem, sed nullo cognitum miraculo, potius tanquam impostorem ludibrio habuissent, maleque mulctassent. — Adeoque opus erat miraculo ad fidem ejus dictis conciliandam. Fieri utique potuit, ut rumor de horrenda illa tempestate, de JONA in mare praecipitato et miraculose servato, ad eorum aures pervenerit; ut a nautis aliisque hic allatus fuerit nuncius; omniaque provida Numinis cura ita fuerint directa, ut ipse hic singularis casus, fuga, tempestas, miraculosa JONAE liberatio fuerit causa fidei et resipiscentiae Ninivitarum.

Quin

Quin hoc valde est verisimile, sic statim perspicitur ratio miraculi Deo digna; et intelligitur, qui factum fuerit, ut hujus urbis incolae de JONAE fide et legatione divina haud dubitaverint. Hoc etiam nonnullos sollicitos tenet, quomodo contigerit, ut sors, ab hominibus ethnicis superstitiose jacta, revera sontem tetigerit? quasi Deus in hoc singulari casu rem ita dirigere non potuisset: talia vix responsione digna videntur. Non majorem attentionem merentur difficultates, quae subita ricini apparitio et interitus peperit, quas non moramur.

§. XII. Major oritur difficultas ex magno illo pisce, JONAM illaesum diglutiente, et post triduum in terram evomente. *Alexandrini* interpretes, quos sequitur MATTHAEUS, per *cetum* interpretantur. Sed cetus proprie dictus, ut ut vasta bellua, tamen gulae meatus habet ita angustos, ut solidum hominem deglutire non possit. In JONAE historia dicitur דג גדול *piscis magnus*, quem BOCHARTUS conjicit fuisse *canem marinum* maximi generis, quem *carchariam* vocant, aut *lamiam*, qualem mediocrem se vidisse scribit RONDELETIUS in *Santonico* littore, mille librorum pondus non excedentem, gulae tamen tam patentis, ut hominem etiam obesum capere potuerit. Consulendus est BOCHARTUS (*Hieroz.* l. V. c. XII), qui materiam hanc fere exhausit, quocum conferendus est HASAEUS de *Leviathane et ceto* JONAE (*k*). Moventur tamen et hic

(*k*) HASAEUS de alio pisce hic cogitandum censet, quem

hic ſcrupuli. Carcharias dentes habet asperos et acutos, quo modo itaque potuit JONAS illaeſus ab eo deglutiri? et ſi vel maxime concedatur alium fuisſe magnum piscem, dentibus adeo asperis non inſtructum, ſemper tamen haec manet difficultas, quo modo in ejus ventre vitam retinere? quo modo aura vitali vesci potuit? Sane non ſine miraculo. Non quidem miracula ſine ratione multiplicanda; non temere eo confugiendum; ſolet Omnipotens cauſis naturalibus uti, quamdiu illae ſufficiunt, nec crebro, neque ſine gravisſimis rationibus, a naturae legibus discedere. Sed ſi propter miracula libri fides in dubium vocanda ſit, quis tum S. librorum fide dignus manebit? Si eventus mirabiles, in S. hiſtoria relati, bene ſecundum naturae leges exponi posſint, optime ſane, inſtituunt interpretes isti, qui cauſas naturales, quibus provida Numinis cura uſa fuit, ſtudioſe perſcrutantur, et ex iis eventuum illorum rationem reddere conantur. His vero deficientibus nihil obſtat, quo minus fateamur miraculum contigisſe. Quam plurima utique ſtante veteri regno Theocratico et in novae Oeconomiae initio, conti-

quem *Orcam* vocat, l. c. pag. 252 et 2-4 ſeqq. Recte MUNTHEUS *Obſerv.* pag. 58, docet κῆτος vocem esſe vagam, quae quemlibet piscem magnum deſignat. HESYCHIUS *Lex.* vol. 2., *pag.* 252: κῆτος. θαλάσσιος ἰχθὺς παμμεγέθης. Confer. ELSNERI *Comment. in Euang. Matthaei*, Tom. 1. pag. 327.

tigerunt miracula; quae negare nihil esset aliud, quam Religionis Judaicae veteris et Christianae fundamenta subruere. Omnes viri sapientes superstitionem et miracula fingendi libidinem oderunt, sed non minus incredulitatem aversantur. Olim S. lit. interpretes nimis erant in miraculis admittendis faciles; ubique Deum ex machina, ut dicitur, advocabant; hodie vero in aliud ruunt extremum, qui liberales et excellentis ingenii interpretes et critici cluere amant, omnia fere V. T. miracula negant, atque ex causis naturalibus exponunt. Scyllam vitantes incidunt in Charybdin; media via hic, ut fere semper, tutissimus ibis. Nec tamen diserte in historia dicitur JONAM *vivum* in piscis ventre mansisse, forte *mortuus*, et postquam piscis eum in terram evomuisset denuo in vitam revocatus fuit. Preces quidem ex piscis visceribus fudisse legitur, verum ita intelligi potest, eum eo ipso momento, quo a pisce deglutitus in ea illaberetur, breves fudisse preces; carmen illud doxologicum inde a vs. 3. Cap. II. usque ad vs. 11. demum composuisse et cecinisse videtur, postquam terrae vitaeque redditus esset. In eo exponit cogitationes et affectiones suas, quas animo volvebat in mare praecipitatus et cum fluctibus luctans, nullam autem ibi status sui praesentis in piscis ventre facit mentionem, sed pro liberatione ex tanto periculo gratias agit. Prorsus ridiculum est, JONAM in ipso piscis ventre eleganti carmine Dei cecinisse laudes, quod demum liberatus, terrae et vitae inter homines redditus, fe-

 cit.

cit. Vix dubitaverim, quin vs. 11. loco motus sit, versui secundo subjungendus. Erroris ansam librario praebuisse videtur verb. ויאמר a quo vs. 3, et vs. 11 inchoatur. Vs. 11. itaque versui secundo annexo, omnia fiunt clara; JONAE liberatio hoc ordine narratur, *praeparaverat Jehova piscem magnum, qui* JONAM *deglutiret, in hujus piscis visceribus fuit tres dies et tres noctes; tunc Jehova piscem eum in terram evomere jussit.* Hac ratione liberatus in tanti beneficii et miraculi sempiternam memoriam elegans composuit carmen: hac ratione cecinit, ut legitur ויאמר קראתי (*l*): hac ratione major quoque foret convenientia inter Opt. Max. humani generis Servatorem et JONAM, atque facilius res haec concipi et credi posset. Nemo, ut equidem opinor, de historiae hujus veritate dubitasset, saltem nemo debita erga S. literas affectus reverentia et veritatis amans, si auctor diserte narrasset JONAM a magno pisce deglutitum, in ejus ventre quidem mortuum, sed vomitu in terram ejectum in vitam revocatum fuisse. Nimis incredibile et naturae legi contrarium videbatur, hominem per integrum triduum in piscis visceri-

bus

(*l*) Hujus carminis an auctor sit JONA dubito; est enim e centorum numero, quorum maxima pars e Psalmis mutuata est, (Vid *Ill.* EICHHORNIUS, Einleit. § 578, vol. 3., pag. 299,) qui mos fuit seriorum poetarum, ut multis constat documentis. Suspicor igitur commata iet 10 *capitis secundi* pertinere ad caput primum, inverso tamen ordine huic annectenda. L.

bus *spirare* atque vivere posse. Nihil tamen certi hac de re statui potest, quin ex mortis vitaeque restitutae silentio probabiliter colligitur, eum miraculose vivum in pisce fuisse conservatum. Quicquid etiam statuatur, sine miraculo nos hac de re expedire non poterimus. Qui in fornace ardente et in leonum fovea homines illaesos et vivos conservare potest, etiam potest in piscis ventre. Mea hic facio THEODORETI verba, μηδεὶς δὲ ἀνοήτως πολυπραγμονείτω, πῶς αὐτὸν τὸ κῆτος ἐξήμεσε. πάντα γὰρ δυνατὰ βουλομένου Θεοῦ. *Nemo vero amens curiosius inquirat, quo pacto cetus* JONAM *evomuerit; omnia enim fieri possunt Deo volente.* Dubitari tantum potest, num *voluerit*, de quo non potest judicari, nisi ex caussis Dei sapientia dignis, quae in hac historia occurrunt, ut vidimus.

§. XIII. Risui se exponunt, et historiam ridiculam reddunt, qui omnia haec non vere, sed in somnio, contigisse putant (*m*); aut qui magnum hunc piscem in *diversorium* convertunt (*n*), cujus in-

(*m*) Ita GRIMM, v. c. *Theologus Duisburgensis* in versione germanica hujus libri, quae prodiit anno 1789; scilicet statuit veram narrari historiam; quae vero a vs. 6. cap. 1. ad cap. 3: 11. traduntur, non revera facta, sed per somnium in quod JONAS inciderat, ita ei visa esse. At vero nullum prorsus adest somni indicium; imo contraria omnia docent versus 5 v. 6. capitis primi. L.

(*n*) Fuit haec sententia viri solertis ingenii H. VAN DER HARDT in gemino schemate: JONAS *in Carcharia*

 et

insigne grandis piscis fuerit; unde enim illud in mari diversorium? vel ubi in littore? ad quod etiam accedere frustra conati sunt nautae; atque fuit in loco maris, longe a littore remoto, e navi ejectus, ita ut cum maris fluctibus colluctaretur, ut ipse in sua ode eucharistica testatur. Quis ergo ex his eum eripuit, atque incolumem in littore collocavit? Non minus ridicula eorum est opinio, qui suspicantur *magnum piscem* fuisse *navem* hoc signo et nomine insignitam (*o*). Sed in magna tempestate naves non tam facile sine damno ad se appropinquant. Sed quare in hujusmodi deliriis haeremus, simplici et clarae relationi historicae con-

et JONAS *sub sillicyprio*, Vid. CARPZOVIUS *Introd. Pte.* 3, pag. 349. seqq. Neque tamen sibi in sua expositione constitit vir doctus, sed mutata sententia totam historiam accommodavit *ad Manassem*, in novo tractatu, cui titulus est: *Aenigmata prisci orbis.* JONAS *in luce in historia Manassis et* JOSIAE, *ex eleganti veterum Hebraeorum stylo solutum aenigma. Aenigmata Graecorum Latinorumque enodata, interprete* H. VAN DER HARDT, *Helmst.* 1723. L.

(*o*) Hanc explicationem defendere conatus est LESSIUS in tractatu German. *Vom Historischen stil der Urwelt, und den eigenthumlichen Auslegunsregelen des* A. T., inserto in *virmischte Schriften* pt. 1, pag. 157. seqq., quam tamen cum auctore nostro rejecit EICHHORNIUS *Einleit.* vol. 3. §. 575, pag. m. 278. et 279. L.

contrariis? quae nullam merentur attentionem aut refutationem; quae nulla se commendant verisimilitudine, nec ullo modo cum verbis ac narratione historici conciliari possunt. Miraculum tamen illud commorationis JONAE in piscis ventre nonnullis adeo videtur absurdum et ridiculum, ut fidem ei adhibere nolint, et quidvis potius tentent et comminiscantur. — " Quod si vel maxime, ajunt, JONAE historia vera sit; JONAS a Deo Niniven fuerit missus, feceritque naufragium, tamen longa traditione populari historia haec, inprimis respectu modi, quo ex tanto periculo salvus evaserit, adulterata fuit. Non enim ab ipso JONA, sed alio, forte diu post ejus aetatem. conscripta videtur. Alii addunt prisci aevi historicos fuisse poetas; more itaque poetarum non simpliciter facta narrare, quemadmodum vere contigerunt, sed variis figuris et figmentis ornare, adeo ut in his antiquissimis historiarum monumentis recte legendis et intelligendis magna opus sit prudentia atque circumspectione, ut nudam veritatem historicam, his fabularum involucris liberatam, detegamus et in medium protrahamus. Quo in opere inter veteres desudavit PALAEPHATUS in notissimo *de incredibilibus* libello. Hoc scribendi genere MOSEN in *primis libri Geneseos Capitibus* usum, aut potius talia antiquissima monumenta operi suo inseruisse ajunt." — Concedamus hunc antiquissimorum historicorum morem; notum est, scriptores omnium antiquissimos fuisse poetas, hos quoque historias posteris tradidisse fabularum involucris involutas.

Simus liberales: non negemus hoc ſcribendi genus reperiri in primis et antiquisſimis historiae monumentis, a MOSE *Geneſeos* libro inſertis. At vero comparemus cum his ipſius MOSIS narrationem rerum ſuo tempore gestarum ſimplicem et historicam; porro ſcribendi genus ſequentium historicorum ſacrorum, auctorum librorum *Samuelis* et *Regum*, aliorumque; ullusne negare auſit in his regnare illum narrandi modum ſimplicem, quem in historicis facta vere narrantibus deſideramus. Vetus illa conſuetudo aetate nostri auctoris jam dudum apud Hebraeos in deſuetudinem abierat, ejus in hujus temporis libello, mere historico, ſolo carmine doxologico excepto, nulla habenda est ratio.

§. XIV. Audiamus tamen illos veram, ut putant, JONAE hiſtoriam, omnibus ornamentis et fabulis remotis, narrantes. Res ita ſe habuisſe videtur: JONAS a Deo Ninivem misſus Tartesſum Hispaniae, oram longe a Nino remotam, fugere voluit, verum vehementi orta tempestate fecit naufragium, tum forte in tergum monſtri marini, aut in ventrem apertum magni piscis, paulo antea occiſi, fuit conjectus, et ex illo, cum propius ad terram accederet, ſalvus evaſit. Quae historia centies narrata, ornataque, tandem hanc peperit fabulam, populo mira amanti gratam et acceptam. Hujus historiae ſcriptor, qui diu post JONAM vixit, fabulam vulgo creditam ſecutus fuit, ſed ita ut abrupta narratione hic illic de illo miraculo dubitandi anſam praeberet. Diſerte quidem

dem Cap. II. vs. ultimo narrat *piscem* JONAM *in terram evomuisse*; verum haec glossam redolent, a lectore, aliquid deesse suspicante, additam. Ipse scriptor modum evasionis lectoris judicio permisisse videtur (*p*). Omnia haec sine ulla auctoritate finguntur tantum ad miraculum triduanae morae in magni piscis ventre eludendum. Haec si interpreti permissa sint, quid tandem de scriptis sacris futurum sit, equidem ignoro. Divinus humani generis Servator provocat quidem ad hoc JONAE exemplum, atque praedicit, se tres dies noctesque in terrae gremio mansurum, quemadmodum JONAS tres dies noctesque in piscis ventre fuit, sed is se ad receptas vulgi opiniones, fabulae huic fidem habentis, accommodavit. Quod si non sit *nodum secare*, nescio quo modo vocandum sit. Ego saltem, verae licet libertatis amantissimus, non ausim ita in libros sacros grassari. *Soli veritati*, non nostris opinionibus, consecrati simus oportet. Hanc CHRISTI et scriptoris libri JONAE mentem fuisse, quam iis obtrudunt, nemo ve-

(*p*) Hanc interpretationem, etsi eam non probans, proposuit EICHORNIUS l. c. §. 577., eamque dein ornare studuit THADDAEUS, *Sendungsgeschichte des Propheten* JONA, *Kritisch untersucht und vom widersprucken gerettet*, *Bonn.* 1786., eo tamen discrimine, ut, quae ficta dicantur, non derivet e traditione, sed fictioni poeticae adscribat. Haec e mera ingenii hypothesi disputari, nullus non videt. L.

veritatis amans, et praejudicatis opinionibus non occaecatus, dixerit. Nequicquam laborant, qui has ingrediuntur vias. Ad Dei hic confugiendum est omnipotentiam, ut in caeteris miraculis, quae in S. hiſtoria referuntur, quae fidem et veritatem non imminuunt, ſed confirmant. Qui mortuum in vitam revocare potest, etiam potest hominem vivum in piscis ventre conſervare. Si hoc in vulgari nullius bonae frugis libello legeretur jure et merito ab omnibus ſapientibus exploderetur; ſed cum narretur in hoc libello JONAE, cujus argumentum Deo vero dignisſimum, cui ſemper inter libros ſacros locus fuit concesſus, cujus fidem et auctoritatem ipſe CHRISTUS ſuo confirmavit testimonio; cum praeterea occurrant rationes patrandi hoc miraculum, Dei ſapientia et bonitate dignisſimae, non licet de ejus veritate dubitare. Quam ſi in dubium vocamus, etiam de veritate caeterorum miraculorum dubitare licet, quae tamen patrata ſunt ad misſionem prophetarun Divinam veramque Religionem probandam. Hac ratione omnia redduntur incerta, atque verae Religionis Judaicae veteris et Christianae fundamenta ſubruuntur. Nostri ingenii decempeda opera Divina metiri, pro nostra imbecillitate et hebeti ingenio Divinae omnipotentiae et ſapientiae limites ponere, non est hominis ſapientis, ſed arrogantis, vanaque ſapientiae opinione inflati.

§. XV. Cum itaque haec JONAE historiam explicandi ratio viris vere eruditis et veritatis amantibus displiceat, ea repudiata aliam nonnulli illorum

rum ingrediuntur viam, priore meliorem. Libellum hunc non veram referre historiam, non hoc fuisse auctoris propositum, statuunt, sed fabulam exhibere moralem, pro veterum more eleganter et prudenter in Judaeorum usum adornatam, quales sunt parabolae in Euangelii historia obviae, propter usum moralem fictae; qualis v. gr. CICERONIS *Cato*, multae aliae veterum et recentiorum fabulae seu ἀπόλογοι. Nostra fabula eo tendit, ut doceat Deum, communem humani generis patrem, gentilium curam non deposuisse; eos saepe Judaeis esse meliores; odium Judaeorum in eos esse abominabile etc. In prophetae JONA persona proponuntur Israelitae contumaces, Deo inobedientes, alias gentes odio prosequentes, μισάνθρωποι (*q*). Sic

(q) Qui hanc tuentur sententiam, paraboli consilium aliter atque aliter constituunt. Et SEMLERUS quidem, *Apparat. ad liberaliorem V. T. interpretationem*, pag. 271., quem secuti sunt MICHAËLIS (in not. ad vers. Germ.) et EICHHORNIUS l. c., putat, auctoris consilium hoc esse: iniustum Judaeorum contra ceteras gentes esse odium, quod Deus pari liberalitate eas prosequatur, earumque ut et Judaeorum misereatur. HERDERUS vero, *Briefen uber das Studium der Theologie*, Tom. I, pag. 135, tenet, voluisse auctorem depingere vatem, sed ita, ut varii generis vitia, in quae vates facile incurrant, quaeque eorum munus saepissime concomitari soleant, in Ionae persona exprobraret. HEZELIUS rursus, nefas esse vatis munus obeundum recusare, prop-

te-

Sic omnia prono fluunt alveo. Poeticam hanc picturam auctor ornavit fabula ingentis piscis, JONAM illaesum deglutientis, dein vivum evomentis, aliorumque miraculorum, quae in talibus fictis narrationibus amantur. Apud veteres similis circumferebatur narratio de HERCULE, qui, cum canis marinus; *Carcharias*, a *Neptuno* immissus, HESIONEN *Laomedontis* filiam jam jam devoraturus esset, in os hiantis belluae insiliit, et cum toto triduo eum intus discerpsisset, capitis sui caesarie amissa exiit. Consulendus est BOCHARTUS (r); observavit quoque CYRILLUS Grae-

terea quod Deus illius ministerio in gentibus excultis effectus producat salutares, qui quidem effectus existimandi sint aequare incommoda, quae vates nonnunquam subire debeant. Hisce nonnulla opposuerunt J. G. A. MULLERUS et H. E. G. PAULUS, v. v. c. c. in diario hujus cura edito, *Memorabilien*, pt. 6, pag. 32. seqq., et pag. 142. seqq., paraboli autem consilium sic constituunt: Jehovam aliquando graves minari poenas, quas tamen, si homines ad meliorem redeant frugem, pro sua liberalitate et ad condonandum facilitate non sumit. Illustris EICHHORNIUS et hanc explicationem, l. c. §. 57. refutandam sibi sumsit. —— Hoc vero sententiarum divortium, ut mihi quidem videtur, satis improbabilem facit hypothesen; parabola enim ita comparata esse debet, ut ejus consilium nulli esse possit dubium; sin secus parabolica institutio omnino impeditur. L.

(r) In HIEROZ. part. 2, *pag.* 743, ubi CYRILLI et

Graecos de ſuo HERCULE fabulam habere ſacrae de JONA hiſtoriae non abſimilem. Ita etiam THEOPHYLACTUS. Recte, meo judicio, addit BOCHARTUS, *nempe cum per Phoenices ad Graecos veniſſet fama tenuis de vate Hebraeo, quem canis carcharias deglutitum, et in ventre ſervatum toto triduo tandem ſanum et incolumem evomuerit in littore, id Herculi ſuo* (nonnihil mutatum) *tribuere non dubitarint, quod videbatur eſſe ſummi roboris argumentum.* At, ſi tota haec de JONA narratio ficta est, omni ſane probandi et perſuadendi vi deſtituitur; quo modo, obſecro, Judaeos convincere poterit de amore et cura, qua Deus etiam exteras nationes proſequitur, eorumque ſaluti invigilat? de earum indole meliore? quomodo uti poterint ficto Ninivitarum exemplo ad ſuam emendationem? dicerent enim, omnia haec falſa ſunt; Deus nunquam ad Ninivitas legatum miſit; hi poenitentiam non egerunt; propheta JONAS nunquam ſe talem geſſit, qualis hic deſcribitur, quam quaeſo vim fabula haec habere poterit ad eos convincendos? Si vero historia vera ſit, haec omnia negare non poſſunt, nec ſine pudore in hoc ſpeculum intueri. Equidem miror ce-

le-

et THEOPHYLACTI loca legi poſſunt. Quae de fabulis Graecorum, quibus historia JONAE occaſionem dediſſe fertur, praeter BOCHARTUM adfert HUETIUS, *demonſtr. Euangel.* pag. m. 433. forte longius petita ſunt. L.

lebriores nostri temporis interpretes animum adeo ad hanc ſententiam, qua historia haec in fabulam moralem convertitur, inclinare. Toto ſane coelo diverſa est a parabolis Euangelicis, in quibus ficta perſona proponitur. v. gr. in parabola miſericordis Samaritani Ἄνθρωπός τις, Σαμαρείτης τις, etc. ita in reliquis. Nunquam homo notus, vero ſuo appellatus nomine, addito quoque patris nomine. JONAS *Amitthaei* filius vir notus et celebris erat propheta, teste historia 2 Reg. XIV: 25. Qui utique ſi ipſe hunc conſcripſit libellum, hanc de ſe non fingeret fabulam. Hic non mentiretur ſibi factum divinum mandatum, quod nunquam ſibi factum eſſe ſciret. Multo minus ipſe ſe deſcriberet tanquam immiſericordem, invidum, crudelem, μισάνθρωπον, ab omni humanitate remotum, contra Deum rebellem. In fabula aeque ac in historia tam abominabilis (loquor ex mente illorum, qui JONAE characterem adeo abominantur) veri legati Numinis indoles, qualem hic depingi putant, est valde indecora. Quis unquam mortalium ipſe ſe talem, tam abominabilem finxit, tam atro notavit carbone contra rei veritatem. An homo probus et ſapiens tanta ſe ipſe afficere potest injuria, ita hominem exuere, ita ſui amorem abjicere? ut de ſe crimina fingat, quae nunquam commiſit; ut mendacio utatur ad ſe perpetua ignominia afficiendum; ut in fabula posteritati ſe deridendum proponet; quin immo tanquam peſſimae indolis hominem, quemadmodum ab his interpretibus deſcribitur, lectorum ſe tradat indignationi

et

et abominationi. Non cadit hoc in ullius hominis, ſani ſincipitis, ingenium, multo minus in nobilem animum et indolem veri Numinis legati JONAE, *Amitthaei* filii. Vera ſua crimina agnoverunt et publice profesſi ſunt MOSES, DAVIDES, aliique viri ſancti, non ficta ſibi tribuerunt. Contra ea, ſi vera est historia, candorem prophetae admiramur, contumaciam et vitia ſua, a Deo reprehenſa, haud celantis. At vero alius forte dudum post JONAE fata hanc concinnavit parabolam; neque hic adeo fuisſet impudens, ut prophetae JONAE haec ficta tribueret ſine ulla ratione crimina. Potuisſet ſane, ut in parabolis Euangelicis fit, virum aliquem non nominatum, aut ficto inſignitum nomine, in ſcenam producere. Dixisſet potius, *erat aliquando propheta quidam, cui Deus in mandatis daret* etc. Porro, Optimus Maximus humani generis Servator haud dubie narrationem hujus libelli tanquam veram conſideravit historiam, ubi poenitentiam Nini incolarum eorumque indolem comparat cum nobili, et veritatis cupida indole *reginae Auſtri*, atque affirmat utrosque in ultimo et univerſali judicio Judaeis propter vitia his virtutibus contraria fore opprobio ac condemnationi. Non uſus fuisſet CHRISTUS fabula hominis innoxio, ſancto et celebri vati foedam aspergentis maculam. CICERO utitur quidem CATONIS celebri nomine et perſona, ſed in laudem et congruenter ejus indoli, et moribus, non ei tribuit ab his abhorrentia. Nemo quoque dixerit narrationem ita inſtitui, ut lectores ſtatim

ſen-

ſentiant esſe fabulam; ad hoc enim tempus usque innumeri, etiam acerrimi ingenii, hoc non ſenſerunt; nec vellem vel in fabula atro notari carbone, aut immerenti adſpergere maculam. Quilibet lector, historiae huic fidem adhibens, venerabundus in hoc illustri ſpecimine ſupremi judicis justitiam, bonitate atque clementia temperatam, communis Parentis hominum amorem univerſalem agnoscet, amplectetur, adorabit; Ninivitarum exemplo ſe ad poenitentiam, reſipiscentiam, vitaeque emendationem trahi ſentient peccatores et populi corrupti; omnia autem ſi ficta ſint, argumenta fiunt infirma, elumbia, omni ad perſuadendum destituta vi.

§. XVI. Praeterea nihil est in hoc libello et narrationis modo, quod fabulam ſapiat. Narratio ſimplex est, historico, non poetico, ſtilo exarata. Nullae hic occurrunt figurae poeticae, niſi in carmine doxologico; omnia quoque verae historiae criteria hic reperiuntur. Initium tale est, quale librorum historicorum esſe ſolet; ויהי *et fuit* verbum Jehovae etc. Ab hoc verbo libri historici inchoari ſolent. Forte ipſe JONAS non fuit libri auctor, ex majoribus commentariis deinceps ab alio excerpti. Ipſa autem historia ita ab auctore, quisquis etiam fuerit, narratur, ut omnia verae historiae habet criteria. Propheta JONAS deſcribitur tanquam *Amitthaei* filius, qui in S. historia tanquam celebris propheta notus est. Patris nomen additur, ne de alio JONA; multo minus ficta perſona, cogitaremus, ſed eodem AMITTHAEI filio, cujus mentio fit 2 Reg. XIV: 25.

Ex

Ex quo loco liquet, ſolum ejus natale fuisſe *Gat-chepher*, et floruisſe atque prophetam egisſe, quo tempore inter Israëlitas regnabat JEROBOAMUS *ſecundus* Eodem tempore, vel paulo post, *Asſyriorum* regnum tenebat PHUL, illudque florebat ac opibus valebat, namque hic rex MENACHEMI tempore regnum *Israëliticum* aggresſus fuit et ſpoliavit; MENACHEMUS regni ſui confirmationem magnopere ab ipſo emere fuit coactus. Quae porro de magnitudine et incolarum frequentia *Ninives* dicuntur, veterum historicorum relatione confirmantur. Ambitus urbis ſtadiis CCCCXXC conſtabat, vid. DIODOR. SICUL. *Biblioth.* (l. II. p. 115.) ubi dicit, τηλικαύτην πόλιν οὐδεὶς ὕστερον ἔκτισε κατά τε τὸ μέγεθος τοῦ περιβόλου, καὶ τὴν περὶ τὸ τεῖχος μεγαλοπρέπειαν. τὸ μὲν γὰρ, ὕψος εἶχε τὸ τεῖχος ποδῶν ἑκατὸν, τὸ δὲ πλάτος τρισὶν ἅρμασιν ἱππάσιμον ἦν. κ. τ. λ. *Tantam urbem nemo deinceps condidit quod ad ambitus magnitudinem et moenium magnificentiam. Nam murus altitudinem habebat centum pedum, et latitudinem tantam, ut tres currus junctim agitari posſent.* Secundum HERODOTUM *Babylon* eandem habuit magnitudinem (l I. p. 178.), de quo tamen dubitatur. STRABONI Ninus πολὺ μείζων ἐστὶ τῆς Βαβυλῶνος XVI. p. 1071. conſul. cl. P. WESSELINGIUS ad l. c. (s). Recte dicit HERODOTUS, urbem hanc

(s) DIODORUS SICULUS l. c. Lib. 2. c. 3. moenium ambitum hujus urbis fuisſe CCCCLXXX ſtadia-

hanc conditam esse ad *Tigrim*, non ad *Euphratem*, ut male DIODORUS (*t*) Iter quoque in *Hispaniam* ex JOPPES portu commodum, et fugienti e patria *Palaestina*, ut longe se ab *Assyria*, quam pe-

narrat; triginta autem duo stadia ex computo DIODORI et HERODOTI efficiunt unum milliare germanicum; itaque ambitus urbis fuisset quindecim milliaria, quod trium dierum itineri respondet, Vid. BOCHARTUS Geogr. S. Lib. 4. c. 20, pag. m. 251. et J. CASAUBONUS ad *Strabonem*, Lib. 1. pag. 23. Ne vero hoc incredibile videatur, a quibusdam citatus est locus CURTII, Lib 5. c. 1, quo de Babylone haec leguntur: „ aedificia non sunt admota muris, sed fere „ spatium unius jugeris absunt. Ac ne totam quidem „ urbem tectis occupaverunt; per XC stadia habitatur, „ nec omnia contigua sunt: credo, quia tutius visum „ est, pluribus locis spargi: caetera serunt, coluntque, „ ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius „ urbis solo subministrentur." L.

(*t*) Neque HERODOTUS neque alii in urbis situ definiendo sibi constant, quod recte observatum esse video a BOCHARTO l. c. pag. m. 248; ut vero discrepantes sententias conciliet, duas ejusdem nominis fuisse urbes, alteram ad *Euphratem*, alteram ad *Tigrin*, suspicatur. Magnus VENEMA, quod mihi ex ipsius schedis innotuit, urbis situm posuit ad ortum *Tigridis*, cis *Lycum* fluvium. Consulatur quoque doctissimus VAN HAMELSVELD. *Bybelsche Aardryksk.*, vol. 6. pag. 316. seqq. L.

petere jusſus erat, removeret, opportunum. Offendit nonnullos *Jehovam* ubique, tanquam omnium eventuum auctorem et directorem introduci: *Jeova immittebat ventum magnum, Jehova praeparavit piscem grandem, et ricinum* etc. Paucis has phraſes illustremus, dein ſcrupulum removeamus. Dicitur Cap I: 4. ויהוה הטיל רוח־גדולה אל־הים *tum laxavit Jehova ventum magnum in mare.* Verb. טול propr. ſignificat *laxari*, in longum extendi: eleganter autem Deus dicitur ventum, quem quaſi in theſauris et clauſtris reconditum habet, vinculis laxatis emittere, haec enim est notio *ſp. Hiph.* Sic dicitur *Pſ.* CXXXV: 7. מוצא רוח מאוערותיו, *educens*, vel pr. *emicare faciens, ventum ex theſauris ſuis.* Ita VIRGILIUS, ſi profana ſacris miſcere liceat, de *Aeolo*

— — Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempestatesque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.

Mox de Patre Omnipotente, Jove nempe, —

— — Regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas ſciret dare jusſus habenas

(*Aeneid* l. 1.) Ita olim rudiores homines, ſive hiſtorici ſive poetae, et hodieque vulgus, de vento et tempestatibus loquebantur. Altera phraſis וימן יהוה דג praeparavit *Jehova piscem* Cap. II: 1. וימן יהוה־אלהים קיקיון, Cap IV: 6. וימן האלהים תולעת Cap. IV: 7. וימן est fut. in *Pih.* per apocopen pro וימנה th. מנה, quod aeque ac obſo-

letum 'מנן' pr. notat *secare*, *praecidere*, hinc *numerare*, certa quantitate et numero definire. Convenit cum Arab. مني *secare*, *secando limites praecidere*, *et accurate definire*, *mensurare* spec. adhibetur de *fato*, εἱμαρμένη, *praefinita* et *praefecta portione*, *morte*, quae vocatur منا et منية, pr, *res accurate* a Deo *definita*, *decisa*, *fatum*, Vid. v. gr. *Ibn Doreid* vs. 63, utrumque verb. etiam significat *portionem sectam*, et *praecisam alicui tribuere*, qualis *portio* מן et מנה appellatur, *Arab.* منّ a من, hinc usu *donum*, *beneficium*, eximie *divinum*, et ita dicta *manna*. Sic *Exod.* XVI: 15; ubi Israëlitae mannam primum videntes dixisse leguntur מן הוא, non ut vulgo putant, *quid hoc?* sic potius dixissent מה הוא; sed *donum hoc divinum*; ita existimaverim, dissentiente licet MICHAELE (*u*). Prima vice miraculosum hunc ci-

(*u*) *Suppl. ad Lex. Hebr.* pag. 1517, sic quoque SCHEIDIUS *Lex. Hebr.* pag. 314. Placuit auctori nostro Rabbinorum sententia (vid. BUXTORFIUS in *diss. de Manna*, Cap. I.), quae aliis tamen displicuit quia durum videtur MOSEM sic interpretari: „cum Israëlitae ubique deprehenderent minuta grana, pruinae „instar ac mollia, clamabant: donum divinum! nesciebant enim quid esset." —— Verisimilior itaque nonnullis videtur SALMASII interpretatio (in diss. *de Manna*, adn. *Exercit. Plinian. Tom.* 2. pag. 246), putantis, Israelitas conspecto coelesti pane, cum nescirent quid

cibum videntes, a MOSE jam ante moniti de cibo, qui divinitus donaretur, exclamant *donum hoc divinum!* ecce donum coelitus missum! hac voce manna ab *Arabibus* designari solet v. gr. *Alcor.* II: 54. Sed redeamus ad locum nostrum. Verb. מנה *praecidere* idem quoque valet ac *praecise definire*, *constituere*, *ordinare*, et exprimit *praeparationem* rei *praecise definitam*, et accurate expressam, qui usus nostro loco aptissimus est. Indicat auctor, Deum provida cura et directione sua effecisse, ut grandis iste piscis eo praecise loco, temporisque momento, quo JONAS in mare praecipitabatur, praesto adesset ad eum deglutiendum paratus. Eundem usum habet Cap. IV: 6, 7, 8. Effecit Deus, ut illo praecise temporis articulo adesset *ricinus*, *vermis*, *ventus orientalis*. Non autem est, cur haec Numinis provida cura, et singularis directio, quam homines sapientes frequenter in omni vita, in casibus humanis, praesertim in magnis eventis, observant, alicui bilem moveat, quippe qua in hac historia prorsus carere non possumus. Nisi ingens iste piscis eo praecise tem-

quid esset, judicasse, *Mannam* esse ordinariam, qualis in *Aegypto* erat notissima. Ego autem suspicor מָן ortum esse celeri pronuntiatione ex מָאן, atque adeo Israëlitas dixisse: *unde hoc?* Quae quidem interpretatio et facilis est et rebus circumstantibus apta, et cohaerens cum responsione MOSIS. L.

temporis momento praesto adfuisset ad prophetam deglutiendum, utique aquis suffocatus periisset: ut vero adesset divina opus erat directio, atque ita in caeteris. Scopum assecutus fuit Deus eo temporis momento, et quidem celerius, quam per ordinarias naturae leges fieri solet, excitando ricinum; crescit quidem subito hic frutex, non tamen una nocte adolescit: agnoscamus ergo et hic Omnipotentis manum. Tota haec JONAE historia ita comparata est, ut ubique extraordinarium ac miraculosum Numinis interventum requirat.

§. XVII. Non est, quod dubitemus de hujus libelli veritate historica, et divina auctoritate, quae arctissime cohaerent. Semper enim locum suum inter XII prophetas minores tenuit, qui omnes simul, tanquam unus liber, considerabantur et citabantur. XII Prophetarum jam mentionem fecit *Sirach.* XLIX: 10. *Tobit* diserte JONAE meminit Cap. XIV: 4. his verbis, πέπεισμαι ὅσα ἐλάλησεν Ἰωνᾶς ὁ προφήτης περὶ Νινευὴ ——. JOSEPHUS totam hanc historiam, quod ad rei summam attinet, enarravit, et quidem, ut ipse dicit, ὅσα περὶ τοῦ προφήτου εὗρον ἐν ταῖς Ἑβραϊκαῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένα, *quaecunque de hoc propheta inveni in libris Hebraicis annotata.* Speciatim quoque mentionem facit miraculi, quo a pisce grandi deglutitus salvus evaserit, his verbis τὸν δὲ, λόγος, ὑπὸ τοῦ κήτους καταποθέντα τρεῖς ἡμέρας καὶ τοσαύτας νύκτας, εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκβρασθῆναι πόντον, ζῶντα καὶ μηδὲν τοῦ σώματος λελωβημένον *Hunc vero ajunt a pisce deglutitum post tres dies totidem-*

demque noctes in Euxinum pontum ejectum fuisse, vivum et corpore nihil omnino laesum (v). Porro *Ecclesiae Patres* et *Judaei Thalmudici* de veritate hujus historiae, et libelli auctoritate divina, non dubitarunt. Quod autem praecipuum est, eam ipse Servator agnovit, atque comprobavit *Matth.* XII: 40. c. XVI: 4, *Luc.* XI: 32. In loco priore dicit, *quemadmodum fuit* JONAS *in ventre ceti tres dies et tres noctes, ita erit filius hominis in corde terrae tres dies et tres noctes.* Ubi omnino praesumit historiam esse veram, et evidentissimum ei perhibet testimonium. Quam vere CHRISTUS per tres dies noctesque in sepulchro, tam vere JONAS tam diu fuit in ventre grandis piscis. Non dubitandum itaque de historica veritate omnium eorum, quae in hoc libro referuntur. *Luc.* XI: 32. *Incolae Ninives*, inquit Servator, *surgent in judicio cum hac generatione, eamque condemnabunt, quia ad* JONAE *praeconium resipuerunt.* Eodem modo locutus fuerat de *regina austri*, sive *Arabiae Felicis*, quo haec historia extra omnem dubitationis aleam collocatur. Nemo enim dubitat de hujus reginae historia et itinere, eum in finem instituto, ut SALOMONEM conveniret, ejusque sapientiae experimentum faceret. Jam vero CHRISTUS fabulam veramque historiam, fictas et veras personas, non inter se per-

(v) *Antiquit. Judaic. Lib.* 9, *cap.* 10., pag. 497. seqq. L.

permisceret. Fac JONAE historiam esse fabulam, qua quaeso ratione surgent *Ninivitae* cum Judaeis, et in extremo ac universali de humano genere judi.io eos condemnabunt? quod ipsi ad JONAE praeconium resipuerint, Judaei vero CHRISTO ad poenitentiam hortante manserint impoenitentes. Nullum sensum, nullam vim, haec CHRISTI argumentatio habere potest, si JONAS ad *Ninivitas* missus non fuerit, nec illi poenitentiam egerint. Nemo, qui cerebrum habet, ita Servatoris verba intelligit, quasi *Nini* incolae proprie cum CHRISTO in tribunalibus sessuri sint ad JUDAEOS condemnandos. Procul omni dubio huc redit ejus argumentatio, *Ninivitae* et regina austri tempore ultimi judicii Judaeis erunt opprobrio et condemnationi, siquidem ex eorum exemplo clarissime liquebit Judaeos impoenitentes jure condemnari, et *Ninivitis* multo esse pejores.

§. XVIII. Reperitur praeterea aliud in CHRISTI verbis argumentum, quo miraculum conservationis JONAE in piscis ventre et liberationis ex eo haud parum confirmatur, atque simul docetur *Nini* incolis hoc notum fuisse, eoque tetendisse, ut JONAM, hominem peregrinum sibi ignotum tam facile admitterent tanquam prophetam vere a Deo missum, quippe miraculo, in ipsius gratiam facto, convicti. Increduli Judaei petebant σημεῖον *signum*, haud dubie *miraculosum*, אות, ex quo certiores redderentur de divina *Servatoris* missione, sed CHRISTUS negat aliud illis *signum* datum iri, quam *signum* JONAE *Prophetae*

is-

istius celebris *Matth.* XII: 39. Quale autem hoc erat *signum?* nullum aliud, quam triduana commoratio in piscis ventre et liberatio ex eo; ita enim ipse explicat ibid. vs. 40. ὥσπερ γὰρ ἦν Ιωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους κ. τ. λ. Quin apud *Lucam* dicit καθὼς ἐγένετο Ιωνᾶς σημεῖον τοῖς Νινευΐταις, οὕτως ἔςαι καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ. Duo hic affirmat; *primum* est, JONAM fuisse *signum miraculosum*, nempe per tridui commorationem in piscis ventre, et liberationem ex eo, adeoque hoc miraculum re vera contigisse, quin immo tam vere, ac hoc factum erat miraculum, *filium hominis* per triduum in sepulchro commoraturum, et tum resurrecturum atque ex eo vivum proditurum esse. *Alterum* est, *signum* illud factum esse *Ninivitis*, eorum causa, in eorum gratiam, adeoque ipsis notum fuisse, iisque convincendis inserviisse. Non dubitandum itaque est, quin miraculum hoc ipsis per nautas, aliosque hujus maritimi itineris socios, fuerit narratum, atque argumentis adeo evidentibus probatum, ut nullum dubium, nullus remaneret scrupulus, adeoque promte sine ulla haesitatione verbis prophetae, quem vere a Deo missum esse ex hoc constabat miraculo tanquam evidentissimo signo, fidem adhiberent. Immo vero jam ipsis liquebat hoc miraculum patratum fuisse, ut ipsis persuaderetur, JONAM ab Omnipotente mundi Domino ad ipsos missum esse. Mirari hic subit, posse adhuc Christianos de veritate historiae JONAE dubitare; sed multo magis posse nonnullos, non obstante

hoc certissimo Divini Servatoris testimonio, a se impetrare, ut tanquam absurdam et ridiculam fabellam tractent. Nos potius concludimus verbis Patris Apostolici, CLEMENTIS R. in ep. I. ad Corinth. §. VII. Ἰωνᾶς Νινευΐταις καταστροφὴν ἐκήρυξεν, οἱ δὲ μετανοήσαντες ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν, ἐξιλάσαντο τὸν Θεὸν ἱκετεύσαντες, καὶ ἔλαβον σώτηρίαν, καίπερ ἀλλότριοι τοῦ Θεοῦ ὄντες. In his secure acquiescimus. Tantum nostri temporis homines ac populos, saepe in captarum urbium incolas, crudeli et horrendo modo saevientes, rogatos velimus ut ex supremi humani generis regis exemplo, hic vivis depicto coloribus, humanitatem, misericordiam, ac clementiam, omnesque christianos ut discant verum hominum amorem, suo nomine dignum.

AP-

APPENDIX

DISSERTATIONIS

PRAECEDENTIS.

§. I. Dissertationem hanc de argumento et veritate historica libelli JONAE, jam ante aliquot annos conscriptam nondum tamen vulgatam, relegi, simul cum recentiorum conaminibus, historiam hanc in apologum convertere conantium, serio ad examen revocavi, solo actus veritatis studio. Certissime adhuc persuasus sum in *Servatoris* testimonio reperiri argumentum pro veritate historiae hujus libelli omni exceptione majus, nulla arte eludendum, *Matth.* XII: 39—42. Cap. XVI: 4. *Luc.* XI: 29, 30, quo in ipsa dissertatione jam usus sum, quos locos nunc paucis urgere liceat. Non simpliciter Servator JONAE *librum citat*, sed ita de JONA et *Ninivitis* loquitur, ut mea sententia veri amantes, et judicio critico praediti, vix dubitare possint, quin universae huic historiae fidem habuerit. Dicit JONAM *signum*, procul dubio miraculosum *Nini* incolis fuisse, quale Judaei a CHRISTO petebant; et quidem signum fuisse, qua-

quatenus tres dies noctesque in piscis ventre commoratus fuit. In eo consistebat hoc signum miraculosum, quod JONAS tam diu in monstri marini ventre latens, vivus ex eo prodiret; alius Servatoris verbis sensus effingi nequit. Cum hoc jam signo suum, Judaeis dandum, comparat, *quemadmodum enim*, inquit, *erat* JONAS *in ventre τοῦ κήτους tres dies et tres noctes; ita erit filius hominis in corde terrae tres dies et tres noctes.* Hoc est, tam vere ac JONAS tres dies et tres noctes fuit in ventre grandis istius piscis, et eo ipso signum miraculosum NINIVITIS, ex quo constaret eum divinitus ad ipsos missum esse, ipsis convincendis, ac ad poenitentiam vitaeque emendationem movendis aptum solumque sufficiens; tam vere commoratio filii hominis aeque longa in terrae ventre, ex quo vivus prodibit, signum erit miraculosum Judaeis convincendis et ad fidem ac poenitentiam adigendis aptum solumque sufficiens. Fac jam, JONAE historiam esse fabulam fictam, nulla in CHRISTI ratiocinio demonstrandi vis erit. Respondere enim poterant, quemadmodum JONAS nunquam revera in piscis ventre fuit, vivusque ex eo prodiit, ita tu nunquam vere post tridui moram in sepulchro vivus ex eo prodibis. At vero regerat aliquis, „Judaei putabant esse veram historiam, licet revera non esset. Servator se accommodat ad ipsorum opinionem, quasi diceret, quemadmodum vos creditis, JONAM fuisse in ventre piscis, sic vere erit filius hominis in terrae gremio." Quo modo haec cohaerent, ut fingitur in apologo, JO-

NAM

NAM fuisse, ita vere filius hominis erit? Non tamen ita ratiocinatur Servator, sed clare dicit καθὼς *sicut fuit* JONAS, οὕτως ἔςαι κ. τ. λ. haec in alium *sensum detorqueri nequeunt.* Sensus planus et apertus, *sicut*, *quemadmodum*, *quam certo*, fuit JONAS, etc. ita filius hominis erit. Si jam JONAE *casus* fictus, iste filii hominis etiam fictus, non verus; siquidem secundum CHRISTI verba hi casus prorsus similes sint oportet. Si coelestis Doctor se ad Judaeorum praejudicatam opinionem accommodare voluisset, clarius locutus fuisset, ne saltem sequentium aetatum historiae suae lectores in inevitabilem induceret errorem. Dixisset v. gr. *quemadmodum* JONAM *fuisse perhibent*, *ut* JONAS *fuisse dicitur*, vel alio simili modo, non καθὼς *sicut* JONAS erat, οὕτως ἔςαι *ita erit* filius hominis. Si Servatorem nostrum audire velimus, *eodem modo* erit filius hominis ac JONA fuit. nulla hic superest elabendi rima.

§. II. CHRISTUS tam in loco *Matthaei* quam *Lucae* dicit, ἄνδρες Νινευῖται ἀναςήσονται ἐν τῇ κρίσει κ. τ. λ. *Nini incolae surgent in Judicio cum generatione hac, eamque condemnabunt, quod resipuerunt ad* JONAE *praedicationem*, *et ecce* JONA *major hic!* procul dubio sensus horum verborum huc redit, *Nini* cives in judicio universali Judaeis incredulis hujus temporis, qui me docentem audiverunt, erunt opprobrio; ex illorum exemplo liquebit, horum condemnationem esse justam. Nam *Ninivitae*, signo JONAE, id est ejus miraculosa conservatione et liberatione ex piscis ventre, convi-

victi, ipsis urbis interitum, nisi resipiscerent, praedicenti, tanquam Numinis legato fidem habuerunt, pravae suae vitae ipsos poenituit, moresque emendarunt. Haec autem Judaeorum generatio mihi, JONA multo majori, fidem negat. Si jam historia JONAE ficta fabula sit, argumentum hoc fit infirmum, et ridiculum. Si JONAS nunquam *Nini* incolis ob scelera interitum proclamavit, si illi nunquam resipuerunt, ad meliorem mentem frugemque redierunt, qua obsecro ratione Judaeis in judicio universali erunt opprobrio? quo modo ex eorum exemplo liquere potest Judaeorum incredulorum et impoenitentium condemnationem esse justam? explicent haec quaeso viri docti, hujus sententiae patroni, atque hunc mihi scrupulum eximant! Eruntne ergo personae scenicae testes in universali judicio coram Filii Dei tribunali?

§. III. Mox post *Ninivitas Regina plagae australis* a Servatore memoratur, tanquam etiam una cum *Ninivitis* generationi huic incredulae tunc opprobrio futura. Illane ergo etiam ficta persona est? Nemo sane de hujus historiae veritate dubitat. An ergo probabile est, Servatorem veras fictasque personas inter se permiscere voluisse? Nonne lectores omnes, quorum mens praejudicata opinione obnubilata non est, existimabunt, CHRISTUM utramque historiam veram habuisse? Ergone nos dubitabimus de historia, de qua ipse Dei Filius non dubitavit?

§. IV. Haud dubie miraculum illud commorationis JONAE in piscis ventre offendit emunctae naris

lectores, ad anilem superstitionem et fabulas nauseantes. Sed miraculum hoc diserte memorat, et in *Ninivitarum* gratiam factum fuisse docet Servator; nec illo haec historia carere potest. Sine hoc enim JONAE, homini peregrino atque ignoto fidem haud habuissent; at hoc audito et a testibus idoneis probato, persuasi fuerunt, JONAM revera Jehovae esse legatum, atque hunc Judaeorum Deum esse omnipotentem coeli terraeque Dominum. Miraculum hoc ipsis notum fuisse non quidem in JONAE historia refertur, sed ex CHRISTI verbis liquet, et extra omnem dubitationis aleam collocatur: signum enim illud *Ninivitis* fuisse affirmat; quo modo autem signum illis esse potuit, si non vere contigit? ostendant hoc, qui aliter sentiunt, aut si illis ignotum fuit. Nulla quidem in historia veteri exterorum scriptorum singularis hujus eventus exstat vola aut vestigium, sed quis hoc in tanto monumentorum defectu, et de multis aliis rebus silentio, miretur. Praeterea argumentum hujus libelli bene cohaeret: omnia ad hunc tendunt finem, ut doceatur et illustri exemplo demonstretur, *Deum Opt. Max.* etiam tempore veteris Oeconomiae non solum populum *Israëliticum* carissimum et in filiorum loco habere, aliis gentibus prorsus repudiatis; sed tanquam clementem totius humani generis Patrem reliquos quoque populos amare, curare, et a virtute veraque felicitate aberrantes eo revocare; non singulorum hominum atque populorum interitu, sed salute delectari. Quin totius hujus rerum universitatis Creatorem et Dominum

su-

ſupremum ipſa animalia bruta haud negligere omnium creaturarum velle felicitatem, eorum capacitati atque indoli convenientem, omnemque erga illa crudelitatem damnare. Nullus est V. T. liber ſacer, qui tam evidens ſpecimen clarumque hujus veritatis exhibet exemplum, quam hic. Accedit in exemplo JONAE reprehendi, proſtitui, et a Deo improbari omnes rigidos et ſeveros religionis et veritatis zelotas, non niſi justitiam vindicativam clamantes, Dei amore tanquam praetextu uſos, ut in naturae conſortes ſaeviant, Dei amorem a φιλανθρωπια ſeparantes, cum haec duo indivulſo nexu cohaerere, parique pasſu incedere, debeant. Quodſi enim propheta vere Deum amans, ſed nimio abreptus zelo ad ſeveritatem, acrem meruerit reprehenſionem, quanto magis Dei hominumque indignatione et ſevera poena hypocritae digni ſunt. Contra, hoc exemplum omnibus Religionis doctoribus commendat et inculcat animi lenitatem, manſuetudinem, hominumque amorem. Librum hujus argumenti omnes generoſae indolis et liberales Theologi gratum acceptumque habeant oportet, quin dignum cenſeant ſuo in collectione librorum S. V. T. loco. Tales quidem non posſunt non omnem anilem ſuperſtitionem odisſe, tanquam pestem periculoſisſimam. Multos diuturnam illam Prophetae in pisce moram prima ſpecie offendisſe, atque ad has cupedias nauſeasſe, equidem non miror. Sed re attentius conſiderata, eos ſecuros reddere debuisſet, tum libri argumentum; tum Servatoris auctoritas; tum Numinis omnipotentia, ſemper tamen

men cum ſapientia conjuncta, ad cujus contemplationem vel acerrimum hominum ingenium ſtupidum est.

§. V. Ego ſaltem in his ſecure acquiesco; nec anxie cum aliis quaero, utrum JONAS ipſe, an vero alius ſit hujus libelli auctor. Mihi non improbabile videtur, esſe ex majori opere historico excerptum. Est revera liber historicus, historico ſtylo exaratus, ordini librorum propheticorum inſertus, quia celebris vatis fata continet. Quod ſi ipſe hunc librum compoſuisſet, haud dubie integros ſuos propheticos ſermones, more aliorum prophetarum, quos ad Israëlitas, forte etiam post hunc caſum ad Ninivitas habuit, huic ſuo operi inſeruisſet. Non tamen putaverim, dictionem ejus aetatem valde recentem ſpirare, ac longe a *Jerobeami* II tempore remotam esſe; multo minus cum recentisſimo JONAE interprete in Germania, viro erudito NACHTIGAL in Celeberrimi J. G. EICHHORNII *Bibliotheca univerſali* (*to. IX*), libellum hunc, apologum continentem, tres diverſos habere auctores. Exiſtimat iste vir doctus preces Cap. II: 3 — 10., esſe ipſius JONAE. Has forte olim ſolas in collectione S. librorum fuisſe repertas cum hac inſcriptione: *Preces* JONAE *filii Amithaei, postquam Deus illum e manu regis Asſyriorum liberasſet:* ſaltem antiquam traditionem popularem JONAE eas tribuisſe. Suspicatur JONAM ab Israëlitarum rege, forte *Jerobeamo* II, legatum misſum fuisſe ad *Asſyriorum regem* offenſum, bellumque minantem, ad ejus iram deprecandam,

G tum

tum in magnum incidisse periculum, ex quo inopinato liberatus sit, atque hac occasione has fudisse preces, in iis summum vitae amittendae periculum poetice pingere, ac coloribus exornare, se proponere in mare projectum, aquarum mole obrutum, cum fluctibus colluctantem. Quae omnia improprie putat intelligenda esse de periculo maximo et praesentissimo. Multis probavit exemplis poetas orientales his figuris uti solere ad describendum statum hominis, in maximo versantis periculo, licet proprie in aquas non sit immersus. De quo nemo literarum Orientalium peritus dubitat. Tantum quaeritur, utrum hae phrases in JONAE carmine proprie an improprie intelligendae sint? si historia, in hoc libro relata, vera est, haud dubie proprie. Carmen hoc gratiis Numini agendis destinatum mea sententia confundendum non est cum brevibus precibus ipso illo momento, quo in piscis ventrem illaberetur, vel modo illapsus esset, fusis, quarum mentio fit vs. 2. Sed carmen inde a vs. 3. ad 11. continet gratiarum actionem pro liberatione x periculo, adeoque deinceps a JONA periculo jam depulso compositum fuit. In hoc jam carmine utitur dictione poetica, eleganti, ad exemplum aliorum poetarum. Ab hac dictione poetica multum diversa sit dictio historica oportet. Aliud est poetam, aliud agere historicum, ex hac itaque styli diversitate non liquet, partem libri historicam alium habere auctorem. Conjicit tamen hic interpres, partem historicam alios habere auctores, dictionis diversitate nixus. Secundum ejus

con-

conjecturam Cap. III et IV ab alia manu additum, forte in exilio Babylonico, atque ita concinnatus fuit hic apologus de JONA ad Ninivitas Dei jussu cum minis repentini interitus misso, ad eos ad resipiscentiam movendos, quae felicem habuerint effectum, ut discerent Israëlitae alias quoque gentes Deo curae cordique, et saepe Israëlitis esse meliores, adeoque supercilium, fastum, ac exterarum gentium contemtum esse deponendum, earum exitium non optandum. Sed hactenus deerat fabula fugae JONAE, tempestatis et piscis. Deinde, forte tempore ESRAE aut NEHEMIAE hic additus fuit prologus, qui continetur Cap. I et duobus primis nec non ultimo versu Cap II. voce תרשיש Tarsis occasionem praebente, quasi Propheta Cap IV: 2, dixisset, *potius Tartessum, id est ad mundi finem fugissem*; quae verba, si ipsum audire velimus, occasionem fugae prophetae fingendae praebuerunt. Imagines in JONAE precibus *maris, aquarum, fluctuum et iter* versus Tartessum per mare mediterraneum, excitarunt ideam tempestatis et naufragii. בטן שאול dedit ansam cogitandi de *ventre grandis piscis*. Qui tractatus dignus est qui legatur, plura enim excerpere non lubet (*w*). Miror equidem auctoris hujus in-

(*w*) Illustris EICHHORNIUS novissima *Introd.* editione §. 577, NACHTIGALII hypothesin explicuit et recte observat, in hujus gratiam haud paucas historiae περιστάσεις, easque minus certas adsumi debere. L.

ingenium, ſed conjecturae ſunt merae, tantum dictionis diverſitate nixae. De discrepantia ſtyli carminis doxologici, et reliquae libri partis historicae jam ſatis dictum est. Dictionem Cap. III et IV ejus esſe indolis, ut ad exilium *Babylonicum* rejicienda ſit, equidem non video, neque tantam dictionis diverſitatem inter Cap. I etc. et Cap. III ac IV obſervo, ut Cap. I etc. alium requirat auctorem, ab auctore ultimae partis diverſum: voces rariores hic obviae id non ſatis probare videntur. בשלמי Cap. I. 7. in nullo alio loco S. C. in hac compoſitione occurrit, componitur ex ב, vocula של, et pron. מי, vocula vero של rurſus compoſita est ex particula inſeparabili ש et ל dativi caſus nota. Dicebant Hebraei בשלי pr. *per id quod ad me*, hoc est *meam ob cauſam*, quod occurrit vs. 12. hujus Cap. בשלך *per id quod ad te*, *tuam ob cauſam*, et ſic cum caeteris pronominibus fieri potest compoſitio. בשלמי *per id quod ad quemnam*, *cujusnam ob cauſam*. plena forma adest vs. ſeq. 8vo. באשר למי, *cujusnam ob cauſam?* hoc est *ob quam perſonam* a te laeſam, adeo terribili tempestate navis jactatur. Nulla videtur esſe convenientia ſtyli *Pſ*. CXXII. et *Pſ* CXXIV. quam quod ibi aliquoties particula ש ex אשר pro ipſo pronomine אשר adhibetur. Ob ſolum uſum particulae ש ex אשר decerptae nostri auctoris ſtylus comparari videtur cum dictione libri קהלת, ubi ejus uſus frequentisſimus. Quae tamen ratio ſufficiens non est, uſus ejus enim est multo antiquior, ſic *Jud*. VII: 12. שעל,

in

in *Cantico Canticorum*, qui liber haud dubie SALOMONEM habet auctorem, Cap. I: 7. Cap. IV: 1, 2. (*x*). שלי, *quae mihi*, *mea: Cant.* I: 6. Cap. VIII: 12 cum verbis componitur etiam *Cantic.* II: 7. et *Jud* V: 7 Quin in antiquisſimo *Geneſ.* libro jam legitur בשגם Cap. VI: 3 omitto loca alia. Ex hac itaque rariore compoſitione vocum בשלמי et בשלי non liquet librum nostrum eſſe aetatis, illa JEROBOAMI II multo recentioris. שכן occurrit Cap. IV: 10, quod magis probat *ſtyli* ſimilitudinem, quam disſimilitudinem. Per omnes linguae Haebraeae aetates illam particulam ש ex אשר decerptam cum verbis, nominibus, et particulis compoſuisſe videntur, ſed alius alio frequentius, ut fieri ſolet, quod huic est in deliciis, alterius palatum ſastidit. Cum nomine quoque conſtruitur *Cant.* V: 2. שראשי.

§. VI. Alia etiam in auctore nostro occurrunt vocabula rariora, ſed bonae notae. מלחים *nautae*, *remiges*, hunc uſum quoque apud *Arabes* habet, et EZECHIËLEM Cap. XXVII: 29, ubi conjunguntur מלחים et כל חבלי הים, *remiges omnesque nautae maris*. חבל, pr. *torſit*, pecu- lia-

(*x*) Haud ſcio an multis haec adſertio posſit probari? —— Quidquid autem de istius libri auctore ſtatuere huic aut illi videbitur, uſus particulae ש loco אשר vetus est, JACOBO quoque notus, etenim *Gen.* 49: 10, auctoritate antiquisſimorum verſionum et codicum, legendum שֶׁלֹּה. L.

liariter *intorsit funem*, hinc חבל *nauta*, cujus est *funes intorquere*, et valide *adstringere*, quando vela pandit. Hic vs. 6, nautarum praecipuus, praefectus, nauclerus, vocatur רב החבל. Rursus *Ezech.* XXVII: 27. מלחיך וחבליך, et vs. 9. ejusd. Cap. ספינה alibi in S. Cod. non occurrit, sed apud *Aramaeos* et *Arabes* frequentissimi usus, et bonae notae vocabulum est. سفينة, et ܣܦܝܢܬܐ passim in versione Syriaca N. T. ubi de qualicunque navigio saepe adhibetur. Designat proprie *navem elegantiorem* et potissimum *superne tectam.* אניה in genere *qualemcunque navem* denotat, ספנה non אניה vs. 5. vocat, ut indicet navem fuisse commodam, superne tectam, ita ut JONAS etiam vehementiore vento et tempestate ingruente commode in ea somnum capere posset. Pertinet praeterea ad dictionis elegantiam, ubi plures ejusdem significationis voces in lingua, qua utimur, exstant, non semper eadem uti, pulchra est variatio. Tandem cum paucissimi veterum Hebraeorum libri supersint, vix certo definiri potest, num verbum semel tantum in reliquiis Hebraeae linguae obvium, revera lingua vernaculo usu florente fuerit rarum, et apud optimos auctores non usitatum Ex frequentissimo nominis ספינה in vicinis dialectis usu conjicere liceret, illud apud Hebraeos non fuisse rarum. Idem affirmari posset de verbo חתר *cavare*, *excavare*, *excavando perfodere*, ita ut fiat hiatus, et transitus pateat. Sic de furibus adhibetur, parietem perfodientibus, ut in domum irrumpant. Quod verb. cum *fodiendi* notione frequen-

quenter obvium est, ſed apud noſtrum auctorem Cap. II: 13. conſervatus est ſpecialis uſus nauticus, quo adhibetur de remigibus, qui ingentes fluctuum cumulos vehementer remigando perrumpere conantur, ut ſibi aditum ad terram continentem faciant. Qui verbi hujus uſus forte olim in lingua Hebraea in re nautica ſatis fuit frequens; ſed nulla forte in toto Codice Hebraeo illum uſum adhibendi reperitur occaſio, quam hoc uno in loco ויםן eleganter et praeciſe ſuo loco adhibetur tam Cap. II: 1. quam Cap. IV: 6, 7, 8. ex quo, accedentibus aliis criteriis, conjicere licet auctorem utriusque partis eſſe eundem. De verbo hoc in ipſa Disſertatione dixi. Verb. עשת ſatis uſitatum est, ſignificat *nitere*, *nitidum* et *ſerenum eſſe*. Sic uſurpatur de *nitore eboris Cantic.* V: 14. *ferri* politi *Ezech.* XXVII: 19. Hinc transfertur eleganter ad *vultum nitidum*, ſerenum, benignum, etiam ad *coeli faciem ſerenam* et jucundam, ad tempestatem nullis nubibus, nimbis, aut procellis obſcuratam. Eleganter noster historicus introducit navis gubernatorem dicentem אולי יתעשת האלהים *fortasſe ſerenum ſe exhibebit iste Deus*, respiciet nos vultu benigno, et gratioſo, ſe clementem praebebit, coeli aërisque ſerenitatem revocabit. Sic Romani per *Jovem Serenum* ſimul Numen, ſimul aërem intelligunt. Hic verbi uſus quamvis ſingularis ſit, nec alibi in S. C. obvius, quilibet ſentit ejus elegantiam, ſentit quam perite verb. ex ſenſu praeciſe hoc loco adhibitum ſit? quis etiam negaverit olim forte uſus fuiſſe

frequentissimi, saltem ferreae aetatis barbariem non redolet. קיקיון est planta, arbor, quae alibi in S. C. non occurrit, verumque suum habet nomen. בן־לילה bene quoque secundum Hebraei sermonis indolem dicitur. Solet nempe בן *filius* cum temporis nomine conjungi, etiam ab optimis scriptoribus, ad ejus quantitatem indicandam. בן שנה *filius anni*, *anniculus*, *Exod.* XII: 5. *filius tot annorum*, id est, *tot annos natus*, ita passim in annalibus regum Hebraeorum, et ubi aetatis anni enumerantur, quod nullus Hebraei Codic. lector ignorare potest, quod apud Arabes quoque vulgari usu receptum est. V. gr. in EUTYCHII *annalibus* (p. 65, 69.) — *filius mensis*, *unum mensem* natus, (p. 106.) Saulus dicitur בן שנה במלכו, etsi ibi numeri excidisse videntur, quod nihil ad rem facit. Nullus itaque est soloecismus, quum noster de *ricino* dicit שבן־לילה היה ובן־לילה אבד, id est, *una nocte in altum succrevit et una nocte exaruit.*

§. VII. Auctor hujus historiae aliquando phrasibus quoque utitur elegantioribus. Sic Cap. I. vs. 4. והאניה חשבה להשבר, et הטיל רוח־גדולה, quae posterior figurata et poetica est, proprie *navis cogitabat frangi* per figuram rhetoricam, omnes qui nave vehebantur, cogitabant fieri aliter non posse, quin navis frangeretur, naufragium facerent, nisi cessaret tempestas. Porro ויעמד הים מזעפו, הים הולך וסער עיר־גדולה לאלהים, ne plura commemorem. Praeterea Cap. III. diserte dicit historicus שנית *secunda vice dedit Jehova*

 man-

mandatum; et verba על כן קדמתי לברח תרשישה non posſunt ſignificare, *potius fugisſem Tartesſum*, vel *antevertisſem fugere*, vel *occupavisſem fugere*; ſed certisſime denotant, *propterea occupavi fugere Tartesſum*. קִדֵּם est *praevenire*, *antevertere*. Gr. φθάνειν. In univerſum dictio historica tam partis primae, quam ultimae, mihi videtur clara, non inelegans, emphatica, argumento bene accommodata, praeſentisſimum naufragii periculum, nautarum conſternationem, commotionem affectuum in *Nini* rege, civibus, JONA aptis verbis et phraſibus exprimens, vivisque pingens coloribus, nec JEROBOAMI II aetate indigna. Non auſim itaque ingenioſas NACHTIGALII amplecti conjecturas, quibus ſuum pretium relinquo integrum. Tantum veritatem quaero, et rationum pondus examino. Judicium de his lubens lectoribus, linguae peritis, in S. codicis ſtudio exercitatis, ejusque reverentia imbutis permitto: a litibus et rixis abhorreo: quam mihi ſumo libertatem, aliis lubens concedo.

O R A T I O

De Oraculis, quae Hebraei Vates instinctu afflatuque divino fuderunt; in S. Codice Hebraeo memoriae proditis.

Vita brevis, ars longa (a) vere jam olim dixit medicorum princeps HIPPOCRATES. Quod cum ita ſit, fieri nequit, ut ullus mortalis, excellentisſimis licet ingenii dotibus ornatus, maximam induſtriam, intentum adhibens ſtudium, nec vel minimam temporis particulam temere ac inutiliter elabi ſinens, aliquam tamen artem aut ſcientiam ita abſolvat, et ad eam perfectionem adducat, ut nihil posteris emendandum perficiendumque relinquat. Quin inde a mundi primordiis, per tam multa ſecula, et annorum millia, innumerasque generationes, tot hominum ſtudio concurrente, mathematica certitudine excepta, nulla for-

(a) HIPPOCR. *aphorismo* I, ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή.

forte est ars aut ſcientia, ita perfecta, ut prorſus nihil in ea emendandum ſuperſit.

Sapientisſime ita rem direxit Divina providentia, ne unquam hominum ingeniis pabulum et exercitium deesſet, ſine quo omnia languerent, vitaeque taedium obreperet.

Nulla itaque industriae conamina vituperanda aut impedienda, quin potius ſollicite fovenda, juvanda, ornanda; inſitum hominum animis vetera movendi ſtudium, et novandi lubido, cujus dulcedine multi alliciuntur, non prorſus improbanda est. Ut quisque humanisſimus est, hoc est longisſime remotus ingenii altitudine ab humilitate beſtiarum, ita maxime ſe cupit ex illis veluti angustiis necesſitatis naturalis et conſuetudinis asſiduae eripere, tenditque ad aliquid novi vel excogitandum ingenio, vel comparandum labore, quo pascere animum, quo uti fruique posſit (*b*). Quod niſi ita esſet, profecto vel nullae omnino artes esſent, vel post tot ſecula adhuc inprimis earum initiis haereremus; mera regnaret barbaries.

Haec licet ita ſint, non tamen omnia nova veteribus praeferenda ſunt, quod hodie, cum publice, laudabili majorum more mihi dicendum ſit, uno eximio ſpecimine ex eo ſtudiorum genere, cui nos maxime conſecrati ſumus, deſumto demonſtrare, vobisque, ob oculos ponere in animum induxi. Dicam itaque *de Oraculis, quae Hebraei vates inſtinctu afflatuque divino fuderunt, in S. Codice* *He-*

(*b*) Ita recte ERNESTUS *in elog.* p. 246.

Hebraeo memoriae proditis, — *ſive de nova ra- tione, quam nonnulli celebres nostri aevi interpretes in iis aestimandis et interpretandis tenent.* — Quod maximi momenti argumentum, ad omnium auditorum captum accommodatum, mihi ſimplice ſermone edisſerenti, animis linguisque favete, Auditores Humanisſimi.

Inter argumenta, omni exceptione majora, quibus Divina origo et auctoritas S. librorum V. et N. F. demonſtratur, occurrunt crebra oracula, ſive rerum futurarum, quae fortuitae putantur, praedictiones frequentes, his in libris obviae, quibus teste historia, eventus accurate respondit. Nam *nescia mens hominum fati, ſortisque futurae*. Solus omniscius Deus futura illa praevidere, et ante eventum ſcire potest, quae ex naturalibus indiciis arte quadam, aut conjectura, minime dignoscuntur. Quod palmarium argumentum hoc tempore haud parum debilitari, quin enervari frangique videtur ab illis, qui nobis perſuadere conantur, rerum futurarum praedictionem esſe prudentiae et calliditatis humanae inventum; artem ab hominibus paulatim, cum poliri inciperent, inventam, temporisque tractu magis magisque excultam; adeoque totam aut conjecturis niti, aut a fraude proficiſci. Hos nostri temporis reformatores ſi audiamus, prima oraculorum origo adeo vetusta est, ut ulla de ea traditio, vel in antiquisſimis literarum monumentis, frustra quaeratur; vestigium exſtet nullum, ſed probalili tantum conjectura, ex ordinario rerum humanarum curſu, ingeniique politura, facta, ſit investiganda. Hac ra-

tio-

tione novimus, primos mortales ſimplices et rudes, praeſentibus contentos, de futuris parum fuisſe ſollicitos. Quemadmodum hodieque ferae et barbarae gentes, tantum praeſentibus gaudentes, in ſupina rerum futurarum vivunt negligentia. Praeſentibus bonis ſecure indormiunt, eo etiam usque, ut aliquando mane vendant lectum, quo vespere utendum. Non ſentiunt jacturam, priusquam utendi tempus adſit, et necesſitas urgeat. Quamdiu alimenta habent, totos dies ſtertunt; ſaltem otio nugisque inutiliter terunt, donec fame moniti exeant, ut cibum ſibi venando, piscando, aliisque modis acquirant. Graviore itaque indigent ictu, qui ſomnum ſoporemque excutiat. Maximo ſuo damno ex aerumnis et miſeria, e futuri neglectu orta, discunt in futurum ſibi conſulere; de futuris fiunt ſolliciti. Hac ratione ad res futuras jam attenti temporis tractu experiundo conſuetum rerum ordinem, vicisſitudinem identidem recurrentem, obſervant; quoque magis ſenſim poliuntur, prudentiam quandam ſibi acquirunt, qua magis minusve felicem de futuris eventibus faciant conjecturam. In primis ſenes, longaeva vita exacta, multarum rerum experientia magnam futurorum ſcientiam et prudentiam ſibi comparant. Primum quidem tantum ad res naturales attendunt, atque obſervant ſingula phaenomena certos ſuos habere effectus. Ita progredientes ex mundo phyſico transferuntur in moralem, hominum obſervant facta et fata. Hic ubi vident eadem facta ſaepe eosdem producere effectus, jam de futuro factorum eventu con-

conjecturam facere incipiunt, quae cum aliquoties felix fuit, crescente audacia futura haud timide praedicunt. En origo prospectus in futurum, ejusque praedictionis. Quo quis magis ingenio, attentione, multorum annorum experientia valet, eo aliis in hac conjectandi et praedicendi arte excellit; juniores jam ab ore ſenum pendent, eorum conſilia et monita de futuris, tanquam oracula venerantur. Grandaevos parentes aquilis acutius gentis ſuae ventura fata cernere credunt. Huc reſpiciens SOCRATES ſenex in apologia ſua apud PLATONEM (p. 90.) ita judices alloquitur, *poſt haec vobis, qui me condemnaſtis, cupio divinare; nam illuc mihi jam perventum eſt, ubi ſolent homines divinare, quando videlicet ſunt prope mortem* (*b**). Hi itaque vatum ſpeciem prae ſe ferre, conſilia ſua tanquam Numinis oracula jactare; filii autem et nepotes gaudio ad laetas eorum praedictiones exultare; ad minas dirasque imprecationes horrere, ardente felicitatis deſiderio, tanquam ſtimulo acerrimo ad ventura ſata curioſe perſcrutanda inſtigari.

Ita autem cum humana vita in hoc terrarum orbe comparatum eſt, ut continua eſſe ſoleat felicitatis et miſeriae, voluptatis et doloris, rerum ſecunda-

rum

(*b**) Ita quoque PLUT. de *Catone Maj.* §. XXIII. φωνῇ κέχρηται θρασυτέρᾳ τοῦ γήρως, οἷον ἀποθεσπίζων καὶ προμαντεύων κ. τ. λ. et paulo ante mortem ἀποθεσπίσας περὶ τοῦ μέλλοντος κ. τ. λ. §. XXVII.

rum et adverſarum vicisſitudo. Ad quam animum advertentes vates tempore calamitoſo generalibus ambiguisque verbis futurae felicitatis, incommodis tamen malisque temperatae, aut tandem in miſeriam rurſus exeuntis, ſpem faciunt. Tempore autem laeto tristia minantur fata, praeſertim ſi praeſaga quaedam eorum indicia in principum et civium moribus, luxu, discordla, populorum vero vicinorum et hostilium crescente potentia videant, callide tamen calamitates et aerumnas non diuturnas, aut perpetuas, verum rurſus melioribus cum temporibus commutandas pingunt. Hac ratione fieri vix aliter potest, quin homines callidi et prudentes, ad omnes res circumſtantes, ad praeſentes etiam eventus, eorumque cauſas attenti ſaepe feliciter de futuris conjiciant. Caeteri vero ejus aevi homines minus ingenio, experientia, et prudentia valentes, ſumma admiratione et veneratione eos proſequuntur; quin hominum vulgus, omnes ſtupidi et imperiti, omnia inſolita, vulgari exſpectatione majora, et eximia directe ipſi Deo tribuere ſoliti, horum vatum dictis, tanquam oraculis a Numine editis, fidem adhibent, obtemperant, aeque ut parentum ultima monita pia proſequuntur veneratione. Jam certi homines huic divinandi arti ſe tradere ac conſecrare incipiunt. Ne nunc de Chaldaeis dicam, ſingulorum hominum vitam et fata ex astris legentibus, quod dein aliarum gentium philoſophi et astrologi imitati ſunt (c).

Cal-

(c) Exemplum exhibet, PLUT. in *Romulo* T. I. p. 54.

Callidi veteratores, inprimis sacerdotes futurorum scientiam, divinandi profitentur artem, divina jactant oracula, ut nimis credulum populum argento emungant. Quasi Numine pleni oracula fundunt ambigua, carmina canunt obscura, huc illuc facile torquenda, ex quibus, quicquid contingat, se semper commoda explicatione expediant. Difficillimis rei privatae aut publicae temporibus, quando hominum animi anxia sollicitudine vel dolore pressi malorum circumspiciunt remedia, quaerunt levamen; aut felicioribus temporibus, ubi omnia laete arrident, pronoque fluunt alveo, ubi homines deliciis affluentes gaudio exultant, hi consuluntur divini; qui Protei instar facile vultum mutantes, se huc illuc pro consulentium lubitu flectunt, modo hanc modo illam induunt formam, tempori callide inservientes.

Ut autem facilius consulentibus persuadeant, se Numinis plenos ex divino afflatu loqui, motus et gestus furibundorum imitantur, sacri furoris speciem prae se ferunt; quasi in exstasin rapti, nec sui compotes, carmina fundunt sablimia, obscura, ambigua, flexiloqua; variis ornata figuris, imaginibus, luminibus, quibus miseriam aterrimis pingant coloribus ex rerum natura, v. gr. procellis, tempestatibus, tonitrubus, fulminibus, terrae motibus, vento pestifero, fluviorum et maris inundationibus horrendis, similibusque, horrorem incutere aptis natis, desumtis. Contra post nubila Phoebum exoriri faciunt, prosperitatem redeuntem pingunt coloribus pulchris, amoenis, jucundis, gra-

gratis; jam ridet laetum ver post asperam hiemem; jam redit primum innocentiae, integritatis, amicitiae, jucunditatis, abundantiae, omnigenae felicitatis seculum aureum. His artibus omnium se insinuant animis, favorem et applausum sibi conciliant; Numinis vero mentiuntur afflatum: hoc veluti fascino ita hominum animos tenent captos, ut etiam manifestos eorum errores, quin aperta mendacia excusent, eaque ab aliis potius derivent causis, quam hos divinos fraudis suspectos habeant. His artibus tantam sibi compararunt auctoritatem, ut saepe primas in rerum gubernatione tenuerint partes, belli pacisque fuerint arbitri, et tanquam Numinis in hac terra vicarii. Talium prophetarum jam olim magna fuit multitudo, progenies copiosa, quaquaversum per terrarum orbem diffusa; late regnavit haec fallacia et superstitio. *Vetus opinio est*, inquit TULLIUS, „*jam* „*usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et* „*populi Romani, et omnium gentium firmata con*„*sensu, versari quandam inter homines divinatio*„*nem, — gentem quidem nullam video, neque tam* „*humanam, atque doctam, neque tam immanem,* „*tamque barbaram, quae non significari futura,* „*et a quibusdam intelligi, praedicique posse cen*„*seat* (*d*). *Dodonaeum*, *Delphicum*, aliaque famosa veterum oracula vel lippis et tonsoribus nota sunt.

(*d*) *De Divinat. Lib.* I. c. 1.

ſunt. Quis ignorat ſortem illam opulentisſimo *Aſiae* regi editam

Croeſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Hostium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam. Utrum igitur eorum accidisſet, verum oraculum fuisſet. Circumfertur quoque illud *Apollinis* ex oraculo responſum *Pyrrho* factum, ſive vero, ſive falſo,

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posſe.

Amphibolia illa, quae CROESUM decepit, vel CHRYSIPPUM potuisſet fallere: haec vero ne *Epicurum* quidem, ut cum CICERONE loquar. Qui obſervat ſua aetate talia oracula non amplius *Delphis* edi; evanuisſe ajunt vetuſtate vim loci ejus, unde anhelitus ille terrae fieret, quo *Pythia* mente incitata oracula ederet (*e*).

Talium prophetarum *Moſis* tempore magna jam fuit in *Oriente* frequentia; eos in *Aegypto* viderant Hebraei, ubi certa ſacerdotum claſſis divinandi artem profitebatur: non poterat itaque Divinus legislator hoc hominum genus in nova ſua Republica prorſus negligere; ut enim temporis tractu Israëlitae aliorum gentium more *regem*, ita quoque *vates* deſiderasſent, ſibique legisſent. Timendum erat ne ſe ab impostoribus et demagogis ad idolorum cultum ſeduci paterentur. Conſultum ergo ducebat in hoc quoque populi ſui ingenio moribusque indulgere, ſapiente tamen lege cavere, ne ab

(*e*) *De Divin. Lib.* I. c. 19.

ab his hominibus deciperentur. Ob hanc rationem admisit quidem in civitatem suam prophetas, sed unius tantum veri Dei cultores, constanti legum suarum observationi devotos, populumque ad eam adhortantes; idololatriae autem et defectionis ab his legibus auctores, tanquam falsos vates, impostores, Reipublicae et Ecclesiae pestes proscripsit, poenaque capitali removendos esse, lege lata statuit. Ne vero legitimi prophetae suis praedictionibus nimis a recto tramite aberrarent, ipse paulo ante mortem omnia gentis suae fata rudi delineavit penicillo; omnium sequentium vaticiniorum concinnavit normam et prototypum. Hic *chartae magnae*, ut hodie loquuntur, instar esset, quam sequentes prophetae repeterent, explicarent, illustrarent, suas praedictiones, minas, promissiones, aptis temporum circumstantiis applicarent; praedictionem hanc generalem aevi sui vitiis et periculis augerent. Nemini permissum esset ab hac deflectere norma; ab ea deflectens, aut peregrinos praeter Jehovam introducens Deos, habendus esset impostor, poena capitali dignus. Prophetae a Mose in civitatem admissi et sancti declarati sine ullo timore in sui temporis vitia invehi, etiam ea principum et regum publice reprehendere, atroque notare carbone; consilia et admonitiones suas minis promissisque confirmare poterant, modo se intra definitos continerent terminos, nec extra oleas evagarentur.

Fuerunt itaque Hebraeorum vates in S. historia laudati, quorum sermones posteritati traditi S.

librorum catalogo inſerti ſunt, viri probitate, virtute, prudentia politica excellentes, fervidi patriae religionis defenſores et vindices; poetae pro ſuo quique ingenio, educatione, eruditione, docendi, ſcribendi, carminis componendi peritia, vera poëtica pro ſuo quoque aevo, magis minusve elegantes, ſuaves, jucundi; aut graves, vehementes, terribiles. Populi, Reipublicae, Eccleſiae reformatores, libero ore vitia et ſcelera, ſine ulla perſonarum distinctione publice taxantes, reprehendentes, perſtringentes. Fontes autem e quibus ſuas rerum futurarum praedictiones hauſerunt erant Mosis vaticinia; aliorum praecedentium aut coaevorum prophetarum ſermones; ſua denique cujusque ſapientia, qua inter cives eminebant; non vero inſtinctus, et afflatus Divinus, non Numinis inſpiratio; adeoque futurorum praedictiones ſaltem, a Mosis vaticiniis diverſae, non erant Dei oracula. Pro more divinorum priſci temporis carminibus futura canentes fata, ut poetae ſolent, multa ornatus tantum gratia addiderunt; et ut poetae Orientales, grandi ut plurimum incedentes cothurno, ſublimi utuntur dictionis genere, crebris hyperbolis, aliisque figuris et rerum ac perſonarum fictionibus. Saepe quoque ad ſuae aetatis praejudicatas opiniones, vulgo receptas, et dominantes ſententias ſe accommodant. In divinationibus ſuis omnes in generalibus ſubſiſtunt, non accurate fata per partes eundo cum rebus circumſtantibus, hiſtoricae veritati convenienter, enarrant; ad caſus ſpeciales non niſi raro deſcendunt. Quod ſi quando

extra terminos generales, a Mose fixos, evagentur, mirum videri non debet, si ab iis praedicta non eveniant, si nequicquam in gentium annalibus quaerantur. Quae tandem id ars non habet? earum dico artium, quae conjectura continentur, et sunt opinabiles, omnis haec divinatio opinabilis est: conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Quid divini in eorum animis fuerit, quo inter aequales longe praestarent, non magis affirmari et definiri potest, quam quid divini in Pythagorae et Socratis animis fuerit.

Oratio haec, centonis instar, ex multis concinnata, veris et falsis, bonis et malis pulchra se minus cauto auditori commendat specie. Nulla hic habenda ratio praescientiae, ex causis naturalibus haustae; multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt, multa philosophi, sed nullam eorum divinationem voco. Alii autem in Republica exercitati, ut de *Atheniensi* Solone accepimus, orientem tyrannidem, bella et pacem, aliaque hujus generis, multo ante prospiciunt, quos prudentes possumus dicere, id est providentes: divinos nullo modo possumus, ut recte Cicero. Quae enim praesentiri aut arte, aut ratione, aut usu, aut conjectura possunt, ea non divinis tribuenda sunt, sed peritis: ita relinquitur, ut ea fortuita divinari possint; quae nulla nec arte, nec sapientia provideri possunt, ut egregie idem vir sapientissimus disserit et judicat; laudans quoque Socratis modestiam, qui licet saepe dixerit, se divinitus per Daemonium admone-

neri; tamen XENOPHONTI consulenti, sequereturne CYRUM, posteaquam exposuit quae sibi videbantur: et nostrum quidem, inquit, humanum est consilium, sed de rebus obscuris et incertis ad APOLLINEM censeo referendum (*f*).

Si autem vera sunt, quae modo de divinis, divinatione in genere, et Hebraeorum prophetis dicta sunt, eorum origo non divina, sed humana est; non tam a Deo legatorum instar ad populum Israëliticum missi sunt, quam ad majus malum vitandum concessi demagogi; Mosaicarum tantum praedictionum interpretes, non veri nominis vates. Oracula, quae ediderunt et jactarunt JESAIAS, JEREMIAS, EZECHIEL, DANIEL, prophetae reliqui omnes, quorum sermones in S. Codice Hebraeo conservati sunt, non e purissimo fonte divino, sed lutulentis humani ingenii rivulis emanarunt; mentiuntur itaque Numinis afflatum, nec ullam merentur fidem. Miror equidem, qui tales homines, tanquam pietate in Deum et virtutis amore studioque excellentes, tantis efferri possint laudibus, qui ubique asseverant et inculcant, se suas futurorum praedictiones directe ex afflatu et inspiratione omniscii et omnipotentis Dei accepisse; non tam sese, quam Deum ipsum loqui; adeoque sermones suos tanquam Numinis oracula summa fide et reverentia recipiendos; licet ipsi probe sciant, se sua non directe a Deo, sed MOSE acce-

(*f*) Conf. *Cicero de Divinat.* Lib. I. c. 49, 50, 51.

cepisse, et reliqua omnia meras sui ingenii esse conjecturas. Quid hoc aliud est, quam auditoribus et lectoribus fucum facere, iis imponere, in gravissimum et periculosum eos inducere errorem. Quod qui faciunt, nisi vera rerum vocabula amisimus; nisi Pythiam et reliquos antiquarum gentium divinos etiam tanquam probitatis et virtutis illustrissima exempla commendare volumus; mendaces, et callidi veteratores, Reipublicae pestes, dicendi sunt.

Ad litem hanc decidendam tantum quaeritur, utrum revera fortuita, incerta, diu ante eventum ita praedixerint, ut ex fide dignis monumentis demonstrari possit, ea vere sic evenisse, ut praenunciata erant. Hoc enim certum, et apud homines rationis compotes extra omnem dubitationis aleam positum est; futura contingentia diu ante eventum nulla arte aut conjectura cognosci, verum tantum praesciri et accurate praedici posse a solo totius hujus rerum universitatis Creatore, Gubernatore, et Domino supremo, cujus nutu et arbitrio coelum, terra, maria, homines omnes, non tantum privati et cives, sed et reges, principes, imperatores, magistratus, milites reguntur; qui summus belli pacisque, omnium, quae fiunt, est arbiter et moderator; cujus mandata omnes res creatae, coelestes et terrestres exsequantur oportet. Hac ratione Deus quoque proponitur et loquens a prophetis Hebraeis introducitur, praesertim Jesaia, hanc facultatem sibi soli vindicans, et hac characteristica nota se a fictitiis numinibus distinguens,

 quip-

quippe fortuita praedicendi facultate prorſus destitutis. Hac de veritate omnes ſumus convicti; facilius aliquis *Herculi* clavam, quam nobis hanc perſuaſionem et convictionem extorſerit. Ne ipſi quidem ethnicorum ſapientes hac de re dubitabant, quare futurorum praedictionem *divinationem* appellabant. Sic, ut rem hanc exemplo illustremus, nemo praeter Deum tam accurate vivisque coloribus genuinam gentis *Arabicae*, ISMAËLIS posteritatis indolem, hodieque post tot ſeculorum decurſum durantem, ante ISMAËLIS nativitatem depingere et delineare potuit, ut ejus lineamenta duxit Angelus Jehovae in *primo Moſis libro* (*g*). ut etiam nunc in hodierno Arabe genuinum agnoſcas ISMAËLIS filium, *Onagrum* istum, quem coeleste oraculum olim declaraverat: *infestum fore omnibus, et ab omnibus infestatum, quippe contra quem omnium manus converſae forent, et ſuae viciſſim contra omnes.* Enimvero conſtat tales fuisſe Arabes campestres et ſcenitas, qui longe maximam gen-

(*g*) Cap. XVI: 12. Doct. OEDMANNUS, in *Vermischte Samlun. aus der Naturkunde zur erklär. der H. S.* Fasci. 2. c. 1, obſervat, פרא, quae vox h. l. invenitur, esſe equum hemionum, animal ſui generis, ſummae celeritatis, nunquam domandum. Atque hac quidem obſervatione intelligitur, describi gentis indolem ut ferocem ac duram, ita, ut nunquam ſubici posſet. Cujus vaticinii veritatem eventus in hunc usque diem abunde declarat. L.

gentis partem, conſtituunt durum atque incultum hominum genus. Verba ſunt HENRICI ALBERTI SCHULTENSII, viri magni, cujus immaturum obitum acerbe dolemus, qui in elegantisſima Oratione *de ingenio Arabum* vivam ſpirantemque hujus gentis exhibuit imaginem (*b*). Talia quam plurima vaticinia, quibus eventus teste historia accurate respondit, in libris ſacris repeRiuntur.

Non ſolus MOSES veri nominis Divinus fuit, ſed multi quoque alii ante et post illum. Novimus utique ex S. Codice oracula ejusdem fere cum humano genere esſe antiquitatis. Apud antiquisſimos populos ex vehementisſima futura ſciendi cupidine ſenſim ex continuis obſervationibus et ex experientia acquiſita prudentia, et ſagaci providentia quadam ortae ſunt praedictiones; dein veteratorum calliditate ac lucri cupidine valde multiplicatae; oracula quoque ad exemplum vetustisſimorum oraculorum, quorum nondum deleta erat memoria, ficta ſunt, atque accedente ſacerdotum auri ſacra fame ac fraude aucta.

Ante MOSEN veros fuisſe prophetas, clarisſime liquet ex ultimis patriarcharum dictis, veris oraculis. Utemur in praeſentia tantum JACOBI praedictione, in Geneſeos libro obvia, *Cap.* XLIX, qua moribundus ſenex futura gentis ſuae fa-

(*b*) Vid. etiam J. BRUCE in itinere verſus *Abysſiniam* ed. Belg. t. I. cap. XI. p. 170.

fata filiis praenunciavit. Praevidit ſanctisſimus vir posteritatem adeo copioſam, ut ex ſingulis filiis numeroſa oriretur gens, vel tribus, magnum regionis tractum occupatura; eas tribus omnes Cananaeam invaſuras, occupaturas, et inter ſe diviſuras, unamque Rempublicam conſtituturas esſe. Singulis ſuam adſignavit ſortem, magis minuſue bonam, fertilem, luculentam, ſingularum indoli congruam; ſitum, limites, commercia, ſtudia, bella, fata, caſus ſpeciales accurate praedixit, et quidem ducentis, trecentis, pluribusque annis, antequam haec fierent; quod ſane a nullo hominum ingenio, nulla arte humana, conjectura nulla fieri potuit.

Inter alias etiam nationes, quamdiu ibi verae religionis vestigia remanſerunt, antiquisſimis temporibus reperti ſunt veri vates; qualis in gente *Midianitica* erat Bileamus, qui clarisſimis verbis *Moabitarum*, *Idumaeorum*, aliarumque gentium ſubactionem per Israëlitas multis ſeculis ante eventum praemonuit; omnia autem praeciſe et accurate ita contigisſe ex monumentis ſacris et profamis conſtat (*i*).

In Hebraea vero gente longa prophetarum fuit ſeries, quibus opus erat in regimine Theocratico; cum Deus directe ſuo imperio, regis inſtar, hanc gentem moderaretur, et regeret; continuo itaque di-

(*i*) Pluribus hoc docuit auctor in disſ. de *Bileami vaticinio*, inſerta *Disſ. Phil. Exeget.* pag. 1. et ſeqq. L.

divinitus ad populum mittendi erant legati, qui ipſum de Numinis voluntate certiorem redderent; qui fidem haud invenisſent, niſi Dei jusſu miracula patrasſent et futura fortuita praedixisſent. Promisſis praeterea et minis vim et pondus ſuis conſiliis et adhortationibus addere, adeoque futura gentis fata, aut laeta aut tristia, virtutis aut vitiorum ſtudio accommodata, diu ante ob oculos ponere debebant. Ex hac Divini regiminis ratione, quod Deo tunc ob ſapientisſimas rationes placuit, derivanda longa illa prophetarum in hac gente ſuccesſio et ſeries.

Quia vero hos prophetas ex fonte Moſaico bibisſe ajunt, adeo ut omnes veri nominis divinationes Mosi tribuendae ſint, animum advertamus ad omnia illa futura populi fata, quae hic Reipublicae conditor, reliquorum vatum maximus, cecinit. Magnus hic Numinis legatus, morti vicinus, in gentis Hebraeae uſum perpetuum, ex Dei inflatu in genere delineavit et praefinivit maxima beneficia divinitus in eam conferenda et accumulanda; conditionem, qua frueretur, prosperam, felicem, fortunatam, quamdiu Dei memor, ipſi dicto audiens esſet. Verum praeſenſit quoque et deſcripſit futuram populi ſui ingratitudinem, defectionem a Deo legibusque divinis, idolalatriam et corruptionem, e qua tanquam venenata ſcaturigine omnis generis vitia, crimina, ſcelera ebullirent, magis magisque aucta et accumulata; quae ubi ſummum attingerent gradum, Israëlitae omnes Dei admonitiones, conſilia, remedia, pro-

mis-

missa et minas contemnerent, rejicerent, sperne-rent, tandem Deus severe in eos animadverteret, patriis excuteret sedibus, in terram peregrinam deportaret. Efficeret hoc per gentem quandam remotam, cujus ne linguam quidem intelligerent. Ab his hostibus Judaeorum munimenta, urbes, moenia, una cum locis publico Numinis cultui destinatis, expugnarentur, everterentur, destrue-rentur; obsidionis autem tempore horrenda grassa-retur fames, eo usque ut matres a liberorum suorum carne haud abstinerent. Quo tempore hoc fieret regem haberent, qui et ipse in terram peregrinam ejiceretur. Patria tellus diu jaceret inculta, incolae inter gentes peregrinas, ibi ludi-brio habendi, dispergerentur, multi in servitutem venditi transmitterentur in *Aegyptum*. Tandem tamen, ubi peccata et scelera sua serio ad animum revocarent, poenitentiam agerent, Jehovae mise-ricordiam opemque implorarent, eorum misere-scens ex exilio eos revocaret, in terram patriam reduceret, Rempublicam et Ecclesiam instauraret. Magna tamen populi parte denuo in pristina vitia relabente Deus severe eum castigaret; gravissima novorum hostium in eum incumberet afflictio. Hac tandem ratione ab impiis purgaretur, atque purgatus et defaecatus in stupendam cresceret multitudinem, sorte uteretur felici et beata. Tra-ctu tamen temporis magnis rursus inquinatus vitiis, prorsus a prisca majorum fide, probitate et virtute degenerans, tanquam contumax, rebellis, inemen-dabilis natio prorsus destrueretur, Respublica de-

deleretur. Mesſiae quidem ſpem fecit, ſed ejus characterem et criteria non accurate deſcripſit; multo minus nativitatis locum et familiam e qua oriretur clare definivit.

Haec fere ſunt, *Auditores Humanisſimi*, quae Moses octingentis, nongentis, quin et mille ac ſexcentis ante eventum annis futura populi ſui cecinit fata, prospera et adverſa; quae cuncta in genere conſiderata complexus est, ac rudi delineavit penicillo. Hanc quidem picturam ſequentium aetatum vatibus tanquam normam exhibuit; verum multa omiſit, dein ſupplenda, addenda, et accuratius deſcribenda. Non ille exilii tempus accurate determinavit, non *Asſyrios*, *Babylonios*, *Syro-Macedones*, *Romanos*, tanquam divinorum decretorum et judiciorum exſecutores, ſuis nominibus, notisque characteristicis inſignitos, deſignavit; non Cyrum, celebrem illum *Perſiae* regem et monarcham, Judaeorum ex exilio, post deſtructum *Babyloniorum* regnum, liberatorem, et quidem ipſo hoc ſuo nomine monſtravit et promiſit (*k*), ut deinceps Jesaias, ducentis annis an-

(*k*) Ita quoque Josias, ex posteris Davidis oriturus idololatriae Israëliticae deſtructor, nomine ſuo diu ante a propheta deſignatus fuit 1 *Reg.* XIII. Micha ſimlae filius regi Achabo praedixit, ipſum ex proelio cum Syris committendo non vivum rediturum esſe 1 *Reg.* XXII. Elias et Eliza non tantum multa patrarunt miracula, ſed et tales praedixerunt eventus, qui a nemine, niſi Deo praesciri poterant,

antequam CYRUS existeret. Non principes *Maccabaeos*, alteros post CYRUM libertatis et religionis defenſores et vindices acerrimos, fortisſimos, et Reipublicae inſtauratores, ac amplificatores, ita deſcripſit, ut praelucente historiae face clarisſime videri et agnosci posſint, quod plures ſequentes vates fecerunt. Monarchias illas *Chaldaeorum*, *Perſarum*, *Macedonum*, et *Romanorum*, a DANIELE delineatas, ne attigit quidem. Fata harum, aliarumque exterarum nationum, *Philistaeorum*, *Phoeniciorum*, *Aegyptiorum*, non commemoravit; altum de his in ſcriptis *Moſaicis* est ſilentium. Haec multaque alia omiſit, quae ſequentes prophetae accurate et historiae convenienter, diu ante eventum, praedixerunt. A quibus innumera fere nova, quorum apud MOSEN nulla exſtat vola aut vestigium, praenunciata ſunt. Norunt hoc omnes, qui ſacros prophetarum libellos attente legerunt, examini ac meditationi ſubjecerunt, et cum *Moſaicis* oraculis compararunt. Oppido itaque falluntur, qui ſibi aliisque perſuadere conantur, hos tantum ex fonte *Moſaico* ſuos rigasſe hortulos, alia futura fortuita non praedixisſe, quam quae MOSES praeſcripſerit; ſaltem ſi ſuo marte divinandi artis periculum fecerint, meras protulisſe conjecturas. Si per omnia ire, totumque hunc campum peragrare, clariora quoque de Mesſia, ejus criteriis et meritis, vaticinia in medium proferre vellem, non facile exitum reperirem; vox, et latera, et dies me deficeret. Ut mihi vobisque conſulam, auditores Humanisſimi,

ex

ex immenſa rerum copia unum illustre ſpecimen ſeligam, ex quo videre posſitis, quam multa, quam accurate, ſequentes praedixerint divini, quae revera ita accidisſe testantur historici, omnium conſenſu, fide digni; quorum ne levisſimam quidem MOSES fecit mentionem.

Nempe propheta DANIËL *Cap.* XI. nonnullis de *Perſarum* contra *Graecos* bellis, ALEXANDRI *magni* victoriis et imperio praemisſis, docet vastum illud ALEXANDRI imperium, ipſo in aetatis flore inopinato exſpirante, inter nobiliores ejus belli duces diviſum in regna diverſa, inter quae duo valde celebria, cum quorum fatis ea ſuae nationis, in cujus gratiam prophetico fungebatur munere, arcte esſent conjuncta, ſcilicet *regnum auſtri*, hoc est *Lagidarum* in *Aegypto*, cujus auctor PTOLEMAEUS *Lagi*, et *regnum aquilonis*, ſeu *Seleucidarum* in *Syria*, cujus conditor SELEUCUS NICATOR. Horum regnorum vicinorum et aemulorum bella, foedera, regum matrimonia, caſus ſingulares, fata per longam annorum ſeriem, mutuas inprimis de *Coeleſyriae* et *Palaestinae* posſesſione concertationes tam accurate, atque historicorum relationi convenienter enarrat, ut non vaticinium, ſed historia legi videatur, uti ipſe PORPHYRIUS, capitalis ille Judaicae et Christianae religionis hostis, fateri coactus fuit.

Haec prolixe recenſere, et prolatis historicorum testimoniis probare non est hujus loci et temporis, abunde quoque a doctis interpretibus

prae-

praeſtitum. Paucis defungar ſpeciminibus. Primam mutuarum contentionum originem, a fatali regis auſtri filiae conjugio cum aquilonis rege, amicitiae confirmandae cauſa inito, repetendam clare exhibet. Utriusque regni ſtatum, diverſas expeditiones bellicas ordine ſuccedentes horum et ſequentium regum distincte enarrat. In primis ANTIOCHUM M. ejusque molimina et bella adverſus *Romanos*, eorum tandem infelicem exitum, vivis depinxit coloribus. Hujus aliorumque regum, praecipue ANTIOCHI *Epiphanis*, crudeliſsimi illius tyranni, veram ſpirantemque exhibuit imaginem; prava indoles, intolerabilis fastus Deorum, inprimis Dei Israëlis contemtus; auri ſacra fames, vitia, ſacinora, ſcelera, furibundi hujus regis atro notantur carbone; afflictiones, clades, caedes, quibus Judaei ab eo ejusque exercitus ducibus affecti ſunt; liberatio ab his per principes Maccabaeos; omnia haec accurate et distincte exponuntur.

Haec multaque alia fortuita, nulla arte aut ſagacitate humana praeſcienda, vates hic aliquot ante eventum ſeculis praedixit; omnia haec intra ſpatium quadringentorum circiter annorum ita revera contigerunt, ut dudum a viris doctis ex veteribus historicis demonſtratum est. Non autem Moſis egit interpretem, quippe qui nihil de his dixit, altum in ejus ſcriptis his de bellis, et caſibus ſingularibus, est ſilentium. Quid quaeſo ad has divinationes eludendas excogitari potest? dicemusne cum PORPHYRIO, alium ſub DANIË-

LIS

LIS nomine ANTIOCHI *Epiphanis* demum aetate, adeoque post eventum haec dixisse et scripsisse ? nunquam eo temeritatis processisset hic male consultus philosophus, si ulla arte vatem nostrum eludere potuisset. Meminit jam DANIËLIS vaticiniorum auctor I *Libri Maccabaeorum*. Ipsi ALEXANDRO *Magno* hic divinationum liber, teste FL. JOSEPHO, oblatus fuit; qui cum gaudio ex eo intellexit, *Persarum* monarchiam a *Graeco* quodam eversum iri, quod recte sibi applicans, benevolus fuit genti Judaicae, DANIËLEM jam memoravit laudavitque EZECHIËL. Quin ipse CHRISTUS ad ejus testimonium provocans, auctoritatem ejus confirmavit. Imo vero jam diu ante in versione Alexandrinorum interpretum extitit, quae hujus versionis pars hoc nostro seculo ex manuscripto Romano typis expressa et edita est. Non potest itaque hic liber fictitia vaticinia de rebus hac versione recentioribus continere. Omnes Judaei antiqui et recentiores, licet ob vitae genus inter prophetas ei locum non dederint, divinam ejus auctoritatem sine controversia ulla, aut sectarum discrimine, licet Sadducaeis haud faveat, agnoverunt. Praeter praedictionum claritatem PORTHYRIUS, teste HIERONYMO, potissimum nitebatur vocabulis *Graecis* hic obviis, ex quibus conjiciebat librum *Graece* scriptum fuisse, deinceps vero in linguam *Chaldaicam et Hebraeam* conversum, ad antiquitatis opinionem ei conciliandam, et fraudem tegendam; Lingua autem *Graeca* demum post ALEXANDRI M. aetatem

Hebraeis familiaris facta fuit. Exemplum ex SUSANNAE historia ab ipso prolatum nullius est momenti, quia fabula haec in genuino DANIËLIS libro haud occurrit. Aliae tamen *Graecae* originis voces, quas nemo facile exspectasset in scriptore Hebraeo adeo antiquo, qui exilii Babylonici tempore scripsit, hic reperiuntur. At vero *Judaeorum* cum *Graecis* commercium, etsi non adeo magnum, ac inde ab ALEXANDRI tempore, multo jam est antiquius, ab initio monarchiae *Persarum*, et forte jam a tempore CYRUM praecedente repetendum (*l*).

Ve-

(*l*) Nunc quoque PORPHYRII figmentum, quasi hic *Graecus* DANIEL textus esset originalis, ipsius DANIËLIS fictitii foetus, deinceps *Hebraice* et *Chaldaice* redditus, falsi convincitur; multa enim certa continet criteria *versionis* textus *Hebraici* et *Chaldaici*. Vid. J. D. MICHAËLIS in *Biblioth. Orient. et Exeg. part.* IV. p. 13 et seq. Saepe hic Gr. interpres auctoris mentem non percipiens ita interpretatus fuit verba Hebraea, ut ejus interpretatio valde et a vaticinio ipsa, et ab historia aberret, clarissimo argumento eum historiam ignorasse. *Hebraeus* et *Chaldaeus* DANIËL accurate convenit cum historia, non *Graecus*. *Ibid. p.* 19. Vel sic tamen multae verisimiles variantes lectiones ex Gr. hac versione colligi possunt. *p.* 29. *p.* 32. (Conferri quoque merentur, quae vindicandae DANIËLIS vaticinii authentiae gratia nuper disputavit Cl. JAHN, *Einleitung in die Göttl. Bücher des A. B. vol.* 2. pag. 624. et seqq.

Veruntamen traducitur et deridetur DANIËL tanquam ſomniculoſus, homo ingenii febricitantis, ſomno et ſomniis nimis deditus, eorumque interpres; quam artem in *Chaldaea* ita didicerit, ut ipſis *Chaldaeis* in *Oneirocritica* multum excelleret. Non tantum astrologia, ſed ex ſomniis futura praeſagiendi et divinandi ſcientia famoſi erant *Chaldaei*, exemplo ſit ASTYAGIS ſomnium, cujus meminit JUSTINUS (*m*). Cum ſomniis autem arcte cohaerent viſiones, actiones et locutiones ſymbolicae; hinc libri prophetarum posteriorum, qui tempore exilii *Babylonici*, et post illud vixerunt praecipue DANIËLIS ſomniorum et viſionum pleni ſunt. Haec poſſe contemni, vel etiam videri, praeclare intelligo; nihil tamen in eo est abſurdi, homines aliquando in ſomniis de rebus futuris divinitus admonitos fuiſſe. Quid caeteroquin JOSEPHI, PHARAONIS, SALOMONIS, aliorumque in novi et antiquii foederis libris memoratis ſomniis fieret! quin JOELUS haec tanquam inſignia Numinis beneficia laudat. (*n*) In humani generis pueritia, et Judaeorum Theocra-

ſeqq. Probabiliter ejusdem cauſae defenſionem ſuscepit doct. BECKHAUS in *pecul. Comment.* iuſerta *Operib. Societ. Hagaa.* pro anno 1794. L.)

(*m*) Vid. LUCIAN. *dial. mort.* VI.

(*n*) HOMERI verbis dicimus, καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Il. A. vs. 63.

cratia minime hoc mirandum videtur. Immo vero quis affirmare ausit talia, rarissima licet, et pleraque superstitiosorum et fanaticorum phantasiae, aut veteratorum fraudi, tribuenda, nunc prorsus cessare, aut sanae rationi contraria esse! Nostra sane aetate ERNESTIUS, vir eruditus et sapiens, a superstitione et fraude longe remotus, commemoravit soceri sui somnium ad magni momenti arcanum indicandum divinitus immissum, ita ipsa rei natura, multisque fide dignis testibus probatum, ut extra omnem dubitationis aleam positum sit (*o*). DANIËLIS autem somnia futuras monarchias, earumque fata vere, et historiae convenienter, diu ante eventum exhibuerunt, quod sine Numinis afflatu et directione fieri non potuit. Nostrum vero, ad quod provocavimus, vaticinium non est somnium, a nostris antagonistis genuinum habetur, ac revera a DANIËLE editum. Nonnullis quoque hoc fraudis suspicionem movet, quod alia DANIËLIS vaticinia *Chaldaice*, alia *Hebraice* exarata sint; quasi idem auctor, diversas callens linguas, modo hac modo illa uti non posset, leviora haec sunt, et vix attentione digna; uti etiam hoc, quod cum aliis posterioribus prophetis angelos in scenam producat; quasi illi in tota Judaeorum historia veteri et recentiore utramque non facerent paginam; his immorandum non est;

(*o*) *In Opusc. Orat. Vol.* Novo p. 4. Conf. it. Anachars. t. IV. p. 80. et seq.

est; praesertim cum haec divinationum DANIËLIS pars sine ulla controversia ab illis, cum quibus nunc res nobis est, tanquam naturalis hujus patris foetus agnoscatur.

Haud dubitans itaque dixerim exemplum hoc divinationis illustre, ex DANIËLIS libro prolatum, omni exceptione majus esse; talia a nullo homine tot ante eventum annis ulla solertia, conjectura, aut arte praevideri potuisse. Quod si enim aliquis ante trecentos vel ducentos annos accurate, distincte, clare praedixisset quae hisce proxime elapsis annis in America et Europa in Gallia, Germania, et Belgio nostro; si quis omnia haec tot annis ante haud obscure et ambigue sed claris verbis praenunciasset, et per partes enarrasset; ipsi sedete arbitri, Auditores Humanissimi, nonne talem verum haberetis vatem, veri nominis divinum, a Deo missum, ex Numinis afflatu haec praedicentem? quis potest esse tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui hoc neget? omnes, ni fallor, rationis compotes, cuncti sanae mentis homines talem censerent vere divinum. Praesertim si idem verae in Deum pietatis, probitatis, et virtutis esset monitor, adhortator, praeco, et exemplum; omnemque moveret lapidem ad homines omnes, in primis cives suos, emendandos, a vitiis, criminibus, et sceleribus ad Dei optimi Maximi reverentiam, amorem, sanctitatem, omniaque laude digna facta revocandos.

Tales autem fuerunt Hebraeorum vates, quo-

rum ſermones prophetici in Codice S. Hebraeo reperiuntur; talia quam plurima praedixerunt eventa, testibus fide dignis historicis, comprobata. Fuerunt praeterea publici religionis verae et rationalis, non tantum ritualis, et virtutis doctores, morum cenſores integerrimi et acres, vitia quaevis reprehendentes, notantes, nemini parcentes; quin ſaepe maximo ſuo cum periculo publice in procerum et regum crimina invehebantur. Populum veris de Numine notionibus, cum ſanae rationis dictatis convenientibus, imbuere; auditorum animos Dei reverentes, aequas, lenes, manſuetos, miſericordes, adeoque vere humanos, ac justitiae ſtudioſos reddere conabantur. Nulli pietatis et virtutis praecones in tota antiquitate monſtrari posſunt, cum his comparandi. Hi jam eximii et praeclari viri, intaminatae integritatis et virtutis lucida exempla, gentis ſuae reformatores omnium laude digni, ubique fatentur, docent, inculcant ſe a Deo misſos, hanc futurorum ſcientiam tantum ex divinae inſpirationis et revelationis fonte hauſisſe, quidni illis fidem adhiberemus? praeſertim cum vetus populi Hebraei oeconomia, et Theocratica regiminis forma continuum ipſius Dei interventum, legatos, ac crebra requireret oracula. Non video ullam elabendi rimam ſuperesſe. Credamus itaque et fateamur hos gentis Judaicae vates, ipſius CHRISTI atque *Apoſtolorum* testimonio ornatos, quos omnis antiquitas Judaica et Christiana per omnia tempora maxima proſecuta

fuit

fuit veneratione, non ad majus malum evitandum in civitatem Israëliticam fuisse admisfos, verum maxima ejus fuisse firmamenta ac ornamenta, divinitus ipsi concesfa; optimi Maximi humani generis Servatoris nuncios et praecursores (*p*).

Horum itaque scripta tanquam sacra atque veneranda canae antiquitatis monumenta aestimemus, magni faciamus, saepe legamus, perscrutemur, meditemur. Inprimis vos Deo, Christique Ecclesiae consecrati juvenes, vos inquam, qui ingenii et judicii dotibus excellitis, intensoque amore sacras literas prosequimini, hos vatum libellos nocturna versate manu, versate diurna. Nondum ita hic fundus exhaustus est, quin multa, hactenus in tenebris jacentia, in clarisfimam lucem protrahi posfint. Verum non illotis haec studia manibus tractanda sunt. Ante omnia lingua Hebraea cum suis dialectis, Graeca et Romana vobis familiarisfima sit oportet. Genius, nativa indoles, proprietas linguae, primo loco memoratae, in ipsis scrip-

(*p*) Idem clarisfime et certisfime, demonstrari posset ex JESAIAE vaticiniis de interitu monarchiae Babylonicae, Cap. XIII, XIV, XLI -- XLVII. Quae oracula revera a JESAIA edita esse, accuratam de hujus regni fatis complecti praedictionem, nulla humani ingenii solertia praevidendam, ipso eventu evidentisfime comprobatam, egregie demonstravit. J. D. MICHAËLIS in annotationibus ad versionem vernaculam. Cap. XIII.

ſcriptoribus Hebraeis, Arabicis, et Syriacis inveſtiganda est. Ubi vero vatum praedictiones cum eventu in historia conferendi, ipſi adeundi ſunt fontes, ſine quibus nihil bonae frugis ſperandum. Continuae evolvendi, iteratis vicibus perlegendi, atque in conſilium adhibendi *libri Maccabaici*, Fl. Josephus, Herodotus, Xenophon, Arrianus, Polybius, Aelianus, Dion Cassius, Plutarchus, Appianus, Strabo, Polyaenus, Livius, Justinus, Curtius, Florus, Tacitus, multique alii. Non ſectandi lutulenti verſionum rivuli, ſed ex ipſis bibendum fontibus, atque hi critico perluſtrandi ſunt oculo. Hos tantum nomino, quia hic maxime uſui nobis eſſe poſſunt. Verum liceat hac occaſione dicere, lectio veterum auctorum Graecorum et Romanorum, e quibus demum ſolida eruditio, vera ſapientia, morum disciplina, ac elegantiae gustus peti potest, nimis hodie negligitur; dum plerique levi et ſuperficiaria rerum ſcientia, ex recentioribus et nostri temporis ſcriptis hausta, contenti ſunt, ita ab optimis majoribus nostris prorſus degenerantes.

Qui hunc laborem, tanquam nimis molestum reformidant, tanquam profani procul ab his arcendi ſunt ſacris. Non omnibus contingit adire Corinthum; ſed quis vos vero in literarum ſtudia amore flagrantes reprehenderet? quin non potius ſummis efferret laudibus? ſi quantum caeteris ad ſuas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et

ad

ad ipſam requiem animi et corporis, conceditur temporum; quantum alii tribuant tempestivis conviviis, et compotationibus; quantum denique aleae, quantum pilae, tantum vos ad haec ſtudia colenda ſumſeritis.



O R A T I O

De Incommodis et Malis ex Perverſa Veteris Oeconomiae Imitatione in Civitate et Eccleſia Christiana Ortis.

Inter priscae Antiquitatis inſtituta Civilia et Religioſa nihil occurrit praeſtantius, ſuo tempore utilius; aut majori ſapientia excogitatum, quod attentum contemplatorem magis in admirationem rapiat; quam ſingularis illa Regiminis forma Theocratica, quae olim in gente viguit Israëlitica. Prima ſane ſpecie nihil magis a ratione alienum apparet, quam hoc Regimen Divinum, per quod Deus ſeſe Regem hujus gentis praeſtabat externum, omnia terreſtris regis munia obibat, omni honore, mortalibus principibus deferri ſolito, honorabatur. Videtur primo obtutu omnino infra coelestis Numinis, coeli terraeque Creatoris et Domini ſupremi, dignitatem esſe, in regem ab uno quodam populo eligi, tanquam talem externo ſe ſigno praeſentem ſiſtere, ibi primum in tentorio caſtrenſi, ceu praetorio, dein in ſplendidisſimo habitare palatio; ibi ſuam menſam, focum, ſuos habere miniſtros, ibi cum externo ſplendore et pom-

pa

pa coli; exercitui in bello praeire, jus dicere, leges ferre, omnia agere, regem quae decent humanum

Haec tamen Regiminis forma, ob ſapientisſimas, Deoque dignisſimas, rationes inſtituta, pro illo utique tempore, populi *Hebraei* indole, ac reliquarum gentium conditione, optima Reipublicae fuit conſtitutio. Quod demonſtratu facile foret, ſi id nunc ageretur, et ab aliis abunde praeſtitum non esſet. Fieri autem aliter non poterat, quin ex hac ſingulari regiminis ratione multae orirentur leges, inſtituta varia, tunc temporis quidem utilia, verum huic tantum Reipublicae conſtitutioni accommodata, quae itaque, hac abolita, ſtatim evanuerunt. Inſtituta ſane civilia alia ſint in regno Divino, alia humano, oportet: nec Religioſa ſtatuta caeremonialia et umbratica regni hujus externi ac Oeconomiae typicae in Chriſti Regno, in hominum tantum animis condendo, adoptanda.

Quae ita univerſe ſumta neminem habebunt contradicentem. His tamen non obſtantibus, inter inſtituta Chriſtianorum ſacra et civilia deprehenduntur multa, ex imprudenti veteris Oeconomiae imitatione enata. Ne nunc de primorum quorundam Chriſtianorum, *Judaismo* ſtudentium, furore dicam; putabant olim multi Principes et Politici egregii, Rempublicam eo fore perfectiorem, quo ad Israëliticae Reipublicae exemplar, ab ipſo Deo efformatum, adeoque perfectisſimum, accederet propius. Verum non ſatis ad animum revocabant,

bant, non idem omnibus convenire temporibus, locis, et gentibus; non omnes leges posſe ad omnes Reipublicae formas aptari. Rectius quoque egisſent Christianae Religionis antistites, ſi ſemper bene ad utriusque Oeconomiae, et Regni externi ac Spiritualis, discrimen attendisſent. Digna haec res est, quae attentionem nostram aliquamdiu occupatam teneat.

Cum itaque mihi, fasces Academicos depoſituro, hodie coram vobis, *Auditores Humanisſimi*, de utili aliquo nec injucundo argumento, laudabili majorum more, disſerendum ſit, in animum induxi dicere *de incommodis & malis*, *ex perverſa Veteris Oeconomiae imitatione in Civitate et Eccleſia Christiana ortis*. Quod equidem ſermonis argumentum, niſi me omnia fallant, et omnium captui accommodatum est, et multiplici ſe commendat utilitate. Tam late vero hic dicendi campus patet, ut non niſi ſumma rerum faſtigia ſequi posſim. Quod dum ago, auribus linguisque favete.

Regnum Divinum inter *Israëlitas* Politico-Eccleſiasticum erat, idem erat populi Rex, qui Eccleſiae Princeps; iidem ſacrae ſocietatis ſocii, qui ſubditi et cives; dicitur enim in ſacris libris *Sacerdotium Regium* et *Regnum Sacerdotale*. Hinc leges Politicae et Eccleſiasticae non tantum inter ſe commixtae, ſed et ipſum regimen Politicum et Eccleſiasticum confuſum: iidem enim ſummi Eccleſiae erant Rectores, qui civitatis, et vice verſa.

In hac jam Reipublicae et Eccleſiae conſtitutio-

ne non poterat non magna, eximia, et Divina esse dignitas et auctoritas Pontificis Maximi, primarii quippe Numinis Regisque ministri; fieri etiam aliter non poterat, quin reliquorum Sacerdotum praerogativae essent insignes. Tanquam Dei et Regis ministri honoratiores, sacri et reverendi habebantur: soli cum Levitis, servis suis, sacris operabantur, soli ad aram accedebant et in sacram aedem intrabant. Inter hos vero Pontifex Maximus, corona aurea regia insignis, regio vestitu superbus, Principisque titulo ornatus, caput sublime efferebat. Solus in sacratissimo conclavi coram Divini Regis throno comparebat, sua auctoritate universum Numinis cultum dirigebat; quin cum reliquis Sacerdotibus in caussis non tantum sacris, sed et civilibus ac criminalibus supremus constitutus erat judex (*a*), a cujus sententia nulla esset provocatio; cui obedire recusans, tanquam laesae majestatis reus capitali afficeretur supplicio.

Imo vero Theocratica regiminis forma omnino postulasse videtur, ut summa rerum, non tantum sacrarum, verum et civilium penes Pontificem, et is non tantum primus sacri ordinis, sed *Civitatis* quoque *Princeps* esset. Quae sententia, cum a vulgo recepta opinione recedat, nonnullis argumentis corroboranda est.

Antiquissimis temporibus iidem erant reges, qui summi sacerdotes. Theocratiae autem indoles requirebat, ut, quemadmodum Deus et Rex idem erat,

(*a*) *Deut.* XVII.

erat, ita quoque Principatus civilis et Ecclesiasticus in uno eodemque homine esset conjunctus, atque is simul Numinis Regisque personam referret. Ne jam dicta repetam, regiis utique Pontifex titulis, regia superbiebat corona; belli quoque pacisque arbitria ab ipso dependebant. Cum Respublica adhuc esset formanda, praecipua quidem penes MOSEN, ejusque successorem JOSUAM, fuit potestas, verum extra ordinem, donec terra *Cananaea* occupata, et Republica perfecta, regimen Divinum summo coruscaret splendore. Tempore isto, in quod ita dictorum *Judicum* historia incidit, ordinarie rerum potiebantur Pontifices, ut vel ex ELI exemplo liquet, cujus imperium quadraginta fuit annorum. Sed saepe ob idololatriam aliaque crimina enormia a Deo deserti *Hebraei*, ab hostibus afflicti, dura pressi servitute, et ad incitas redacti, potente aliquo indigebant vindice, divinitus excitando. Hi libertatis assertores, Principes extraordinarii, et quasi *Dictatores*, belli caussa lecti, non *Reges* erant. Oblatum enim Regnum prudenter recusavit GIDEON, alii quoque declinarunt (*b*). Turbulentissimis autem istis temporibus, quibus *nullum in Israele regem*, id est *summum imperantem*, fuisse perhibent, quibus omnia pessum ibant; sacra aeque ac civitas erant turbata, et Pontificis, si quis esset bonus sacrorum antistes, auctoritas nulla. Ab hac vero constitutione primaeva desciverunt *Hebraei*, petendo

Re-

(*b*) *Judic.* VIII. et IX.

Regem, quo ipſo Deum valde offenderunt. Regimine enim regio Theocratia obſcurata, non tamen prorſus exſtincta aut ſublata fuit. Quae iterum, et majore ſplendore, post exilium *Babylonicum* in Republica inſtaurata, juxta Prophetarum oracula, fulſit; quando regia ac pontificia dignitas in uno eodemque homine conjuncta fuit. Namque omni illo tempore, quo *Judaei* reduces *Perſarum* regibus ſubjecti, propriis uſi inſtitutis, terram patriam incoluerunt, ordinaria potestas ſumma in ſacris et civilibus, fuit penes Pontifices. Tunc enim JESUS *Joſedeci* filius, unus ex reducibus, Pontificatum accepit, atque, teste JOSEPHO (*c*), is ejusque posteri, quindecim univerſi, usque ad regem ANTIOCHUM EUPATORA, liberi populi ſtatum rexerunt per annos quadringentos et duodecim. Tempore ARTAXERXIS Reipublicae et Eccleſiae praëerat ESRA (*d*) Sacerdos praecipuus. Cum ALEXANDER MAGNUS indignabundus *Hieroſolymam* contenderet, JADDUAE Pontificis ſumma fuit dignitas et auctoritas. Aliquanto tempore post, regnante inter *Aegyptios* PTOLEMAEO *Euergete*, ſummum Sacerdotem itidem maximam inter *Judaeos* obtinuisſe potestatem, ex rebus geſtis ONIAE, (*e*) SIMONIS juſti filii, liquet. Reliquos quoque Pontifices omnes ſuae gentis fuisſe Principes, donec *Maccabaei* regium ſibi impo

(*c*) *Antiq.* l. XX. c. X.

(*d*) *Esrae* VII. 25.

(*e*) JOSEPH. *Antiq.* l. XII. c. IV.

imponerent diadema, auctor est idem JOSEPHUS (*f*).

Cum lis inter fratres HYRCANUM et ARISTOBULUM orta coram POMPEII *Magni* tribunali disceptaretur, fatentur *Judaei*, ſibi patrium esſe, ſacerdotibus ejus Dei, qui apud ipſos coleretur, ut obedirent (*g*). Hinc *Romani* Pontificatum et Principatum HYRCANO reſtituentes, tamen tantum Pontificis eum inſigniverunt titulo; id unum dolebant *Judaei*, *Maccabaeos* regium ſibi vindicasſe nomen. Suprema post Deum Pontificum in Republica auctoritas ex antiquorum *Siclorum* inſcriptione quoque confirmatur, modo genuini ſint hi nummi, quippe qui referunt urnam, continentem *Mannam*, et *amygdalis foetum ramulum*. Habebatur itaque Pontificatus ſummum honoris faſtigium, cujus rei luculentus quoque teſtis est PHILO in *legatione ad* CAJUM CAESAREM, licet Reges inter et Pontifices diſtinguat: *avos proavosque*, inquit, *reges habui*, *quorum plures dicebantur Pontifices*, *quam illi dignitatem pluris faciebant*, *quam regiam*, *rati quanto Deus anteſtat homini*, *tanto Pontificatum regno excellentiorem*. Hi jam Pontifices, ſimul reges, ſimul ſacerdotes, imagines et figurae erant *Mesſiae*, regis juxta ac ſacerdotis, ſecundum clarisſimum ZACHARIAE vaticinium.

Verum enim vero Christi Regnum longe alius est

(*f*) *Antiq.* l. XI. c. IV.

(*g*) JOSEPH. *Antiq.* l. XIV. c. III. §. 2.

est indolis, internum quippe, ſpirituale, coeleste; Regnum veritatis et pacis, nulla vi externa munitum, nullo ſplendore et pompa humana illustratum, rationali tantum modo propagandum, cujus cives omnes aequales et fratres ſint; et tamen in CHRISTI Eccleſia novi ſurrexerunt Pontifices Maximi, ſupremam ſibi in hac terra potestatem, in rebus ſacris non tantum, ſed et civilibus vindicantes. Nemo non intelligit, haec de Episcopis Romanis dici. Prae caeteris exemplo ſit HILDEBRANDUS, ſive GREGORIUS VII, qui *ſeculo* XI ſupremum ſeſe terrarum orbis gesſit Monarcham; imperatorem HENRICUM IV indignisſime tractatum a munere removit, ſubditos juris jurandi religione ſolvit, alium ejus loco imperatorem creari curavit, atque ita re et verbis ſummum ſibi in regna populosque asſeruit imperium. Deinde, *ſeculo* XIV. JOANNES XXII, *Papa*, LUDOVICUM *Bavarum*, Imperatorem Romanum, ad ſuum non tantum vocavit tribunal, ſed et non comparentem, omni veniae ſpe interclusa a ſacris arcuit, titulo auctoritateque regia privavit, parendi necesſitatem ſubditis demſit, nec quemquam, niſi eadem poena dignus cenſeri velit, ejus commercio uti posſe pronunciavit. Iisdem inſtitit vestigiis CLEMENS VI ejus ſuccesſor. PAULUS III adhuc *ſeculo* XVI medio, ſibi tanquam CHRISTI vicario, imperii coelestis et terreſtris creditas esſe claves, contendere auſus fuit. Jam vero, an unquam *Romani* Epiſcopi eo procesſisſent audaciae, niſi ad *Hebraeorum*

K Pon-

Pontifices respexisſent? ab his ſane ſeſe adumbratos et repraeſentatos credunt. Quare nimiae hujus potestatis pontificiae, inter ipſos *Romanae* ſedis ſubditos, adverſarii *Hebraeorum* Pontificum potestatem extenuant, quaſi illi a magni ſynedrii nutu pependisſent; verum celebrem hunc conſesſum *Maccabaeorum* demum tempore inſtitutum, nec tanta polluisſe auctoritate, nunc inter eruditos ſatis conſtat.

Praeterea nullus dubito, quin Hierarchia Epiſcoporum non tantum *Romanorum*, ſed et aliorum in diverſis Christianismi ſocietatibus Praeſulum, eorumque potestas et auctoritas in ferendis legibus religioſis nimia, quibus hominum obligentur conſcientiae, ex prava potisſimum veteris Oeconomiae imitatione orta ſit. Populus tum prorſus a Sacerdotum ore pendebat, quippe ipſis in omnibus obedire divinitus jusſus. Tanquam rudioris indolis pueri ſeveris his ſubjecti erant paedagogis. Sacerdotes reliquo populo ſanctiores, variis privilegiis, immunitatibus, juribus inſignes, prae hoc multum eminebant. Hic vetus ſacri ordinis fulgor, Christianorum oculos praeſtringens, discriminis Clericos inter et Laicos fuit origo, et variarum ordinis Eccleſiastici praerogativarum, partim laudandarum, partim culpandarum, foecunda mater. Stante veteri hoc Regno Theocratico, ſaepe Deus praeter ordinarios ministros, temporibus corruptisſimis, extraordinarios mittebat legatos, qui populum minis et promisſis a vitiis dehortarentur, et ad virtutes incitarent. Hi a Deo et Rege Israëlis

raëlis directe misſi, et miraculorum dono, tanquam Divinae misſionis testimonio firmisſimo muniti, maxima libertate vitia grasſantia, peccata et ſcelera dominantia, publice in clarisſimam protrahebant lucem et reprehendebant; imo nemini parcentes in ipſos Reges, Principes et Proceres, nominatim eos compellantes, publice invehebantur, pesſimosque ipſorum mores atro notabant carbone. Admodum vero imprudenter agerent Eccleſiae Christianae miniſtri, ad haec ſi ſe componere vellent exempla.

Deus tanquam Rex Israëlis publice magno cum ſplendore et pompa colebatur; primum in tabernaculo, ceu portatili praetorio caſtrenſi; dein in templo tanquam fixa Majestatis ſede, ac palatio ſplendidisſimo quaſi habitabat, in ſacratisſimo conclavi a promiscuo populo pro Regum orientalium more ſeparatus. Omnia hic aura fulgebant, omnia ad ſplendorem ac pompam compoſita erant; omnia regiam prae ſe ferebant magnificentiam. Sive ipſam ſacram aedem cum atriis, et aedificiis annexis contemplemur, ſive ministros primarios et viliores, ſive ſupellectilia pretioſa, ſive ipſam denique cultus rationem. Utinam hic ſplendor et pompa veteris Eccleſiae cum CONSTANTINO, caeterisque Christianis imperatoribus, Christianorum templa non intrasſet, cultumque ipſorum rationalem ac ſpiritualem commaculasſet! posſem hic dicere de quamplurimis Eccleſiae *Romanae* ritibus, prorſus *Judaicis*; de ridiculis procesſionibus, tonſura clericorum, luminaribus magno apparatu

in templis accendi solitis, aqua lustrali, unctionibus variis, jejuniis statis, vestibus sacerdotalibus, aliisque institutis, ex *Judaeorum* imitatione originem trahentibus; sed alii id jam egerunt (*h*), et restant alii abusus gravissimi, magisque universales. Sacrificium sane Ecclesiae *Romanae*, vulgo dictum (sit venia voci) *Missaticum*, veterum sacrificiorum vicem excepit. Clericorum quoque coelibatus veteris potissimum Oeconomiae exemplo debetur, tum scilicet sacerdotes, ministerio sacro fungentes a feminarum usu prohibebantur; cum vero ex Patrum Ecclesiasticorum sententia Novae Oeconomiae sacerdotes semper sacris operari censeantur, prono inde alveo perpetua conjugii fluxit abstinentia.

Male quoque Veterem Oeconomiam imitati sunt, qui hinc ad horribilem in bellis crudelitatem, qua victi sine misericordia trucidentur, quaesiverunt praetextum et quendam colorem, semet *Israëlitarum* exemplo defendentes; hi enim *Cananaeos* victos sine misericordia cum uxoribus et liberis deleverunt; alios quoque populos hostiles severe admodum tractarunt, quin funditus exstirparunt. Imo DAVIDES, piissimus iste Princeps, prorsus horrenda et exsecranda crudelitate in *Ammonitas* saeviisse legitur. Ne nunc dicam, posterius hoc factum contra historiae veritatem, propter textum Hebraeum male intellectum, aggravari. Lon-

(*h*) J. F. BUDDEUS in *Parerg. Historico Theol.*

Longe alia ac diverſa ratio erat bellorum Judaicorum ac nostrorum. Quia enim Deus ipſe *Israëlitarum* erat Rex, nulla bella, niſi ipſo jubente, gerenda erant; ipſe vero ſimul totius terrarum orbis Rex ſupremus et abſolutus, ſimul *Israëlitarum* Dominus, *Israëlitis* tanquam ſuis utebatur ministris ad gentes improbas ob criminum et delictorum enormium immenſam multitudinem graviter puniendas. Id quod de *Cananaeis* in ſacra historia plus ſimplice vice diſerte annotatum reperitur. Quia itaque *Judaei*, tanquam Divinae justitiae ministri, juſſu Divino ipſis directe per oraculum dato, ſeveras de nationibus ſceleratiſſimis, Dei judicio condemnatis, ſumſerunt poenas, inde minime ſequitur, licere aliis gentibus, hoc mandato deſtitutis, crudeliter in victos ſaevire, etiamſi justas belli cauſas habeant. Ad animum haec revocent, qui nullam fere aliam ad immortalitatem arbitrantur eſſe viam (*i*), quam exercitus ducere, aliena vaſtare, urbes delere, oppida excidere, liberos populos aut trucidare, aut ſervituti ſubjicere, nec ſexui nec aetati parcere, ferro et igne graſſari; videlicet quo plures homines afflixerint, ſpoliaverint, occiderint, eo ſe nobiliores et clariores putant, et inanis gloriae ſpecie capti ſceleribus ſuis virtutis nomen imponunt. Non tamen justa bella damnanda, quae malum ſunt neceſſarium, he-

(*i*) His verbis LACTANTIUS alicubi in ſaevos bellatores invehitur.

heroica facinora magni aestimanda, et aeternitati consecranda; sola *crudelitas*, qua olim potissimum, nunc enim mitioribus hominum animis clementia placet, in victos saeviebant, damnanda et fugienda.

At quid persecutione ob Religionis diversitatem est horribilius? quid magis ab humanitate alienum et remotum, legibus divinis humanisque contrarium, quam bonos cives, virtutibus saepe illustres, propterea vexare, bonis sedibusque excutere, quin tetris carceribus includere, horrendis cruciatibus affligere et excarnificare, capitali supplicio afficere, ignominiosa dolorifica et exsecranda morte perdere; quod sese obligatos putent ad Deum alia ratione colendum, quam nos instituimus; propterea quod Deum tantopere ament et revereantur, ut potius horrenda quaevis tormenta, ipsamque mortem infamem perferre velint, quam contra Deum peccare, quam contra conscientiae convictionem a genuino Numinis cultu desciscere. Quis crederet homines, Christianam profitentes Religionem, adeo posse a Christo et Euangelica doctrina degenerare, ut putent sese Deo rem gratam facere occidendo fratres suos Christianos, hac tantum de causa, quod, quibusdam Euangelii locis alium tribuentes sensum, in nonnullis ritibus et dogmatibus ab ipsis differant, suasque sententias ex studio Regni Christi propagandi modeste sine ullo tumultu cum aliis communicent. Minus sane culpandi sunt gentiles, hac ratione olim in Christianos saevientes, quorum tamen atrocem crude-

de-

delitatem et dementiam jure meritoque ſic perſtringebant (*k*) Christiani.

„ Non opus est, inquiebant, vi et injuria, quia
„ Religio cogi non potest: verbis potius quam
„ verberibus res agenda est, ut ſit voluntas. Dis-
„ tringant aciem ingeniorum ſuorum; ſit ratio eo-
„ rum vera est, afferatur; ſicut ne ſaevientibus
„ quidem cedimus. Imitentur nos, et rationem
„ rei totius exponant. Nos enim non illicimus,
„ ut illi objectant; ſed docemus, probamus, oſten-
„ dimus. — Doceant iſti hoc modo, ſiqua illis
„ fiducia veritatis est, loquantur, hiſcant, au-
„ deant diſputare nobiscum. — Sentiunt (*l*), ni-
„ hil eſſe in rebus humanis Religione praeſtan-
„ tius, eamque ſumma vi oportere defendi, ſed ut
„ in ipſa Religione, ſic in defenſionis genere fal-
„ luntur. Defendenda enim Religio est, non oc-
„ cidendo, ſed moriendo; non ſaevitia, ſed pa-
„ tientia; non ſcelere, ſed fide. — Si ſanguine,
„ ſi tormentis, ſi malo Religionem defendere velis,
„ jam non defendetur illa, ſed polluetur, atque
„ violabitur. Nihil enim tam voluntarium est,
„ quam Religio, in qua ſi animus ſacrificantis
„ averſus est, jam ſublata, jam nulla est. —
„ Nostra Religio eo firma est, et ſolida et immu-
„ tabilis, quia justitiam docet, quia nobiscum
„ ſemper est, quia in animo colentis, quia men-
„ tem

(*k*) LACTANT. *Div. inſtit.* L. V. C. XX. p. 412.
(*l*) Lact. ibid. p. 414.

„ tem ipſam pro ſacrificio habet. Illic nihil exi-
„ gitur aliud, quam ſanguis pecudum, et fumus,
„ et inepta libatio! hic bona mens, purum pec-
„ tus, innocens vita.

„ Nos (*m*) non expetimus, ut Deum nostrum,
„ qui est omnium, velit nolit, colat aliquis invi-
„ tus; nec, ſi non coluerit, iraſcimur. Confidi-
„ mus enim majeſtati ejus, qui tam contemptum
„ ſui posſit ulcisci, quam etiam ſervorum ſuorum
„ labores et injurias. Et ideo cum tam nefanda
„ perpetimur. ne verbo quidem reluctamur: ſed
„ Deo permittimus ultionem, non ut ii faciunt,
„ qui defenſores deorum ſuorum videri volunt,
„ et ſaeviunt efferate adverſus non colentes". ô Vox Christiano homine digna! quae Religio unquam inter homines fuit praeſtantior? Cujus propagandae ratio, tantum rationali demonſtratione et convictione facta, nullis unquam ſatis efferri laudibus potest! utinam ſequentium aetatum Christiani tales ſeſe ſemper praeſtitisſent! nunquam ſane nefandum *Inquiſitionis tribunal*, quo ſol nihil unquam vidit pejus, conſtitutum fuisſet! id vero maximopere dolendum, purioris etiam Religionis antiſtites quosdam non prorſus ab hoc fermento purgatos ſuisſe! Jure itaque quaerat aliquis, qui fieri potuerit, ut homines eruditi, pii, zelo pro Dei gloria vere ferventes, S. Literarum reverentes, qui ipſi adeo ob Antichristianorum perſecutiones dolebant, in animum induxerint, et publice do-

(*m*) Ibid. p. 417.

docuerint, haereticos, id est, diverſa ab Eccleſiae noſtrae publicae decretis ſentientes, et admonitos in ſuo errore perſeverantes, ſuamque ſententiam propagantes, licet caeteroquin boni ſint cives, a magiſtratu esſe puniendos; quin, ſi errores adeo graves et pernitioſi deprehendantur, vel ex noſtra opinione tam noxia ad Eccleſiae noſtrae fidem corrumpendam habuerint conſequentia, capitali ſupplicio esſe afficiendos. Qua ſententia admisſa, nullus perſecutionum erit finis; nec fieri aliter poteſt, quin in ſua viſcera ſaeviant Chriſtiani, ſententiarum divortiis diſtracti, ſibique ſinguli veritatem fidemque orthodoxam tribuentes. Nunquam eo procesſisſent viri caeteroquin boni et eruditi niſi ignoratio veri diſcriminis veterem inter et novam Oeconomiam, Regnum Theocraticum externum et Chriſti ſpirituale ipſos in errorem induxisſet. In Regno nempe Theocratico ſeverae leges (*n*) latae erant contra Idololatras, blasphemos, et falſos prophetas ad Idololatriam ſeducentes, ſabbathi etiam violatores; quibus iſti homines capitalis criminis rei declarabantur, et magiſtratui injungebatur, illos ultimo afficere ſupplicio.

(*n*) Deut. XIII. C. XVII. Exod. XXII: 20. Cap. XXXI: 14. Livit. XXIV. Num. XV. Cap. XXX. Caeterum hic ubique fere ipſius Magn. THEODORI BEZAE verbis, obviis in *lib. de haereticis a Magiſtratu puniendis*, uſus ſum, ne a genuina ſententia horum virorum aberrarem.

cio. Veteris itaque oeconomiae principes, has leges ſtrenue exſecutioni dantes, propterea in S. historia laudantur, tanquam pietate inſignes, Deoque accepti, grati, chari. MOSES, homo clementisſimus, et cujus rara admodum ſupplicia in negotiis civilibus leguntur, in Religionis violatae crimine ſeverisſimum edidit exemplum, tribus hominum millibus ipſius mandato, ſine ullo, vel aetatis, vel ſexus, vel ſanguinis aut conjunctionis discrimine, *Levitarum* opera, propter idololatriam vituli interfectis. ASA, ſanctisſimus princeps, foedus Domini cum populo inſtauravit, hac addita formula, *quicunque non quaeſiverit Dominum Deum Israëlis, interficiatur, ſive parvus ſit, ſive magnus, vir vel mulier.* JEHU a Domino delectus totam ACHABI domum propter idololatriam penitus excidit, et BAALIS ſacerdotes ad unum omnes trucidavit. Pius ille rex JOSIAS ſacerdotes excelſorum mactavit ſuper altaribus, atque humana osſa ſuper illis combusſit. HELIAS, cesſante magiſtratu, extraordinaria potestate fungens, ſacerdotes *Baalis* ad torrentem *Kiſon* interfecit, JOJADAS a Deo excitatus *Athaliam* illam impiam occidit.

Jam vero, inquiunt, quod a praeſtantisſimis iſtis heroibus ex Principum auctoritate et imperio geſtum est, et expresſo Spiritus Sancti teſtimonio laudatur, id est ejusmodi, ut ſine blaſphemia vituperari non posſit. Ast oppido falluntur viri docti, ita ratiocinantes; namque hi apoſtatae, verum Deum ab-

abnegantes, cum nostri temporis haereticis comparandi non ſunt; comparatio ſi inſtituenda esſet, cum manifestis Atheis, palam a Deo deficientibus, atque Atheismum propagare conantibus; aut cum blaſphemis palam claris verbis et directe Dei, coeli terraeque Creatoris ac Domini, qua talis, majestatem vilipendentibus conferendi esſent; minime vero cum hominibus fidem et pietatem in Deum profitentibus, ſacram revelationem admittentibus, Christum tanquam Dei Filium et Salvatorem recipientibus; ſed in nonnullis Christianae religionis dogmatibus disſentientibus, ſuasque de illis ſententias, Reipublicae et Societatis commodis non adverſas, ſine tumultu aut ſeditione propagantibus. Quisquis praejudiciis occaecatus non est, ſtatim comparationem hanc prorſus mancam esſe animadvertet.

Sed cauſae arcem invadamus. Nihil hanc ſententiam in legibus et exemplis V. T. habere praeſidii ſine haeſitatione ulla adſeveramus. Legum enim harum et factorum ratio ex veteris oeconomiae, nunc abrogatae, indole unice repetenda est; ſecundum quam Deus ſimul Numen populi *Israëlitici* patrium et privum, ſimul Rex erat terreſtris; qui ergo Deum *Israëlis* tanquam unicum Numen abnegabant, et repudiabant, quod idololatrae faciebant, illi eo ipſo ipſum tanquam Regem rejiciebant; hac ratione legum auctoritatem et Reipublicae vincula ſolvebant, atque propterea perduellionis laeſaeque majeſtatis rei, ideoque capitali affici-

ciendi erant ſupplicio. Sabbathi quoque violatores deprehenduntur tales, quia in Sabbatho publicum ſignum et tesſera exhibebatur, ex qua conſtaret, *Israëlitas* tantum Creatoris coeli et terrae, ſex diebus totum hoc opus abſolventis, ſeptimo vero quieſcentis, cultui esſe devotos.

Longe vero alia et diverſa oeconomiae novae, Chriſtique regni, indoles est; *regnum meum*, inquit ipſe Dominus, *non est ex hoc mundo, caeteroquin miniſtri mei certasſent, ne traderer Judaeis.* Quando JACOBUS et JOANNES *Apoſtoli* igne, ad ELIAE exemplum, coelitus demisſo, *Samaritanos* perditos cuperent, *Servator optimus* eos objurgavit, dicens *neſcitis, qualis ſpiritus ſitis, filius hominis non venit, ut perderet homines, ſed ſervaret.* Solus CHRISTUS regia Majeſtate illuſtris ad imperii clavum ſedet, nec ullum in hac terra habet vicarium aut proregem; reliqui omnes fratres. Spirituale hoc regnum, tantum in hominum animis rationali modo condendum, ab omnlbus hujus mundi regnis diſtinctum, illa prorſus integra et illaeſa relinquit; divinae veritati, pietati et virtuti, argumentis rationalibus, ſine ulla vi aut coactione externa, propagandae unice inſerviens. Nemo collum colestis hujus Regis jugo ſubdere cogitur, nemo invitus in Chriſti regnum intruditur, aut intrudi potest; nullos alios habet ſubditos, aut habere potest, quam voluntarios. Quae omnia pasſim in S. Literis inculcantur, et nota ſunt Chriſti regni criteria, quae extremo digito attigisſe ſuffecerit.

Nec

Nec tamen exiſtimandum, viros illos eruditos prorſus ad utriusque oeconomiae diſcrimen non attendisſe, ipſi enim hunc ſibi movent ſcrupulum, *quorſum nobis politicas Moſis leges proponitis?* Reſpondent, quamvis politiae Moſaicae formulis non teneamur; tamen quum judiciales iſtae leges judiciorum praeſcribant aequitatem, quae Decalogi pars est, nos, ut illis non obligemur, quatenus a Mose uni populo perſcriptae ſunt, eatenus tamen ad eas obſervandas tenemur, quatenus generalem illam complectuntur aequitatem, quae ubique valere debet. Videntur enim hac ratione a Mose non uni *Israëlitarum* populo, ſed a natura univerſae hominum nationi poſitae. Quod itaque iſtas politicas Mosis leges, in verae religionis contemtores perſcriptas, christianis principibus proponimus, hoc non facimus, ut chriſtianis Mosis politia obtrudatur, ſed ut ejus aequitatem in conſtituendis de eadem religione judiciis, quoad ejus fieri potest, tanquam optimum exemplar ſequantur. Defectio itaque a vera religione, et ſollicitatio ad eam a Magiſtratu punienda est. Dei Majeſtas, et Eccleſiae auctoritas non minoris apud nos debet esſe ponderis, quam olim apud Judaeos. Tanti ſane apud omnes ſempiternis ſeculorum aetatibus Dei Majeſtas esſe debet, ut quisquis eam habet ludibrio, dignisſimus ſit, cui vita per vim eripiatur.

Pulchra ſpecie ornata oratio est, qua imprudens ad periculoſum facile pellici posſit errorem! At vero, ut a poſtremo incipiam, ante omnia accurate de-

definiendum, quid ſit *Dei majeſtatem laedere.* Illam utique non laedunt directe, qui unum verum Deum, mundi Creatorem et Dominum agnoſcunt, profitentur, et reverentur. Multo minus, qui S. revelationem et CHRISTUM Salvatorem amplectuntur, ut ut foveant ſententias dominanti religionis ſectae adverſas, et quae illi ad Numinis injuriam tendere videantur, ſed a qua conſequentia ipſi harum ſententiarum patroni abhorreant. Hoc ſub praetextu olim ſeculo XVI in *Belgio* noſtro ita dicti haeretici, contra gentis privilegia ordinario judici ſubtrahebantur; crimen enim laeſae Majeſtatis tantum coram ipſius *Caeſaris* tribunali diſceptandum et dijudicandum contendebant, qui tunc imperii frena tenebant. Hoc vero crimen duplicis esſe generis adſeverabant, vel illud *in Caeſarem*, vel *in Deum*, committi, quae tyrannica ſententia tum piis noſtris majoribus lethalis fuit (*o*).

Praeterea totum hoc ratiocinium, externa ſpecie adeo blandiens, fallax est, atque illico evaneſcit et in fumum abit, modo obſervetur, legum harum aequitatem tantum a ſingulari illa Reipublicae *Iſraëliticae* conſtitutione dependere, adeoque cum ea cesſare; ſiquidem legis ratione, per quam lex aequa erat, ſublata, *ipſa* quoque *legis* pereat *aequitas.* Deinde negari etiam nequit, Magiſtratus et Judicum ſtante regno theocratico aliam longe fu-

(*o*) *Vaderl. Hiſt.* lib. XX. tom. V. p. 408.

fuisse conditionem, quam nunc sub oeconomia nova. Tunc enim, tanquam Dei vicarii et proreges ipsius quasi Numinis locum tenebant, ejusque majestatem sartam tectam conservare debebant. Quare Jehovae throno insidere dicuntur, ipsiusque loco jus dicere; hinc Deorum titulo insigniuntur; quae privilegia, quod eptheton nostris tribuere Principibus et Magistratibus mera foret adulatio.

Sed oculos avertamus ab ingrato crudelitatis spectaculo, quod mitioribus nostri aevi hominum animis non potest non displicere; alia potius contemplemur, sed veluti in transitu, orationis enim vela contrahenda sunt. Ex hoc procul dubio fonte multiplex Ecclesiae et Civitatis, quae in veteri oeconomia eadem, nunc vero diversissima, derivanda est confusio. Hinc forte lex politica de divortiis, quae quidem in vera Christi Ecclesia, non tamen necessario in Republica locum habet (*p*). Hinc quoque excommunicationis Ecclesiasticae effectus civilis. Nulla bella, juramenta, magistratus nulli in Christi regno per se et absolute considerato permittuntur, nec tamen his carere potest civitas. In hanc classem quoque retulerim multis valde adamatum foedus illud Eu-

an-

(*p*) Leges matrimoniales de gradibus prohibitis, *Levit.* XVIII. obviae, nos non obligant, quia *a Mose latae*. nec, si accurate loqui velimus, *ulla lex Mosis*, *qua talis*.

angelicum externum, ab interno diſtinctum, cum omnibus conſequentiis. Sabbathi (q) praeterea rigidam quietem, quam nonnulli urgent, Israëlitis quidem ſub iſto aëris climate viventibus bonam, nobis vero durisſimam et vix ferendam, ab Euangelii etiam indole alienam.

Omne omnino *foenus* juxta Mosis exemplum illicitum pronunciant Patres nonnulli Eccleſiaſtici; admitti poterat haec lex in *Hebraeorum* Republica; ubi nulli agri alienari et vendi poterant, ubi negotiatio rara, noſtrae vero Reipublicae talem legem prorſus pernitioſam ex exitialem fore vos omnes fatebimini. Nihil *Hebraeis* refugii urbibus, ob jus vindictae privatae in ipſorum Republica necesſariis, ſanctius; hinc magna valdeque damnanda inter Chriſtianos aſylorum licentia.

Qui vellet unam politicam Mosis legem recipere, deberet et alteram, omnes quippe, arctisſimis inter ſe conſtrictae vinculis, cohaerent. Dantur, qui ſummis Mosis lenitatem efferant laudibus, quod furtum capitali non puniat ſupplicio, hanc vero legem, qui tanquam optimam propter Mosis auctoritatem recipere vellet, is et ſervitutis jura ex exilio revocare deberet; fur enim, qui ſolvendo non erat; ſecundum hunc legislatorem in ſervitutem detrudebatur.

Plu-

(q) Conferatur Cl. J. D. Michaëlis in prolegomenis ad jus *Moſaicum*, et patris 3, §. 155. et patris 4. §. 195.

Plura de his meditantibus occurrent exempla, quae protuli ſpeciminis loco ſufficiunt.

Veſtra ne abutar patientia, Auditores Exoptatisſimi, pedem hic figo, et ad id, quod hujus diei ſolennitas a me exigit, laetus accedo etc.

DISSERTATIO

De Origine et Cauſis Inſani Idololatriae Amoris et Studii, Maxime in Gente Israëlitica.

§. I. Non tantum veteres gentes, divina revelatione carentes, cultu idololatrico commaculatas, ſed et gentem *Israëliticam* ei valde deditam fuisſe, novimus. Maxima ſane nationis hujus pars ante exilium *Babylonicum* tanto in idola ferebatur ſtudio, ut nullis minis aut promisſis, nullis poenis aut beneficiis, penitus ab eo avelli potuerit. Inſanum illud Idololatriae ſtudium, infrunitam illam Idola colendi libidinem, in gente *Israëlitica*, quis est, qui non miretur? in gente inquam *Israëlitica*, a piis orta majoribus, unius veri Dei cultoribus, tot illuſtrisſimis Dei miraculis ex *Aegypto* liberata, hunc in finem e reliquis gentibus ſelecta, ab ipſo Deo in populum et Rempublicam formata, ut ab hac univerſali contagione pura maneret, et optimis inſtructa legibus, idololatriam ſub horrendarum poenarum comminatione vetantibus; in gente clarisſima notitia unius veri Dei, coeli terraeque Creatoris, Numinis inviſibi-

lis, infiniti, et ſpiritualis illuſtrata! ad quam Deus tot legatos et prophetas miſit, ad eam ab horrendo et deteſtando hoc crimine abſterrendam, quam ſaepe hanc ipſam ob cauſam ſevere punivit, contra vero ob ſincerum veri Dei cultum tot beneficiis ornavit mactavitque. Digna haec res est, quae attente conſideretur; ut autem profundius in mali hujus fontem penetremus, inquiram cum in primam Idololatriae cauſam et originem inter gentes, tum in praecipuas hujus inſani ſtudii rationes in gente *Israëlitica.*

§. II. Primam fingendi idola inclinationem ortam fuisſe putaverim ex illa animae nostrae imbecillitate, qua carni incluſa non posſit completam rerum ſpiritualium formare ideam, verum, ut ut etiam conetur eam ſibi ſiſtere puram, ſemper tamen aliquid corporei ei admisceri ſentiat. Quae imbecillitas omnibus quidem hominibus communis, ac humanae naturae, quamdiu in hoc mortalitatis aevo verſatur, propria est; diverſi tamen in ea dantur gradus. Hinc SOCRATES apud PLATONEM in *Phaedone* dicit philoſophi esſe *ἀπολύειν ὅτι μάλιςα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας*, *animam quam maxime a communione corporis ſolvere.* Eleganter quoque SENECA, *vir magnus et prudens animum deducit a corpore*, *et multum cum meliore et divina parte verſatur*, *cum hac querula et fragili*, *quantum necesſe est.* Hiſtoriam vero omnium ſeculorum vel celeri percurrentes oculo, ſtatim obſervamus, paucos tantum per omnia tempora fuisſe repertos, qui per agnatam ani-

mi magnitudinem, continua exercitia, et praecipue Divinae gratiae beneficium, eo usque progressi sint, ut aliquo, sed humanae naturae congruo, modo de spiritualibus et divinis potuerint ratiocinari, et spiritualia quodam modo a rebus corporeis abstrahere. Longe maxima humani generis pars unice fere iis affixa haeret, quae externos sensus afficiunt, ita ut raro et non nisi crasse de rebus spiritualibus et divinis cogitent. Quod ipsi gentilium sapientes jam observarunt; sic egregie CICERO *rarum*, inquit, *est quoddam genus eorum, qui se a corpore avocent, et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur.* Et alibi, *magni autem est ingenii revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere.* Nimirum naturalis illa imbecillitas per hominum lapsum valde aucta, et anima carni magis obnoxia reddita fuit; indeque ingens malorum agmen oritur. Homines ergo ita affecti primum illustriora Dei opera, maxime lumina coelestia, solem, lunam, stellas, tanquam Numinis imagines, symbola, et figuras, religiosa veneratione prosequi coeperunt; hactenus veri Dei cultui addicti. Sed temporis lapsu has Numinis imagines tanquam Deos ipsos venerari coeperunt, et hac ratione, ut fieri solet, cum semel a recta via deflexissent, ad sententias de *diis* magis magisque absurdas et ridiculas prolapsi sunt. (*a*) Hoc vero idolorum cultu uni-

(*a*) Haec imaginum et statuarum origo, quas dein- ceps

univerſum terrarum orbem pervadente et magis magisque occupante, Deus ABRAHAMUM elegit,

ceps, tanquam ipſa Numina, veſani mortales cultu religioſo proſecuti ſunt. Recte MAXIMUS TYRIUS dicit ἡ ἀνθρωπίνη ἀσθένεια ἐξεῦρε σημεῖα ταῦτα, *humana imbecillitas invenit haec ſigna*; et paucis interjectis τῇ τοῦ θείου φύσει δεῖ μὲν οὐδὲν ἀγαλμάτων, οὐδὲ ἱδρυμάτων ἀλλὰ ἀσθενὲς ὂν κομιδῇ τὸ ἀνθρώπειον, καὶ διέσος τοῦ θείου ὅσον οὐρανοῦ γῆ, σημεῖα ταῦτα ἐμηχανήσατο, ἐν οἷς ἀποθήσεται τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα καὶ τὰς φήμας αὐτῶν. Οἷς μὲν οὖν ἡ μνήμη ἔρρωται, καὶ δύνανται ἐυθυ τοῦ οὐρανοῦ ἀνατεινόμενοι τῇ ψυχῇ τῷ θείῳ ἐντυγχάνειν, οὐδὲν ἴσως δεῖ τούτοις ἀγαλμάτων. Σπάνιον δὲ ἐν ἀνθρώποις τὸ τοιοῦτο γένος, καὶ οὐκ ἂν ἐντύχοις δήμῳ ἀθρόῳ τοῦ θείου μνήμονι καὶ μὴ δεομένῳ τοιαύτης ἐπικουρίας. *Deorum naturae nec ſtatuis, nec imaginibus opus est, ſed, cum infirma ſit oppido mortalium conditio, tantumque a Divina quantum a coelo terra recedat, ſigna ejusmodi excogitavit ſibi, quibus et nomina et nuncupationes tribueret Deorum. Si quibus igitur tam firma ſit memoria, ut erecto ſtatim animo coelum usque ipſum posſint pertingere, Deumque recta adire, nihil iis fortasſe opus ſit imaginibus, verum rarisſimi inter homines ſunt hujusmodi; nec facile invenias totam aliquam gentem, quae Divinae ſemper meminerit naturae, nec ejusmodi egeat ſubſidio.* Ut ipſi videtur, legislatores non aliter, quam puerorum gregi, has generi humano invenerunt imagines, honoris Divini quaſi ſigna quaedam, vel notas, quibus ad memoriam, tanquam manuductione quadam et via, mortales deducerent. vid. *Disſert.* VIII. p. 81. Hac nempe ratione, Christiana

git, ut ex ejus progenie formaret gentem, in qua unius veri Dei cultus purus et illibatus persisteret.

§. III.

jam exorta Religione, lucisque radios quaquaversum spargente, gentilium Philosophi Idololatriam excusare, et imaginum cultui colorem quaerere conabantur. *Nihil est difficilius, quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit et vulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum, ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possint de Diis immortalibus cogitare* Uti jam dudum ante disseruit CICERO *de natura Deorum* l. II. Haec dicit Stoicus, qui iis sapientior videri vult, qui mundum ipsum animantem et Deum esse judicat. Plerosque antiquos philosophos haud rectius de Dei natura sensisse ex illis libris liquet, ubi exposuit non philosophorum Judicia, sed delirantium somnia. EPICURUS humanam formam Diis tribuebat, *nec tamen* ex ejus opinione *ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.* Verum non sine ratione multi suspicabantur, EPICURUM, *ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse Deos, re sustulisse.* Multum sane licentiae habuit ejus hortus, quaeque de Diis suis otiosis, res humanas non curantibus, garrit, *sunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularum.* Quin ipse DEMOCRITUS, *vir magnus in primis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit, nutare videtur in natura Deorum. Ipsi, qui irridentur, Aegyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt: velut ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro:*

aver-

§. III. Quaeritur jam, qui factum fuerit, ut et illa gens tam insano idolorum amore deperierit, ut

avertunt pestem ab Aegypto, cum volucreis angueis ex vastitate Libyae vento Africo invectas interficiunt atque consumunt. Erant itaque hi Dii, quamvis ridiculi, *Epicuri* Diis, nullam humano generi adferentibus utilitatem, meliores. Quanto melius Simonides, *de quo cum quaesivisset tyrannus Hiero quid, aut qualis, sit Deus; deliberandi causa sibi unam diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quaereret cur ita faceret, quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Sapientes quidem Deos poëticos, et poëtarum de Diis fabulas spernebant et repudiabant, vulgique superstitionem clam ridebant, multa sane praeclara de Dei existentia, natura, et providentia dixerunt, quae non sine admiratione legere, et tanquam sana ratiocinia, veterisque verae religionis reliquias, exosculari solemus. Quale hoc est, *quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? —— quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius?* etc. Optime sane Epicuri opinio de fortuito mundi ex atomis concursu refutatur ex aequabilitate motus, conversione coeli, solis, lunae, siderumque omnium distinctione, varietate, pulchritudine, ordine: *quarum rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum*

 ali-

ut nullis remediis, nequidem per pios reges, prorsus ab eo avelli potuerit I. Primam rationem cum re-

aliquam, aut gymnasium, aut in forum venerit; cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur. —— *Ex ipsa hominum solertia esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem, et Divinam existimare debemus, unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates.* Quantopere vero dolendum est, ab iisdem philosophis stoicis, egregie adeo disserentibus, omnem illam solertiam et virtutem mundo ipsi tribui, mundumque cum Deo confundi, eosque ita tandem concludere, *sapiens igitur est mundus, et propterea Deus; atque hac mundi divinitate perspecta, tribuenda est sideribus eadem Divinitas.* -- *Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quae cum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in Deorum numero reponere.* Imo vero hic admirabilis ordo, et constantia Dei auctoris eorum monstrat et clamat solertiam, et sapientiam profundam, a mortalibus humili cum veneratione suspiciendam et venerandam. Ipsa astra non pollere solertia, ratione et libertate, vel ex ipso hoc constanti, haud variato, sed rato atque praescripto, motu conjicere debuissent, quippe qui non est eorum quae voluntatem liberam habent. Optime rursus Numinis providentiam probaturi, *qui igitur convenit signum, aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem: cumque pro-*

cul

reliquis gentibus communem habebant, in *craſſo* illo *ingenio* ſitam, quo carnales de Numine O. M.

cul curſum navigii videris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moveatur, aut cum ſolarium vel deſcriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarare horas arte, non caſu: mundum autem, qui et has ipſas arteis, et earum artifices, et cuncta complectatur, conſilii et rationis eſſe expertem putare, at vero quis ſapiens tabulae pictae, ſolarii, navigii auctorem aut gubernatorem cum ipſa tabula, ſolario, navigio confunderet? nonne talis riſu et cachinnis ab omnibus exciperetur? egregie ſane atomorum fortuitus concurſus, tanquam mundi cauſa, ſic refellitur, *hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae, vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna.* Quis autem ſanae mentis librum cum auctore, annales Ennii cum ipſo Ennio confunderet? quis non ad haec diceret, ejusdem auctoris uſus verbis? *Nec vero vulgi atque imperitorum inſcitiam deſpicere poſſum, cum ea conſidero, quae dicuntur a ſtoicis. Sunt enim illa imperitorum. Piſcem Syri venerantur. Omne fere genus beſtiarum Aegyptii conſecraverunt. —— Haec igitur indocti. Quid vos philoſophi? qui meliora?* Non tamen diffitendum eſt, nonnullos veteres Philoſophos rectius de Deo ſenſiſſe, Cicero *Tuscul. Quaeſt.* l. I. dicit, *nec vero Deus ipſe alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quaedam, et libera, ſegre-*

M. formarent ideas. Judaeos hujus rei respectu gentibus non meliores fuisse omnis eorum clamat historia. Cui indoli multa, ad externum cultus publici splendorem et pompam pertinentia, tribuenda sunt, a Deo vel indulta vel mandata praeter alias rationes, quo facilius in officio continerentur, et lubenter ab idolorum cultu, externo splendore oculos feriente, abstinerent. (*b*) II. Secun-

gregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. Porro ibid. docet Deum Invisibilem ex operibus agnosci, eodem modo ut mens humana agnoscitur, et in *Timaeo* PLATO, *vim et majestatem Dei tantam esse, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam ejus et inaestimabilem potestatem*, verba sunt LACTANTII l. l. *de falsa Relig.* cap. VIII.

(*b*) Ex hoc fonte plerique ritus et ceremoniae in cultu Divino, a Deo ipso instituto, profluxerunt, quibus Numen supremum, optimus hominum pater, ad humani ingenii imbecillitatem se accommodavit, ut eo facilius mortales cogitatione ad res Divinas adscenderent. Valde vero dolendum, multos tam veteris quam novae oeconomiae tempore, hac coelestis patris bonitate abusos, in hoc religionis externo cortice haesisse, nec ad nucleum penetrasse, saepe licet a prophetis aliisque religionis doctoribus propterea reprehensos. Quod si Christiani semper alte animis infixum habuissent, tot infelices lites de ritibus externis, rebusque indifferentibus, ortae non fuissent, aut tanto fervore agitatae, nec rationalem et spiritualem Numinis cultum tot humani ingenii inventis

cundam rationem quaero in *insano illo studio communem et dominantem morem sequendi*, quod semper homines transversos rapuit. Videbant *Israëlitae* omnes mundi gentes communi consensu idola colere; etiam gentes prae caeteris potentia et sapientia excellentes, omnique scientiarum genere excultas et politas. Qualis erat v. gr. gens *Aegyptiaca*, in cujus ditione diu commerati, cujus moribus, ut vel ex vitulo aureo, brevi post exitum ex *Aegypto* facto et culto, clarissime liquet, adsueti erant, cujus sapientiae fama universum pervaserat terrarum orbem. Contra ipsi a reliquis gentibus ob cultum unius Dei, tanquam stolidi et impii contemnebantur; quem contemtum aequo ferre non poterant animo, hoc ergo stimulo ad idolorum cultum excitabantur. Quod nemini mirum videbitur, qui unquam illam hominum inclinationem, qua feruntur ad dominantem consuetudinem, maxime gentium politarum et sapientiae laude florentium, imitandam, recte ad animum revocaverit. Experimur hodieque ejus vim in rebus levioris momenti; hinc illud se ad *Gallicae* gentis morem in vestitu corporisque ornatu compo-

tis commaculassent, ejusque veram sanctitatem et libertatem temerassent. Quam periculosa haec sit superstitio discamus ex CALVINO *instit.* l. III. cap. XIX. §. 7. Eadem humani ingenii imbecillitas multis S Scriptorum phrasibus occasionem praebuit; uti cum Deo humana membra, et affectus, tribuuntur.

ponendi insanabile cacoëthes. Ex eodem fonte ortum est regii imperii desiderium 1 *Sam.* VIII. 5. praeterea observabant Judaei gentes, earumque regna non minus, imo saepe magis, florere, quam se; propterea putabant earum religionem meliorem esse, hac enim ratione veteres ratiocinari solebant. III. Gentes vicinae omnes Idololatricae erant, ut ut leges divinae ab omni familiariore cum iis commercio Israëlitas absterrerent, non tamen satis sollicite sibi cavebant. Maximae illecebrae erant in gentium harum virginibus, formae pulchritudine spectabilibus et eminentibus, quae ad suorum numinum cultum pelliciebant, quod probe perspexit Bileamus, cujus consilio per mulieres *Midianiticas* ad Idololatricum cultum alliciebantur *Hebraei Num.* XXXI: 16. Magno quoque suo malo id expertus est Salomo, regum ille sapientissimus. Nunquam Achabus eo processisset impietatis, nisi Isabelem habuisset uxorem.

IV. Saepe *Hebraeorum* reges ob rationes politicas arctiore se se foedere cum exteris conjungebant, eorumque amicitiam et affinitatem quaerebant, tanquam regni sui firmamentum. Inde studium regibus his foederatis per omnia placendi et se ad illorum mores in rebus civilibus et sacris componendi; ad regis vero exemplum ut plurimum componuntur subditi.

§. IV. V. Quintam denique rationem suppeditat ipsa cultus Idololatrici indoles, verae Religioni opposita, ita comparata, ut hominibus carni et voluptatibus

luptati deditis non posſit non placere ob multitudinem rituum, ſaepe jucundorum et libidinoſorum, (c) ob pompae ſplendorem, criminumque licentiam; quod poſterius etiam ritus per ſe tristes, ingratos et crudeles, jucundisſimos reddit. Quid horribilius ſaevo illo ritu excogitari potest, quo *Molochi* numen colebatur, in cujus honorem filii maxime primogeniti, carisſima pignora, comburebantur. Statua erigebatur aenea humanae figurae, *εκτετακὼς τὰς χεῖρας ὑπτίας ἐγκεκλιμένας ἐπὶ τὴν γῆν, ὥστε τὸν ἐπιτεθέντα τῶν παίδων ἀποκυλίεσθαι, καὶ πίπτειν εἴς τι χάσμα πλῆρες πυρός*, *manus ſupinas extendens, ita ad terram inclinatas, ut impoſitus illis puer devolveretur, et in voraginem ignis plenam rueret.* Verba ſunt DIODORI SICULI *Bibl.* L. XX. p. 416. *locus illuſtris*, inquit WESSELINGIUS, *et ab eorum nemine, qui nefandum Molechi cultum expoſuerunt, neglectus.* Tanta autem ſuperſtitionis vis est, ut ipſae matres ſine fletu et gemitu adſtarent, dum ipſarum liberi tam horrendo et crudeli modo immolarentur. Παρειςήκει δὲ ἡ μήτερ ἄτεγκτος καὶ ἀςενακτος dicit PLUTARCH. *de ſuperſtit.* (Oper. t. II. p. 171.) Hinc factum, ut nonnulli dicerent, ut ibidem obſervat, *praeſtare nullos esſe Deos, quam qui talia pro-*

(c) Vid. LACTANT. *de falſa Relig.* praecipue *cap.* XX, v. gr. de ludis, qui *Floralia* vocantur apud *Romanos*, et de *Veneris* cultu. Aliis in re nota nunc non utor exemplis.

probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi, et morosi. et p. 169 ubi pravas superstitiosorum de Diis opiniones perstringit, τί σὺ λέγεις; ὁ μὴ νομίζων θεοὺς εἶναι, ἀνόσιός ἐστιν; ὁδὲ τοιούτους νομίζων, οἵους οἱ δεισιδαίμονες, οὐ μακρῷ δόξαις ἀνοσιωτέραις συνέστιν; ἔγωγ' οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ, μήτε γεγονέναι τὸ παράπαν μηδὲ εἶναι πλούταρχον, ἢ λέγειν ὅτι πλούταρχός ἐστιν ἄνθρωπος ἀβέβαιος, εὐμετάβολος, εὐχερὴς πρὸς ὀργὴν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικὸς, μικρόλυπος. ἂν καλῶν ἐπὶ δεῖπνον ἑτέρους, παραλίπῃς ἐκεῖνον ἂν ἀσχολίας σοι γενομένης ἐπὶ θύραις μὴ ἔλθῃς, εἰ μὴ προσείπῃς, διέδεται σου τὸ σῶμα προσφὺς, καὶ συλλαβὼν ἀποτυμπανιεῖ τὸ παιδίον ἢ θηρίον ἔχων τοῖς καρποῖς ἐφήσει, καὶ λυμανεῖται τὴν ὀπώραν. *Quid ais? qui opinatur nullos esse Deos, impius est? qui tales esse credit quales superstitiosi, non longe magis impiis opinionibus tenetur? ego sane malim inter homines de me hunc esse sermonem, nullum omnino esse Plutarchum, quam hoc dici, Plutarchum hominem inconstantem, mutabilem, pronum ad iram, vindictae ob levissimas causas cupidum, ob minima quaeque indignantem: qui si vocandis ad coenam aliis ipsum praetereas, aut occupatione impeditus ad eum non veneris salutatum, mordicus arrepto tibi corpus exedat, aut filium abreptum excarnificet, aut belluam ad hoc educatam frugibus tuis immittat vastetque proventus telluris.* Ex quibus verbis liquet PLUTARCHUM multis nostri quoque aevi hominibus sapientiorem fuisse. Consulantur porro de horrendo Molochi cultu loci S.

Cod.

Cod. *Deut.* XII: 31. 2 *Reg.* XVII: 31. *Ezech.* XX, aliique. (*d*) Nihil ſane illo crudelius excogi-

(*d*) Hac imbuti erant ſuperſtitione Judaei, qui loquentes introducuntur *Mich.* VI: 6, 7, quos propheta ad ſaniorem mentem revocat vs. 8. *indicavit tibi o homo, quid bonum ſit, quid requiſivit Jehova abs te? niſi ut exerceas jus et ames benignitatem, atque modeſte ambules cum Deo tuo.* Hunc eſſe cultum Deo gratum nonnulli ex ſapientioribus gentilium Philoſophis rectius perceperunt, quam hi ſtupidi ingenii Judaei. Quanto melius SENECA? *vultisne vos,* inquit, *Deum cogitare magnum et placidum, et majeſtate leni verendum amicum, et ſemper in proximo? non immolationibus et ſanguine multo colendum: (quae enim ex trucidatione inmerentium voluptas est?) ſed mente pura, bono honeſtoque propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem Saxis extruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus est pectore.* LACTANT. *Divin. inſt.* l. VI. cap. XXV. *cultus Deorum est optimus, idemque caſtisſimus, atque ſanctisſimus, plenisſimusque pietatis, ut eos ſemper pura integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Non enim philoſophi ſolum, verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant* —— *ſuperſtitioſi ſunt apellati:* CICERO *de nat. Deor.* L. II. Ex *cognitione Deorum oritur pietas, cui conjuncta juſtitia est, reliquaeque virtutes: ex quibus vita beata exiſtit*, ibid. Quis non laetetur? tot verae religionis reliquias pasſim in veterum Philoſophorum ſcriptis ſparſas inveniens.

gitari potest, et tamen illa persuasio posse hac ratione peccata expiari, criminumque licentiam acquiri, homines in hanc crudelitatem pronos reddidit; (*e*) imo plerasque antiquas gentes, etiam doctrinae studiis maxime excultas politasque, sua contagione infecit. Cum id de variis gentibus barbaris narrasset LACTANTIUS l. l. *de falsa Religione Cap.* XXI. ita pergit, *sed de barbaris non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit; nostri vero, qui semper mansuetudinis et humanitatis gloriam sibi vindicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur?* Longum quoque victimarum humanarum tam a barbaris quam Graecis et Romanis immolatarum catalogum exhibet CLEMENS *Alexandrinus* in admonitione ad gentes. Collegit quoque talia exempla H. GROTIUS *de verit. Relig. Christ.* l. II. §. XI. Dignum

(*e*) Accescit quaedam voluptas, quam ex tristitia ipsa, et vehementiore illa affectuum commotione, ex adjunctis sermonibus et ritibus, ex pompae splendore, ex constantiae, pietatis, animique fortis et intrepidi, aut amoris in patriam laude, ab omnibus celebrata, percipiebant; praemii quoque spes, atque ignominiae metus, in hac vel altera vita. Quae causae Barbararum nonnullarum gentium feminis tantum addunt animum, ut lubentes se in defunctorum maritorum rogos conjiciant; nec ullo modo moveri possint, ut vitae suae parcant. Quid aliud *Spartanarum* matrum animos duravit, quam vehemens laudis cupido, et ignominiae metus.

num est, quod hic legatur teſtimonium J. CAESARIS de *Gallis* l. VI. *de bello Gallico* cap. XVI. *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus; atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in praeliis periculisque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur*, etc. Majores quoque noſtri ab hoc horrendo et deteſtabili cultu non abhorrebant. Sic enim de iis TACITUS, *de moribus German. cap.* 9. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Ubi ex PROCOPIO et DITMARO obſervat LIPSIUS, eam diritatem etiam inferiori aevo manſisſe. LUCIANUS in lib de *Sacrificiis de Schytis* dicit, ὁ μέν γε ϛκύθης, καὶ πάσας τὰς θυσίας ἀφεὶς, καὶ ἡγησάμενος ταπεινὰς, αὐτοὺς ἀνθρώπους τῇ Ἀρτέμιδι παρίϛησι. Sic ſolent homines corrupti dura et moleſta quaevis in Numinis cultu devorare, modo obligati non ſint ad vitam, vere ſanctam, verae pietatis et virtutis ſtudio deditam. Denique, quid de antichriſtianis dicam? qui in opprobrium humani generis et religionis Chriſtianae immenſam hominum multitudinem ob fidem et religionem trucidarunt, et tanquam victimas mactarunt! quae diritas nunc tandem in hac ſcientiarum luce, quae Principum quoque oculos illuſtrat, Deo ſit laus, cesſat, et in aeternum, ut ſperamus, ceſſabit,

quin cum vera Φιλανθρωπια, conſcientiae libertate, et religionis tolerantia, commutari incipit; quae virtutes in maximum humani generis commodum, et utilitatem ſummam, eo magis florebunt, quo magis genuina Chriſti Religio, e ſolo purisſimo S. librorum fonte hauſta, floreat, et principes vera ſuorum populorum commoda intelligant. Talis erat Idolorum cultus, unus verus autem Deus recte coli non poterat ſine animi, vitae, morumque integritate, puritate, et ſanctitate; ſine virtutis et pietatis exercitio; licentiae, immodicae voluptati, vitiis omnibus inimica erat vera religio; nec crimina ſine vera poenitentia vitaeque emendatione expiari posſe docebat, ab his autem homines corrupti abhorrentes omni tempore religionem quaeſiverunt faciliorem, carni et vitiis blandientem. Alte animis inhaerens peccatorum et pravarum cupiditatum amor facile hominibus perſuaſit, praeceptorum moralium violationem rigido moleſtarum caeremoniarum exercitio expiari posſe. Fuerunt quoque ſemper homines a genuina pietate et virtute alieni, qui tamen ejus ſpeciem prae ſe ferre voluerunt, ut ſanctitatis laudem obtinerent, digito monſtrarentur, auctoritate apud plebem pollerent, atque hac ratione ad opes et honores eniterentur.

§. V. Hoc animi morbo populus *Judaicus* laboravit usque ad exilium *Babylonicum*, ſevere autem caſtigati in exilio juxta Prophetarum oracula ad meliorem mentem redierunt, et reduces ab hoc deteſtando crimine alieni fuerunt. Quod tamen non ita intelligendum, quaſi prorſus ſe eo non

com-

commaculaverint. Conſtat enim tempore ANTIOCHI *Epiphanis* multos ad *Graecorum* religionem defeciſſe, non tantum vi et perſecutionis metu eo adactos, ſed etiam ſponte ſua nonnullos, regi ANTIOCHO auctores fuiſſe, ut Idololatricum cultum publice inter *Judaeos* conſtitueret, patriam vero religionem prorſus aboleret, eosque ad eam deferendam adhibita vi cogeret. Quod ex narratione librorum *Maccabaicorum* et JOSEPHI liquet. Ita res refertur 1 *Maccab.* I: 11, et ſeq. *temporibus illis*, ſc. ANTIOCHI *Epiphanis*, *prodierunt ex Israële homines iniqui, et perſuaſerunt multis, dicendo, eamus et ineamus foedus cum gentibus circumſtantibus nos — qui ſermo cum placuiſſet, alacriter quidam e populo profecti ſunt ad regem, qui dedit illis poteſtatem faciendi ſtatuta gentium. Aedificarunt itaque gymnaſium Hieroſolymae ſecundum leges gentium. et facientes ſibi ipſis praeputia defecerunt a foedere ſancto* etc. 2 *Maccab.* IV: 7, et ſeq. narratur, JASONEM non tantum magna pecunia Pontificatum a rege emiſſe, ſed et centum et quinquaginta talenta argenti ei promiſiſſe, ſi ſibi liceret publica auctoritate *Graecorum* inſtituta civilia et religioſa inter *Judaeos* introducere; quod fecit hoc felici cum ſucceſſu, ut ipſi ſacerdotes divinum cultum, ſecundum MOSIS legem exercendum, contemnerent, et peregrinos ritus praeferrent. JOSEPHUS A. I. XII. c. V. §. I. dicit *Menelaum*, qui JASONI Pontificatum extorquere conabatur, *cnm Tobiae filiis ſe ad Antiochum recepiſſe, ei promiſiſſe ſe velle, relictis patriis legi-*

 bus

bus et institutis, *sequi regia*, *et Graecos mores tenere*. Ibidem §. IV. edicto regio de patria religione deserenda obedivisse Judaeos τοῦς μὲν ἑκοντὶ, τοῦς δὲ καὶ δὶ εὐλάβειαν τῆς ἐπηγγελμένης τιμωρίας, *alios sua sponte*, *alios poenae indictae metu*. Divisa tunc universa natio fuit in *Apostatas* et patriae religionis *Zelotas*, priores *Syros* in persequendis fratribus suis adjuverunt. His vero strenue se opposuerunt *Maccabaei* Principes, sub quorum vexillis omnes pii patriae religionis *Zelotae* militarunt. Quorum conaminibus Deus ita propitius adfuit, ut vera religio de falsa plenissimum reportaverit triumphum. Haec licet ita sint, nunquam tamen post exilium illud idolorum studium adeo fuit universale, ac ante illud, quando universam saepe nationem occupavit Optima populi pars se impiorum conaminibus felici cum successu opposuit, et illico hoc malum ex Republica expulit, adeo ut nunquam redierit. Inde enim ab hoc tempore ad praesens usque tota gens *Judaica* ab Idololatria abhorruit. Ratio autem, ob quam exules et ex exilio reduces ab Idololatria fuerint alieniores, praeter alia in eo quaerenda, quod *Persae* a crassa saltem Idololatria abhorruerint, ut demonstravit TH. HYDE in erudito opere *de Persarum veterum religione*, qui quidem singulari in hanc gentem studio abreptus, modum non tenuisse videtur (*f*), religionem *Persarum Judaicae* tantum

(*f*) Certiora suppeditat CHARDIN *Voyages en Perse*, Tom.

tum non aequiparans, fatendum tamen est fecundum traditionem veterum cultum divinum *Perfarum* illo reliquarum gentium multo fuisfe puriorem, nulla illos *templa*, non *ftatuas* aut *aras* habuisfe, nullos humanae formae, aut ex hominibus natos Deos adorasfe, atque adeo Idololatriam aliarum gentium odisfe, Deum quoque *Perfis* ufum fuisfe miniftris in *Babyloniis* puniendis, et Idololatria hic illic exftirpanda. Quod magni C. VITRINGAE judicium in commentario ad *Jef.* XLV, t. II. p. 495. in *not.* prolatum maxime placet. Non itaque valde mirandum est, *Judaeos* his *Perfis* parentes, permisfu et fub aufpiciis optimi ipforum regis CYRI in patriam reductos, ab Idolorum ftudio alienos fuisfe.

§. VI. Lubet hac occafione locum prophetae *Hofeae* cap. XII: 1. ubi infanum illud *Judaeorum* ftudium, quo in Idola et cultum Idololatricum ferebantur, acriter perftringitur, paucis explicare, dicit ibi propheta ויהודה עד רד עם אל ועם קרושים נאמן, locum hunc, olim interpretibus obfcurum, egregie illuftravit cl. N. G. SCHROEDERUS, vir in hoc literarum genere fummus, praeceptor nofter femper venerandus, in *obfervationibus felectis ad origines Hebraeas cap*, I. §. XI. Olim plurimi verba Hebr. hac ratione vertebant, *Juda adhuc dominatur cum Deo, et cum fanctis fidelis est.*

Tom. 2., pag. 178. feqq. et Tom. 3., pag. 46, edit. *Amftel.* 1735. L.

est. Quam verſionem ibi examinavit, et refutavit, atque demonſtravit Judam hic non laudari, ſed reprehendi; coll cap. V: 5, 10. cap. VI: 4. et hujus cap. XII: 3. *Itaque lis est Jehovae cum Juda; et puniendus est Jacobus ſecundum vias ejus; ſecundum facinora ejus retribuet ei.* Scilicet ex *Arabum* theſauris propriam verbi רוד notionem in lucem protulit, ſitam in *motu reciprocato*, quo quid huc illuc agitatur. Quam diverſis ſ. cod. locis dextre applicuit, eosque in clariſſima collocavit luce. Noſtrum autem locum ſic reddidit, *Etiam Juda adhuc ultro citroque vagatur cum Deo, et cum ſancto fido.* Hac ratione acriter ob crimen perfidioſae levitatis et inconſtantiae in obſervandis officiis religionis et virtutis perſtringitur. Quam membri prioris verſionem ambabus ulnis amplectimur, ſed voces ſequentes ועם קדושים נאמן vertit *et cum Sancto Fido. In eo errarunt*, inquit, quod נאמן ad *Judam* retulerint — cum ad proxime praecedens קדושים referri debuisſet, quod nunc non *homines* notat *ſanctos*, ſed *ſanctisſimum Numen* De quo dubitare liceat; ut nobis videtur, ſunt duae propoſitiones parallelae, quibus poetae et prophetae orientales valde delectantur. Sic de *Israële* duae propoſitiones, membra duo, praecedunt. *Ephraim cinxit me perfidia, et fraude* ſc. *cinxit me*, (quod verbum ibi per ellipſin ſubintelligitur) *domus Israëlis;* ita hic quoque duo membra parallela adesſe videntur. Quod ſenſit quoque cl. MANGERUS in erudito ad *Hoſeam commentario. Quando*, inquit, *praeterea*

co-

cogito, ultima haec verba ועם קדושים נאמן *aliud constituere hemistichium, cujus ratio postulet, ut verbum adsit, quod sententiam claudat simul et impleat, dissimulare non possum, minus firmum et plenum illud videri, si sic desinat, et cum sancto fido.* Is itaque aliam ingressus viam, hanc uuiversi loci dedit versionem,

Ephraimitae cinxerunt me perfidia, Et domus Israëlis fraudulentia; quando adhuc Juda commeabat cum Deo, Et cum sanctissimo Numine fidelis erat.

Pertinent itaque haec ad tempus praeteritum, atque significatur, *Israëlem*, regnum X tribuum, jam tum perfide a Deo defecisse, quando regnum *Judae* adhuc perstabat in avita religione, et puriori veri Dei cultu. De *Juda* itaque dicta in bonam partem accipit. Valde dubitamus, an phrasis nostra hunc sensum admittat, aliud est *cum Deo ambulare*, aliud *cum Deo ultro citroque discurrere et vagari.* verb. רוד Arab. راد de eo usurpatur, qui ultro citroque commeat, quia nullibi fixam habet mansionem; qui non contentus eo, quod habet, aliud quaerit, et propterea huc illuc vagatur, de animalibus ferocibus, jugi impatientibus, libero discursu pastuque se oblectantibus. Quomodo etiam capiendum *Jer.* II: 31. *Quare dicit populus meus:* רדנו *libere discurrimus, non veniemus amplius ad te?* uti liquet ex iis, quae cl. SCHROEDERUS l. c. in medium protulit, nec obstat praepositio עם *cum*, in phrasi *cum Deo huc illuc vagari*, cum potius, si haec prophetae mens

 sit,

ſit, dicere debuisſet *a Deo*; ut reddidit cl. DATHIUS, locum ſic exprimens, *vagi aberrant a Deo, a ſancto illo fido et conſtanti*; ut mox apparebit. Sed nolim de his disputare, relinquo interpretationibus hisce ſuum pretium integrum. Tantum pace doctisſimorum virorum liceat meam conjecturam addere, ſuſpicor illud נאמן in membro ſecundo corruptum et veram antiquam lectionem esſe נמר in *Niph.* verbi מור, aut ימור in *Kal*, vel נאמר in *Niph.* verbi אמר. Cujus verbi מור propr. notio est in *motu reciprocato*, *quo quid huc illuc fertur*, ut quum vento agitatur; hinc oritur notio *fluctuationis*, *et fluctuantis vicisſitudinis*, qua res ab uno domino ad alium quaſi fluctuat. Sic apud *Micham* cap. II. 4. חלק עמי ימיר, *posſesſio populi mei fluctuat*, *ab uno domino ad alium identidem devolvitur et transfertur*, uti prolixe demonſtravit *cl.* SCHEIDIUS in *disſert.* in *Cantic. Hiskiae* p. 158. et ſeq. vel, ut convenientia adhuc major ſit cum lectione recepta, legendum est נאמר, nempe verb. אמר origine ſua vix diſcrepat a ימר et מור, ut idem vir doctus obſervat p. 169; unde oritur אמיר *ramusculus* arboris *tenerior*, qualis huc illuc *undante motu* agitari ſolet. Et امر *vir conſilii incerti et fluctuantis*, ipſa vulgatisſima *dicendi* notio derivari potest a *leni verborum fluxu*, ut in Gr. ῥέω. Quae conjectura haud parum confirmatur ex verſione *Alexandrina*, ubi habetur, καὶ ὁ χαὸς ἅγιος κεκλησεται, vel κληθήσεται, ſcilicet hi interpretes pro עם legerunt עם uti etiam *Syrus* et pro נאמן נאמר quae lectio נאמר vel

vel נמור genuina videtur, maxime prior tanquam talis arridet, ab *Alexandrinis* in suo Codice lecta sed non intellecta. Quibus concessis, oriuntur duo membra parallela, *et Juda adhuc ultro citroque vagatur cum Deo, et cum sancto fluctuat*, aut *fluctuante motu agitatur*. Quod in membro priore dicitur *cum Deo vagari*, idem in altero cum Deo *sancto fluctuare*. Depingitur his phrasibus eleganter et vivis coloribus insanum illud Judaeorum studium, quo identidem in peregrina et alia ferebantur numina, modo in haec modo in illa, quae cum Deo vero conjungere volebant, non palam et aperte a Jehova deficientes, sed cultum fictitiorum numinum, modo horum, modo illorum, ei admiscentes; et haec quidem videtur vera ratio particulae עם *cum*, propterea dicuntur *vagari cum Deo*, *et fluctuare cum Deo sancto*. (g) Quam conjecturam lubens doctissimorum virorum SCHROEDERI inprimis, Judicio permitto, insano studio et impetu, instar animalium jugi impatientium, in fictitia ferebantur numina, nec ullo modo se coërceri patiebantur, non tamen ullibi fixam inveniebant mansionem, nulli constanter adhaerebant. At vero verbo *Arab.* رود in IV. a GOLIO tribuitur notio *leniter commodeque incedendi*; unde transfertur ad *lenem* commodam et *benignam* fortunam V. gr.

(g) Noster ipsam hanc interpretationem ulterius vindicare conatus est in *Observat.* ad *Hoseae*, *Amosi* et *Joelis selecta loca*, suo loco inferendis. L.

gr. in poëmate *Ibn Doreidi* vs. 19. in edit. SCHEIDII

يا دهر ان لم تك عتبي فاتئد فان اروادك
والعتبي سوا

Heus fortuna, si nulla fiet reconciliatio, saltem benignius me tracta, nam sive mitigaveris tuam saevitiem, sive in gratiam mecum redieris, id equidem perinde est. Qui usus deductus est ab incessu leni et lento pecorum pascentium, et in pascuo oberrantium, manet itaque illa *vagandi* idea, quam locus noster requirere videtur.

HER-

HERMANNI VENEMAE

Praelectiones ad

OBADIAM.

§. I. De עובדיה vix aliud quid constat; ac quod *nomen* exhibet. Eo enim, quod *cultorem* vel *servum* Dei denotat, ipse tanquam insignis Dei cultor ob oculos ponitur, sive boni ominis causas a parentibus illud retulerit, sive ab insigni pietate et familiari cum Deo commercio illud ipsi adhaeserit. Ceterum nomen non fuit ignotum in populo Dei. Tempore ACHABI fuit aliquis HOBADJAHU, praefectus domui ejus, qui ab insigni pietate celebratur, 1 *Reg.* XVIII. 3. Sub JOSIA alius, eo nomine insignitus occurrit 2 *Chron.* XXXIV: 12. sic et inter reduces ex *Babele* 1 *Chron.* IX: 16. *Neh.* XI: 17. Sed nemo illorum *propheta* aut *videns* appellatur; nusquam aliquis ex prophetis eo nomine insignitus occurrit. Quare inutilem navant operam, qui eum cum aliquo memoratorum comparaverint: aliqui etiam *parachronismum* committunt, ut Judaei, qui OBADIAM ACHABI esse volunt, cum sine dubio longe *recentioris* sit aevi, ut mox patebit. Sufficit, eum fuisse *prophetam*, ut ex hac ipsa concione liquet, de cujus *veritate* nul-

nulla est dubitandi ratio, cum in *canone* occurrat, et cum JEREMIA et EZECHIELE perfecte conveniat, vid. *Jer.* XLIX: 7. ubi primi 8. verſus nostri *verbotenus* fere occurrunt, et *Ezech.* XXXV.

§. II. Objectum Concionis est *Edom*, de quo quae ad *Amoſ.* I. et in *Hiſt. Eccleſ.* dixi, conferenda ſunt: quare ad *Tempus*, quo vixit et hanc edidit concionem, mox pergo. Cum temporis nulla injiciatur mentio, adeoque de eo ex argumento concionis ſit judicandum, interpretes in diverſa abire mirum non est. Hebraei fere omnes, ſi ab ABENEZRA discesſeris, nostrum cum OBADIA ACHABI confundentes, ad illa tempora eum referunt; ſed leve nimis et ficulneum est fundamentum, ut jam ſupra obſervavi, nec cum argumento prophetiae, de quo mox, illud conſiſtere potest, cui et reliquae opiniones adverſantur, quibus prophetae ante JEREMIAE tempora floruisſe cenſetur. Hebraeorum, tempore HIERONYMI, ut ipſe alibi affirmat, habebat regula, prophetam cujus tempus non annotatur, aequalem esſe ejus, qui proxime praecesſit; ſecundum quem canonem ſub JEROBOAMO floruisſet, quod certius non est ſundamentum, ac modo refutavi. Committunt praeterea Judaei, qui et hanc asſumunt opinionem, parachronismum, cum OBADIAM, ſub ACHABO vixisſe, et ſub JEROBOAMO II. prophetasſe volunt; ut ex ſuccesſionibus regum Israëlis cuique patet. Obſtat praeterea quod *Edomitae* cum extraneis *Judaeis* dicuntur ſpoliasſe,

Hie-

Hierosolymam expugnasse, et Judaeos captivos abduxisse vs. 11. LIGTFOOTUS, qui eandem fovet opinionem, *Chron. V. T.* p. 96, id factum esse censet, vel quando urbs direpta est per SISAKUM 1 *Reg.* XIV: 25. vel per *Philistaeos* et *Arabas* 2 *Chron* XXI: 16. vel per JOASUM regem Israël. 2 *Chron.* XXV: 21. sed ultimus ille casus huc plane non quadrat, cum *alienigenae* hic dicuntur hostes, qui *Hierosolymam* invaserunt; nullus etiam eorum casuum est, qui emphasin vocum apud OBADJAM praestat, cum hic ejusmodi occupatio *Hieros.* intelligatur, quae cum plenaria populi destructione proxime foret conjuncta, ut mox patebit: ne nunc dicam *Idumaeos* inter eos hostes non numerari locis citatis (*a*).

§. III.

(*a*) De OBADIA, sermonis hujus prophetici argumento, totaque hac concione ex recentioribus in primis consulendus et cum hoc commentario conferendus est CH. F. SCHNURRERUS in elegantissima dissertatione XIII. in collectione dissertationum ejus, modo ad animum revocetur, auctorem nostrum jam XL, aut pluribus, annis ante hanc commentationem conscripsisse, J. H. VERSCHUIR. [Conferri quoque merentur PET. ABRESCH, v. c. specimen in *Obad.* vs. 1 — 8, quod juvenis scripsit et publice defendit praeside SEB. RAVIO, v. c. *Traject. ad Rhen.* 1757, et JOH. BERNH. KÖHLERS *Observat. ad loca quaedam Obad.* germanica lingua exaratae, atque insertae in *Repertorio für bibl. und Orient. Litterat.* T. 15, pag. 251 — 64. Prostant alia quaedam scripta, quibus uti mihi non contigit. L.]

III. Paulo rectius illi inſtituunt, qui nostrum ad idem tempus, quo ſuperiores prophetae floruerunt, referentes, eum tamen post *Jerob.* II. tempora fuisſe, et mox post *Syrorum* et *Israëlitarum* invaſiones in *Judaeam* tempore Achazi, vaticinatum esſe volunt; quia et eo tempore, quo Retsin et Pekach. Hieroſ. petebant, et *ſuper ea Sortem projiciebant*, *Idumaei* quoque dicuntur irrupisſe in Judaeos, et multos abduxisſe captivos 2 *Chron.* XXVIII: 17. quo respici cenſent Obadj. 11. ita post ill. Grotium Huetius et cl. Vitringa *typ. doctr. Proph.* p. 35. nec non novisſime Clericus (*b*). Sed quo minus in hanc ſententiam deſcendam, obſtat 1. quod *Hieroſolyma* tunc temporis non fuerit *capta*, ut hic vs. 11. videtur innui. 2. quod omnes non fuerint *extranei*, qui eo tempore Judaeos infeſtarunt; *Israëlitae* enim et *Syri* junctis id fecerunt viribus. 3. quod alia ſuadeant argumenta, aetatem prophetae *ſerius* esſe collocandam, quae nunc proferam.

§. IV. Obadiam hanc concionem habuisſe post deſtructam *Hieroſolymam* a *Chaldaeis*, adeoque ad Jeremiae et Ezechielis tempora esſe referendum, multi post Calvinum ſtatuunt, inter quos etiam Drusius noster, cum quod inter nostrum et *Jer.* XLIX. perfectus ſit con-

(*b*) Hanc ſententiam ulterius probare conatus est cl. Abresch l. c. pag. 3 et 4. L.

consensus, etiam quod ad ipsa verba et phrases; tum quod pericopa vs. 11—14. quae crimina *Edomi* in Jud. complectitur, ad ultimam *Hieros.* destructionem omnino respiciat, ut suo loco plenius probabitur. Objicit quidem LIGTFOOTUS l. c. 1. quod istiusmodi prophetae nulla eo tempore fiat mentio, sed ex *silentio* scriptorum praesertim ubi tanto laboramus defectu, nihil colligitur. 2. quod captivitatis in *Sarepta Sidonis* et *Sepharado Edomi*, ut ille, tantum fiat mentio, non ejus in *Assyria* et *Chaldaea* vs. 20, sed cum incertus sit *Sepharadi* situs, et ipsa illa LIGTFOOTI interpretatio valde laboret, ut suo loco videbimus, nec ea multum movemur. *Sarepta* enim et *Sepharada* hic pro terminis haereditatis a reducibus recuperandae, et non pro locis *exilii* videntur sumi.

§. V. Quid itaque hic statuendum erit? 1. Probabile mihi videtur hanc concionem esse ea Jer. XLIX. de Edomo *posteriorem* (*b**), adeoque post

(*b**) Contra existimat SCHNURRERUS Sermonem JEREMIAE eo OBADIAE esse posreriorem, atque JEREMIAM imitatum esse OBADIAM p. 427. Eadem quoque est EICHHORNII sententia. Res sane dubia est, de qua in utramque partem probabiliter disputari potest. Mihi tamen magis arridet auctoris nostri conjectura. OBADIAE concio ea JEREMIAE posterior videtur ob has maxime rationes. 1. Quia JEREMIAS dicit in sing. שמעתי, OBADIAS in plur. שמענו, ut significaret non tantum se, verum et JEREMIAM audivisse.

2.

post 4tum JOJAKIMI quo illa JEREMIAE edita est, et exilii *Babylonici* tempore jam currente.

Cum

2. praecipue quia OBADIAE de *Idumaeis* vaticinium varia JEREMIAE praedoctioni addit. Multis verbis exhibet causam ruinae Reipublicae *Idumaeae*, quaerendam in atrocissimis injuriis, qua *Judaeos* affecerunt, iisque tempore calamitatis et excidii illuserunt, vs. 10, 11, 12, 13, 14, 15. et accuratius et clarius docet *Idumaeorum* gentem ab ipsis illis *Judaeis*, quos adeo ludibrio habuerunt, contumeliose et crudeliter tractarunt, tandem plane esse subigendam et abolendam. Canit *Judaeorum* libertatem, felicitatem, et *Maccabaeorum* victorias atque triumphos, de *Idumaeis* reportandas. De quibus parum, aut nihil dixerat JEREMIAS. Scripsisse nobis videtur post *Hierosolymam* destructam; in quo ab auctore nostro discedimus: vs. 12—14. non dehortatur de crimine committendo, sed reprehendit jam commissum, ut mox docetur. JEREMIAE sermonem coram oculis habens, inde flores varias decerpsit, colores mutuatus est, sed reddidit illos ornatiores, carmenque composuit sublime, illo JEREMIAE elegantius; et varia addidit quae JEREMIAS vix attigerat, aut silentio presserat, alia ab illo exposita omisit. Supplevit itaque illius divinationem, atque ultima gentis *Idumaeae* fata, leviter tantum a JEREMIA tacta, clare et fuse exposuit. *Principes Maccabaeos*, מושיעים titulo insignitos, tanquam *Idumaeorum* caeterorumque hostium victores in scenam produxit. Felicitatem denique et florem Reipublicae *Judaicae* in *Regno Jehovae*, sive Theocratica regiminis forma, nunc egregie instaurata, exhibuit, de quibus altum apud JERE-

Cum enim nimius inter duas hasce pericopas, JEREMIAE et OBADJAE, sit consensus, quam ut alia non foret ex alia desumta, eam JEREMIAE prae-

REMIAM est silentium. Quas ob causas vix dubitandum videtur, quin OBADIAE divinatio illa JEREMIAE sit posterior. Hic praedixerat ipsius terrae *Idumaeorum* vastationem a *Babyloniis* faciendam, plenam et perennem, urbibus arcibus et pagis ita desolatis, agrisque perditis, et instaurandi conaminibus etiam CYRI tempore irritis, ut coacti fuerint a iis quaerere sedes in australibus *Judaeae* partibus. Ille vero addidit, in his novis sedibus illos non fore prius tutos, quam distincta eorum Republica et Religione deleta *Judaicae* insererentur. Quae omnia gentis hujus fata jam ante multa secula paucissimis complexus fuerat verbis BILEAMUS *Num.* XXIV: 17—20. ut nos in *Dissert.* nostra *de loco illo* docuimus; eadem fusius cecinit OBADIAS, quae nunc praelucente historiae face extra omnem dubitationis aleam collocata sunt. J. H. VERSCHUIR. (Contrariam sententiam recentiorum haud pauci secuti sunt, ut KÖHLER l. c. JAHN *Einleit. in die Göttl. Bücher des A. B.*, vol. 2, pag. 517, alii. Forte inutilis est tota haec disputatio; scilicet, ordine admodum turbato OBADIAE carmen legitur in JEREMIAE libro, quin omnis JEREMIAE oratio haud apto procedere videtur ordine. Suspicari ergo posset hujus in *Edomitas* vaticinium contineri versibus 13, 17; 18, 19, 20, 21, 22; ceteros vero ab OBADIA mutuatos, primo ad marginem fuisse adscriptos, ac dein in JEREMIAE textum irrepsisse. L.]

praecessisse existimo, quia ea priorem concionis tantum *partem* facit apud OBADJAM, cui mox alia adduntur, quae apud JEREMIAM non exstant; videtur itaque OBADJA eam pericopam fundamenti loco substratam praemisisse; et ei adjunxisse causas excidii *Edomi*, et *Idumaeorum* subjectionem Judaeis. Quo etiam facit quod, cum JEREMIAS *audivi auditionem*, OBADJA dicat *audivimus* in plur. (b). Nec tamen post destructam *Hierosol.* hanc concionem collocarem, quia de ultimo illo excidio tanquam adhuc futuro agitur, vs. 22—14. qua pericopa *Edomitae* admonentur, ne Judaeis eo tempore insultent, et eorum miserias augeant; phrases enim *ne videas*, *ne venias*, *ne os aperias* etc. non nisi de futuro intelligi possunt. Accedit, vs. 20. haud obscure innui, partem tantum populi, nondum totum populum *in exilio versari*. (c). Tempore itaque intermedio inter 4tum JOJAKIMI, seu initium exilii *Babylonici* et destructionem *Hierosolymae*, concionem esse editam censerem, in specie mox post JECHONIAM abductum, cum totalis destructio prope ante fores erat. Illo enim tempore Judaei aliquid de *calice* irae Domini jam *biberant*, et mox *ebiberent* reliqua, ut vs. 6. indicatur; et eo tempore *Hierosolyma* ab extraneis, est capta et spoliata, quibus in specie accensentur *Moabitae*, *Ammonitae* etc. 2 *Reg* XXIV: 2. quo respicitur vs. 11. de illa enim spoliatione, ut praeterita, loquitur propheta.

§. VI. Scilicet, si conjecturae venia detur, cum Legati *Idumaeorum*, *Moabitarum* et *Ammonitarum*

in

in initio regni ZEDECIAE *Hierosolymam* venissent, ut sub specie amicitiae, et simulatione opis ZEDECIAE ferendae, ipsum ad defectionem a *Chaldaeis* sollicitarent; et JEREMIAS jussu Dei vectes et vincula secum ferenda in signum subjectionis non diu post futurae, tradidisset, ut habetur *Jer.* XXVII. videntur simul legati ad illas Gentes nomine Dei missi, qui praedictiones JEREMIAE de instante oppressione et subjectione eorum populorum confirmarent, et inter eos vulgarent, ad emblematica illa vincula explicanda, quemadmodum *Babelem* sua vaticinia contra eam deferenda tradidit JEREMIAS SERAIAE etc. *Jer.* LI: 5, 9. et JONAS missus est ad *Ninevitas*. Quorum unus mihi videtur fuisse OBADIAS, eo fini ad *Idumaeos* cum prophetia JEREMIAE missus, ut simul eos a violentia *Judaeis* tempore calamitatis inferenda absterreret, et nisi obtemperarent graviorem destructionem interminaretur, futuramque eorum subjectionem *Judaeis*, annunciaret. Hinc elucet, quare JEREMIAE prophetia de *Edomo* ipsis fere verbis principium hujus concionis faciat, et quis *finis* ac *scopus* sit hujus prophetiae: *Edomum dehortari* ab insultandis *Judaeis*, argumentis petitis cum a simili judicio, quod eos manebat, tum a futura *Judaeorum* liberatione, et eorum subjugatione a *Judaeis* post exilium *Babylonicum*: qua in unum cum *Judaeis* corpus coalescerent, et eandem religionem profiterentur.

§. VII. Cum propheta verbis JEREMIAE inter *Idumaeos* evulgasset, eorum *superbiam* esse

deprimendam, eosque, non obſtante ſumma eorum ſecuritate, in munitis locis viribusque ſuis fundata, totaliter delendos, absque ut de rep. et populo aliquid ſuperesſet: eam interminationem ipſe mox nomine Dei confirmat, et praeterea cauſam ab odio eorum in *Judaeos*, et vexatione ipſis illata, repetendam adjungit; quo facto eos a ſimilibus facinoribus dehortatur, ſibique a *Judaeis* inſultandis tempore ſummae ipſorum calamitatis, quae mox inſtaret, caveant, ſerio eos admonet, argumento movente petito partim a ſimili judicio, quod ipſos cum reliquis populis vicinis maneat, partim a Judaeorum liberatione futura, et prosperitate conſecutura, qua ſuas non tantum posſesſiones recuperarent, ſed et eas *Edomi* reliquarumque gentium vicinarum ſimul occuparent, imo ipſos *Idumaeos* abſorberent, et in unam ſocietatem ſibi ſubjicerent, quando *Jehovae* regnum in monte *Tſionis* manifeſtaretur. Paradoxum est THEODORET. ad *Dan.* in *praef.* p. 544. dicere, OBADIAM mala tantum quae *Judaeos* invaderent, praedicere. Sed pro Ιουδαιους leg. est Ιδουμαιους. Quod mirum est, non fuisſe obſervatum.

§. VIII. *Scopus* concionis, qua *Edomo* ſeverisſimum Dei judicium ſolenni legatione prophetae ad eos annunciatur, partim mihi esſe videtur, ipſis omnem rationem *Judaeorum* calamitatibus inſultandi eripere, cum et ipſi eandem non tantum, ſed et graviorem ſortem ſubirent, et *Judaei* ſuo tempore inſtaurarentur, partim *rationes* et *cauſas* calamitatum, quae ipſis infligerentur, enarrare, eosque ab il-

illa ſuperbia et inſultatione *Judaeorum* tempore calamitatis ipſorum inſtantis, dehortari, quia graviſſime ob id punirentur, et ipſis *Judaeis* ſedibus ſuis restitutis, ſuo tempore ſubjicerentur et inſererentur.

§. IX. In *duas* generales *partes* ſeſe commode dividi patitur concio; quarum prior est *interminatoria*, posterior *dehortatoria*, utraque *rationibus* munita. Prior ſummam *Idumaeorum* calamitatem, a Deo ipſis propter ſuperbiam et infestationem *Judaeorum* decretam, complectitur. vs. 1 — 11. Posteriore parte deterret eos propheta a *Judaeis* inſultandis, quia gravius ſubibunt judicium, et *Judaeis* inſtauratis ipſi ſubjicientur. vs. 12. — fin. In *priore* parte א. judicium deſtructionis verbis JEREMIAE ipſis annunciatur vs. 1 — 7. ב. a propheta confirmatur vs. 8, 9. ג. Justificatur a criminibus *Edomi* in *Judaeos* patratis. vs. 10, 11. *Posteriore* parte א. ipſos a ſimilibus criminibus tempore calamitatis *Judaeorum* inſtantis dehortatur vs. 12 — 14. ב. Rationes moventes deſumit *α*. a ſimili et graviore judicio, quod ipſos cum aliis vicinis manebat. vs. 15, 16. *β*. a *Judaeorum* inſtauratioue, et amplificatione, ita ut ipſi *Idumaei* ipſis ſint ſubjiciendi et inſerendi vs. 17.

Anacriſis.

§. X. Quatuor fere ſunt diverſae Interpretum hypotheſes hanc prophetiam explicandi et applicandi. 1. Sunt, qui *judicium* in *Edomum* a SE-

NACHERIBO volunt impletum, et Judaeorum instaurationem partim ad tempora HIZKIAE, partim ad *Maccabaica* referunt, ita GROTIUS et ex ipso CLERICUS. 2. Potisfima Christianorum pars post reformationem judicium per NEBUCADNEZ. censent executioni esse mandatum et reliquam prophetiae partem, quae de florente Judaeorum statu ac Idumaeorum subjugatione agit, de reducibus ex *Babyl.* exilio intelligunt, praecipue temporibus *Maccabaicis*. 3. cl. COCCEJUS, quos recentiores passim sequuntur, per *Edomum* partim *Judaeos* intelligit, partim Anti-Christianos, et *judicium* Dei in *Judaeos* ad eorum destructionem per Romanos refert; *haereditates* a *Jacobo* possidendas, de Christiana Ecclesia inter gentes propaganda interpretatur, et quae de *exulibus* habentur, ad *Judaeorum* ultimam conversionem, transfert; quando ultima erit regni Dei manifestatio, de qua vs. 21. A qua hypothesi parum aut nihil abit cl. TILLIUS, nisi quod per *Edomum* in priore parte, quam ipse ad vs 16. extendit, proprie dictos intelligat *Idumaeos*, sed spectandos sub fine reip. Judaicae, quando eorum princeps HERODES M. *Ethnarchiam* et regnum *Jud.* accepit; et simul *Judaeorum* partem pervicacem ut ad *Idumaeos* accedentem includi. *Posteriorem* partem a vs. 17. ad *Judaeorum* restitutionem ultimo Ecclesiae N. tempore refert. Praeiverat jam aliqua ratione HIERONYMUS in juvenilibus suis cogitatis, ut ipse ait in *praef.*, *Edom* ipsi partim *Judaei* sunt, partim *haeretici*. 4. Longe aliter sentiunt Judaeo-

rum

rum Interpretes, licet in eo conveniant, quod *Edomum*, mystice interpretentur; intelligunt enim *Romanos*, eorumque destructionem et subjectionem *Judaeis* tempore Messiae, cujus interpretationis HIERONYMUS jam meminit; *Edom* enim *Judaeis* passim est *Romanum* imperium: de quo mox plura.

§. XI. *Prima* nostra fert hypothesis, ut per partes procedam, nomina *Edomi* et *Jacobi* hic proprie esse sumenda, et *illos* iis hic indicari, qui apud homines illius temporis illis nominibus *noti* erant, adeoque proprie dictos *Esavi* et *Jacobi* posteros. Rationes sunt sequentes. a. A proprio *nominum* usu sine urgente ratione discedere non licet, quae hic nulla est, cum quod nullum hic reperiatur *criterium* ex quo, *Judaeos* vel Romanos per *Esavitas* esse intelligendos, et Christianos per *Jacobum*, pateat, nulla nota characterizans, tum in *Idumaeis* proprie dictis, haec omnia per NEBUCADNEZAREM et *Maccabaeos* impleta sint, tum denique de *Idumaeis* similes prophetiae exstent, quae non nisi litteraliter intelligi possunt, ut apud EZECHIELEM et JEREMIAM et MAL., accedit nostram prophetiam ex ea JEREMIAE esse desumtam, adeoque ex ea explicandam JEREMIAM autem ad eorum destructionem per NEBUCADNEZAREM respicere, ex cap. XXV. XXIX. et aliis locis adeo est manifestum, ut in dubium vocari nequeat.

§. XII. b. Multa sunt, quae impediunt, quo minus per *Edomum* vel *Judaeos* vel *Romanos* in-

telligamus. 1. *Judaeos*, etsi ESAVI mores et indolem expresserint odio suo in Christianos, veram et mysticam JACOBI progeniem, multisque modis ESAVI sese praestiterint similes, ita ut ESAVUS et JACOBUS aeque ac ISMAËL et ISAACUS emblemata *Judaeorum* carnalium et Christianorum ex Judaeis esse potuerint, hic tamen eo conspectu non venire, adeoque per *Edomum* intelligi non posse, sequentes rationes evincunt. α. Quia mysticus hicce significatus captum Judaeorum hujus temporis prorsus superabat, adeoque a nemine sine speciali revelatione intelligi poterat oratio prophetae, eo sensu intellecta. Hoc tempore, quo *Israëlitae* et *Esavitae* proprie dicti florebant, nomina illa aliter sumi non poterant, ac de ipsis illis populis etc. β. Crimina, quae *Esavitis* hic imputantur, in *Jacobitas* commissa, neutiquam conveniunt *Judaeis* tempore Christi et Ecclesiae ejus. *Esavitae* dicuntur Gentibus opem tulisse in spoliandis et destruendis Israëlitis, vs. 11. etc. Ante destructam *Hierosolymam* per *Romanos*, non tam Romani quam *Judaei* ipsi Christianos vexarunt, nec illae vexationes ullo modo vim phrasium, quae hic usurpantur, praestant. Quin adeo manifesta hic sunt *calamitatum* Judaeorum proprie dictorum, criteria, ut ipse COCCEJUS eas hic intelligere debuerit, sed minus cohaerenter, cum hypothesis ejus id non ferat. Existimat nim. vs. 11—14. summam esse: *Omnem vim et injuriam, quam unquam exercuit Edom in Jacobi semen benedictum, a Deo puniendam esse in Edomo hoc novis-*

si-

ſima, *ſive in Idumaeis et eorum ſociis*, *degeneribus Judaeis*. Secundum hanc regulam ipſe vs. 11 et 12. ad *Judaeos* et *Edomitas* proprie dictos applicat, et crimina *Eſavitarum* in *Judaeos* intelligit, tempore ingresſus Israël. in Cananaeam, abductionis X tribuum, exilii Babylonici, et perſecutionis ANTIOCHI. Sed vs. 13, 14. Christi, ejusque populi vexationem a Judaeis intelligit. Quae interpretatio multis modis laborat. 1. Crimina *Eſavitarum in Judaeos* qua ratione imputari posſint *Judaeis* tempore CHRISTI non video; et ab omni ratione abhorret, cum eodem modo *Chaldaeorum* et *Aegyptiorum* crimina *Pontificiis* attribui posſint, quippe qui aeque mysticis his nominibus veniunt, ac Judaei *Eſavitarum*. 2. Mera tunc oriretur confuſio nominum *Eſavi* et *Jacobi*, quippe quae in eadem pericopa modo proprie, modo mystice ſumerentur, quod vere est ἄτοπον. 3. Diverſi generis mala, quae Eſavitae vel augerent, vel cum laetitia adſpicerent, verſibus illis non posſe intelligi, phraſes eaedem demonſtrant, et tenor orationis confirmat. 4. Nec vs. 13, 14. ad Christianorum vexationes inter *Judaeos*, ante deſtructam Hieroſolymam a Romanis applicari posſunt, cum quod *Judaei* tunc non fuerint contemplatores ſed auctores fere unici, ſaltem praecipui, tum *phraſes* eo referri nequeant, ut inſpicienti patebit.

§ XIII. γ. *Judaei* hic contra distinguuntur a *Gentibus*, quibuscum *Idumaei* conjunguntur, ut vs. 15 — 17, ergo per *Idumaeos* ipſi *Judaei* intelligi nequeunt, cum in ejusmodi prophetiis *gentes*

Judaeis opponantur: quae distinctio *Gentium* et *Judaeorum* pro Christianis cessat sub N. T. ubi *Judaei* Gentibus opponuntur, ipsi *Gentes* esse, aut dici nequeunt. δ. Judicium Dei in *Edomum*, quod hic describitur, conjungitur cum *judicio omnium gentium*, vs. 15, quod ex hac hypothesi explicari nequit. *Judaei* enim tempore destructae Hieros. per Romanos soli puniti sunt. Robur addit comparatio hujus pericopae cum *Jer.* XXV. etc. ubi *judicium Dei in omnes gentes* ad NEBUCADNEZARIS tempora refertur. ε. Mitto alia incommoda, quae ex ultima pericopa a vs 17 — oriuntur. Illa enim non sine violentia aliqua ad Ecclesiae Christianae propagationem, et *Judaeorum* conversionem ac instaurationem ultimo tempore referri potest, cum ad reip. *Jud.* restitutionem et amplificationem, *Idumaeis* etiam ei inserendis, manifeste pertineat.

§. XIV. 2. Videamus, de Judaeorum hypothesi, et inquiramus num *Romani* per *Idumaeos* intelligi queant? ut illi contendunt, conf. A. HULSIUS *Theol. Jud*, l. I. p. 116 — Equidem non iverim inficias, Romanum imperium, sive Paganum, sive Antichristianum nomine *Edomi* propter attributorum convenientiam insigniri posse, quin etiam forte venire *Jes* XXXV. 5. LXIII. 1. ad quae loca vid. cl. *Vitringa*, sed (a). nego ullam exstare prophetiam, quae populum *Edomi* pro subjecto habet, quae directe eo nomine Romam intendit, e contra multae exstant, quae omnes de *Edomo* propriae dicto intelligendae sunt ut *Jes.*

XXI:

XXI: 11. *Am.* I: 11 *Jer.* XLIX: 7. *Ezech.* XXV. et XXXV. etc. (b). Nego *Romani* imperii hic rationem habendam esse, quia *Edom*, a Gentibus et peregrinis, qui calamitatum Judaeorum veri auctores dicuntur, distinguitur vs. 11, etc *Edom* augeret quidem illa mala, et *Judaeis* afflictis insultaret, sed alii ea infligerent, et remp *Judaeorum* destruerent; quod in *Romanos*, quippe qui *Jud.* remp. soli everterunt, nullo modo quadrat. Haec sola ratio *Judaeis* refutandis sufficit.

§. XV. Altera habet hypothesis *judicium Dei in Edomum depingi partim per* NEBUCADNEZAREM, *et* CYRUM *forte*, *partim per Maccabaeos executioni mandatum*. III. GROTIUS, ut supra enarravi, etsi *Maccabaeorum* tempora in posteriore prophetiae parte a vs. 17. nobiscum statuat, priorem partem ad SENACHERIBI et HISKIAE tempora sine ulla ratione refert. (a). Comparatio cum *Jer.* XLIX. illi directe adversatur. Cum enim perfecta sit duarum illarum prophetiarum convenientia, ad diversa tempora pertinere nequeunt. (b). Judicium in Edomum conjungitur cum *judicio in omnes gentes* vs. 15. quod est temporis *Nebucadn.* criterium *Jer.* XXV. (c). De clade *Idumaeis* a SENACHERIBO inflicta nusquam legimus, multo minus de *totali excidio*, quod per NEBUCADNEZAREM est inflictum, ut ex prophetiis citatis *Jer* et *Ez.* manifestum est. (d). vers 17. neutiquam ad HISKIAE tempora, sed quae exilium *Babylon.* secuta sunt, manifeste pertinet, quare in eo nullum huic sententiae est praesidium.

§. XVI.

§. XVI. Ergo nihil restat, quam ut *Idumaeos* proprie dictos intelligamus. et ad eam *Edomi* destructionem referamus, quam NEBUCADNEZAR, et post ipsum CYRUS intulerunt *Idumaeis*, donec *temporibus Maccab. Judaeis* subjecti et inserti sunt. De NEBUCADNEZARE res ex prophetiis. *Jer.* et *Ez.* ex *Mal.* I. et ex JOSEPHO *Ant.* X. 11. aliisque manifesta est. De CYRO id ex XENOPHONTE non male elicuit VITRINGA ad *Jes.* XXI. 11. p. 622. XENOPH. κυρ. VIII. p. 136. affirmat CYRUM *omnes gentes subvertisse, quae intra Syriam et mare Rubrum locatae sunt.* Indicium totalis destructionis *Idumaeorum* haud obscurum in eo est, quod veteres sedes coacti fuerint relinquere, et novas quaerere, *australem* scilicet *Cananeae partem.* Ex hac hypothesi tota concio insignem mutuatur lucem, ut *explicatio* ejus, ad quam pergo, evincet.

Explicatio.

§. XVII. Prior libri pars. a. adnunciat *Edome* terrae et regni totalem destructionem, verbis *Jeremiae*, vs. 1—7. quae pericopa, cum ex hypothesi supra jacta sua luce nunc fulgeat, paucis observatis defungar. 1. Cum in principio vs. 1. dictum Jehovae *ad Edomum* (sic enim לאדום recte verti potest) memorasset, et vs. 2. demum ea dicta recitat, probabile est, verba intermedia, quibus pri-

prima perſona loquitur, a propheta esſe inſerta, eo ſcopo, quae mea est opinio, ut implementum in propinquo esſe inculcaret rumoribus expeditionum *Babyl.* aliarumque gentium contra *Edomum*, iisque haud variis, jam ad ea delatis, et quaquaverſum disperſis; qui verus verborum est ſenſus: *auditionem audivimus a Jehova, et legatus misſus est ad Gentes, ſurgite, et ſurgamus contra eam* ſc: gentem *ad bellum*, h. e. rumores de legato ad gentes hoſtiles contra *Edomum* excitandas et motibus earum, ſe invicem ad eam expeditionem exhortantium, jam ad nos delati ſunt; adeoque proxime inſtat *Edomi* deſtructio. Sermo est abruptus et ellipticus, ſed ex ſe ipſo facile ſupplendus. *Audivimus auditionem a Jehova* ſc. profectam, adeoque non incertum, ſed verisſimum rumorem, Deo auctore, rumorem *belli* contra *Eſavitas*, ut ex fin. verſus patet. vid. *Jeſ.* LXVI: 6. ſic *auditio* dicit rumorem 1 *Sam.* II: 24. *Jeſ.* XXVIII: 19. *Dan.* XI: 44. Indicatum quoque voluit, ſe cum aliis prophetis jam *ſententiam* decretoriam contra *Edomum* latam in foro coelesti percepisſe, et ad ejus executionem *legatum* a Deo, tanquam ſupremo imperatore jam misſum esſe, ad gentes contra *Edomum* excitandas. *Et legatus ad gentes misſus est*, h. e. ad hoſtiles gentes, *Edomum* invaſuras et deleturas, *legatus* a Deo misſus est, ſeu inſtinctu quaſi divino gentes ſunt commotae, ſeſeque contra *Edomum* parant. *Surgite et ſurgamus* etc. h. e. gentes jam ſunt excitatae, ſe invicem ad eam expeditionem exhortantur. Subintell. et ad ſe invi-

cem

cem *dicunt gentes*, nuncio illo concitatae. Interpretes hic passim aberrarunt, cum ultima verba acceperint vel tanquam *Dei*, vel *legati* ad gentes missi, sed veram dedi interpretationem. Illud adhuc observo, OBADJAM numero plurali, *audivimus*, uti, cum JEREM. sing. *audivi*, quia se cum JEREMIA, cujus verba profert, conjungit, ut jam supra observavi (*c*).

§. XVIII.

(*c*) שמועה licet saepe *rumorem* denotet, tamen proprie id est *quod auditur*, hic sermo *auditus*. pertinent haec verba non ad ipsum oraculum, cujus initium repetendum a verbis הנה קטן, sed ad praefationem. Haec videtur prophetae mens esse, nos, sc. JEREMIAS et ego, *audivimus*, accepimus, hunc sermonem ab ipso *Jehovâ*, a quo etiam jam ad gentes missus est *legatus*, qui eas excitet ad bellum contra *Idumaeos*. phrasi a more regum desumta, et figurate de singulari providentiae directione intelligenda. Quo admisso, non opus est, ut cum EICHHORNIO verba כה־אמר אדני יהוה לאדום tanquam spuria, omnium veterum Interpretum et Codicum auctoritate contemta, rejiciamus; aut cum SCHNURRERO statuamus prophetam, hanc brevem scribentem inscriptionem ob vehementiorem mentis concitationem vel sui non bene memorem, vel summae concinnitatis negligentiorem, commiscuisse diversas loquendi formas, et loco שמע את דבר יהוה vel similis formulae scripsisse שמועה שמענו מאת יהוה, quae negligentia, aut animi commotio, meo judicio, in nul-

§. XVIII. Membra, quibus judicium Dei in *Idumaeos* describitur sunt sequentia. a. proponitur vs.

nullo poeta, carminis sui inscriptionem scribente, excusari potest; in ipso licet carmine affectibus frena laxet, et vehementissime animo commotus sit. Quis autem ferat poetam scribere incipientem statim adeo commotum, et sui haud compotem, ut sine confusione poematis sui inscriptionem scribere nequeat. Praeterea ea animi commotio et enthusiasmus prophetarum non confusionem et negligentiam, sed concinnitatem et elegantiam pariebat, ut in eorum sermonibus clarissime liquet. Bene itaque se habet brevis haec praefatio, cujus sensus huc redit, *ita dicit Dominus Jehova*, hic est *Jehovae* sermo, quem ego non tantum, sed et JEREMIAS et forte alii prophetae a *Jehova* audiverunt, *quem nos prophetae audivimus*; et brevi futurum est, ut hostes bello *Idumaeos* aggrediantur, angelus enim tanquam legatus jam missus est, ut gentes ad bellum contra eos excitet. Qua phrasi figurata tantum indicari videtur, Divinam providentiam jam in eo esse, ut gentes ad hoc bellum, *Idumaeis* perniciosum exciet. Affix. in אליה et ex eo quoque apparet, nomen hoc praecessisse. J. H. VERSCHUIR. [Punctorum mutatione lego שַׁמְּעֵנּוּ, ut sit imperativus in *Pibhel*, cum pronomine affixo, cuius litera ה, secundum regulam 168. SCHROEDERI, obs. 3, per celeriorem pronuntiationem absorberi solet, nun paragogica per dagesch duplicata. Sensus igitur est, *declarationem illi declara*. Eodem modo in tertio hemis-

vs. 2. b. certitudo ejus inculcatur, et vanitas fiduciae in opibus et munitionibus demonſtratur vs. 3 et 4. c. gravitas ejus explicatur vs. 5—7. a. vers. 2. judicium Dei in *Edomum* proponitur, et non ſtatus et conditio ejus, cum floreret, et ſui juris esſet, ut multi verba capiunt, cum quod *parvum* et *vilem* fuisſe *Idumaeos* inter gentes non conſtat, contra opibus et fortitudine ac ſapientia ſatis celebres erant, ut ex ipſa hac pericopa elucet,

mistichio lego שֻׁלַּח. Hemistichia igitur ſic conſtituenda esſe puto.

כֹּה־אָמַר אֲדֹנָי יְהוִֹה לֶאֱדוֹם
שְׁמוּצָה שְׁמַעְנוּ מֵאֵת יְהוָֹה
וְצִיר בַּגּוֹרִם שֻׁלַּח
קוּמוּ וְנָקוּמָה עָלֶיהָ לַמִּלְחָמָה׃

Quae in hunc modum verto.

Ita locutus est Jehova de Edomo!
Bellum ipſi indica me jubente!
Inter gentes mitte legatum:
Surgite! ſurgamus bello adverſus eum!

Hac ratione omnis evanescit difficultas, quae ob ſubitam perſonarum mutationem interpretibus negotium facesſit. Ipſa etiam orationis vis et dignitas haud parum adaugetur, et gravis denique ſententia egregie convenit totius vaticinii argumento. L.]

cet, tum quod voces, earumque emphasis et denique textus JEREM. *judicium* Dei requirant. *Parvus inter Gentes* etc. cum dicitur, eorum subjugatio et servitus haud obscure indicatur. *Parvus* numero et opibus, *contemtus* ob amissam libertatem, terram destructam, et prostitutam *fiduciam* ac *sapientiam*, quibus se supra omnes extollebant, et se invincibiles censebant (*d*).

§. XIX.

(*d*) vs. 2. Hic Dei sermo incipit, eo statim tendens, ut superbia et fastus *Idumaeorum* deprimatur. *Ecce parvum posui te inter gentes*; non est, quod spiritus sumas, et te prae aliis populis efferas, eosque alto despicias supercilio; nam tu es gens parva, contemta, sterilem inhabitans regionem, diu *Judaeorum* subjecta imperio. Sermonis nexus, ut videtur, docet verb. נתתי esse temporis praeteriti, non futuri; ut enim liqueret, quam vana et ridicula sit gentis hujus fiducia, arrogantia, superbia, praemittitur jam inde ab initio esse parvam et vilem, cum vicinis majoribus et potentioribus comparatam. J. H. VERSCHUIR. [Contextui parum apta videtur interpretatio de statu sive conditione *Idumaeorum*, excidium namque *Edomi*, veluti praesens, depingitur; quod ulterius confirmatur collatione *Jerem* 49: 15. Neque obstat usus temporis praeteriti; saepe enim occupat locum futuri. Praeterea membrorum parallelismus haud aliam admittit interpretationem; quae enim in primo membro improprie dicta sunt, in altero verbis propriis expressa leguntur. Igitur cum *Dathio* vertendum.

En te omnium gentium minimam efficiam,
Te summo contemtui exponam! L.]

§. XIX. b. Verſ. 3 et 4. non complectuntur *cauſas* judicii Divini, quae postea ſequuntur, ſed *certitudinem* ejus, a vanitate fiduciae propriae derivatam. Caeterum ad ingenium ſoli et terrae *Idumaeorum* reſpici, jam obſervatum est. *Omnis auſtralis regio Idumaeorum* inquit ad h. l. HIERONYMUS, *de Eleutheropoli usque Petram et Hailam*, hoc *est enim posſesſio Eſau*, *in ſpecubus habitatiunculas habet*, *et propter nimios calores ſolis*, *quia meridiana provincia est*, *ſubterraneis tuguriis utitur*. Tota est petroſa et ſaxoſa etc: Vox חגוי, quam interpretes expedire non potuerunt, est a rad. חגא et *aſyla*, *latibula* denotat, ut ex Arab. docuit cl. SCHULT. ad *Jeſ* XIX: 17. Ante מרום intellige ב, *in alto est habitatio ejus*, vel rectius per ellipſin אשר ante מרום verte: *cujus est locus editus habitatio* (*e*).

§. XX.

(*e*) Vs. 3. השיאך ſive verbo huic des literam שׁ, ſive cum aliis codicibus שׂ, res eodem redit, utrumque verb. נשׁא et נשׂא propr. notat *elationem*, qua quid in altum effertur; inde orta fig. not. *decipiendi*, quum quis vana opinione elatus, inflatus, deceptus, graviori lapſui, vel ruinae imminet. Ex hac origine ſingularem vim et emphaſin accipiunt quaedam S. Cod. loca, ut *Gen.* III: 13. הנחש השיאני, *ſerpens iste vana ſuperbia me extulit in altum*, ita ut graviſſimo imminerem lapſui. *Jeſ.* XXXVI: 14. אל־ישא לכם, *ne vos vana ſpe in ſublime efferat*, ubi ſubintelligendum videtur לב; ita ut propr. ſit *ne animum efferat vobis*. Eundem uſum habet

Gr.

§. XX. c. Verſ. 5 et 6. cum totalis deſtructio exhibetur, tum in ſpecie eam de *divina* vindicta

tes·

Gr. *ἐπαίρειν* J. H. VERSCHUIR. [Interpretes Graeci, Vulgata et Arabs legerunt הִשִּׂאֶיךָ, quam lectionem CAPELLUS *Crit. S.* T. 2. pag. 729. veram eſſe pronuntiat, itidemque CLERICUS et KÖHLERUS l. c. L.]

Apte poſitum זדון pr. *tumor inflatus*, qualis est ollae bullientis, vel fluminis aut maris tumescentis *Pſ.* 124: 5. vid. cl. SCHROEDERUS *Obſervat. Sel. ad Origin. Hebr* pag. 62.

חגוי סלע videntur eſſe *rupium cacumina*, חגוי derivatur ab abſoluto, חאוים a ſing. חגו a th. חגו pro quo in uſu dicitur חגה, quod eandem habet originem cum חגג in *gyrando; gyrationes petrae.* Summa ejus ſunt cacumina, quae gyrationem et vertiginem oculis offundunt propter altitudinem immenſam. Ad talia loca veteres tempore periculoſo, tanquam aſyla confugiebant: hinc eadem vox de *aſylis* adhibetur, vid. cl. A. SCHULTENS, in animadv. ad *Jeſ.* XIX: 17. *In regionibus*, vel *tractibus petrarum*, quod cl. C. F. SCHNURRERO placuit, in hac ſermonis ſerie nimis languet. [Idem pro מְרוֹם legit מָרוֹם, quod BAUERO quoque placet. L]

Ante מְרוֹם ſubintelligi poteſt השאיהו *vana opinione extulit et decepit eum altitudo habitationis ejus*, Tranſitus autem a ſecunda perſona ad tertiam frequens est apud Hebraeos et Arabes, magnam adfert elegantiam, praeſertim in ſubito et acri docendi genere. *Secum cogitat, quis me proſternet in terram?* quis dabit praecipitem? J. H. VERSCHUIR. [Quidni cum VENEMA et SCHROEDERO, *Gramm. Hebr. Synt.* reg. 43 pag. 331, ſubintelli-

li·

testari indicatur. Senſus est hostes humanis non tantum cupiditatibus' ductos, ſuae avaritiae et ambitioni explendae intentos ! *Idumaeos* direpturos, et vastaturos, ſed judicium Dei esſe executuros ac eos penitus deſtructuros. Huc enim reſpicit interrogatio, *quomodo excíſus es?* quomodo recondita

et

ligeremus אשר ? hunc ſecutus est SCHNURRERUS. Primum hujus ſectionis membrum ἐκφώνησιν esſe puto, cetera vero arcte nexa, et totum hemistichium ſic reddo:

Praetumidae mentis iactatio decepit te!
Montium cacuminibus cum inſides,
Alta tua ſede cogitas:
Quis me prosternat in planitiem?

Iactatoribus illis, qui tutos et inexpugnabiles ſeſe credebant altis ſuis domiciliis, ſedibusque ſaxoſis egregie respondetur commate ſequente. L.]

Vs. 4. שׂים vix dubito, quin legendum ſit חשים, non data opera librarius lectionem faciliorem mutavit in difficiliorem, quod abſurdum, ſed fortuito id factum, ut ſaepe alias. Asſentior itaque HOUBIGANTIO et MICHAËLI; non mirandum est, veram lectionem aliquando in nullo cod. nobis noto reperiri. J. H. VERSCHUIR [Receptam lectionem defendunt SCHNURRERUS et KÖHLERUS, nec immerito, cum docente SCHROEDERO, *Gram. Hebr. Reg. Synt.* 54. pag. 351, in ſtilo gravi, asſeveratione fortiore, dictis ſententioſis, et iis, quae aliquid miri atque inexſpectati ſignificant, aut cum ſingulari animi affectione proferuntur, infinitivus ponitur loco verbi finiti. L.]

et abſcondita Eſavi ſunt perquiſita et direpta? ſi divina manus ipſos non direxerit, et divina vindicta non fuerit comitata hostes quomodo abſcondita reperisſent, quomodo in animum induxisſent, tantam vastationem inducere? Confirmatur haec cogitatio ex *Jer.* XLIX: 9, 10 (*f*).

§. XXI.

(*f*) Obſcurum est, quomodo, ne orationis nexus interrumpatur, vertenda ſint verba vers 5. איך נדמיתה. BAUERO (ſchol. ad h. l.) glosſam ſapere videntur, vel potius e verſu 6, qui justo brevior est, huc translata. Et hactenus ſane hoc praeſtat emendationi, quam MICHAËLIS tentavit, ſubſtituens pro הלא, demta interrogationis nota, לוּא; etenim, docente SCHNURRERO, obſtant cum alterum membrum, tum parallelismus. Mira est in Codd. lectionis varietas, alii נדמתה, alii נדמיה, alii נדמה; e prima illa lectione, quam novem *Codd. Kenn.* exhibent, posſis efficere נִדַּמְּתָה, ut *Vulgatus* et *Syrus*, adprobante SCHNURRERO. Posſes quoque legere נִדְמְתָה, ut ſit *tertia perſona foem.* in *Niphal* a דמה *aequavit*, in *Niphal*, *aequatus est*, illudque referre ad proxime praecedens לילה, ut ſenſus ſit: *ſi fures*, *ſi latrones*, *nox ubi media praetercurrit*, i. e. *nocte intempesta*, *te invaſisſent.* Quam interpretationem GREVIUS noster, meum communicare voluit. At vero obſtare videtur uſus particulae איך, quae nunquam valet *cum* ſive *quum*, neque in ejus loco ſubſtituere audeo כי, quia harum particularum mutatio exemplis probari, quantum quidem ſcio, nequit. Acquiescendum esſe opinor in lectione vulgari, quae ſenſum haud inconcinnum reddit.

§. XXI. Vers. 7. nec quod ad *scopum* nec *sensum* difficultate caret. Scopus mihi videtur calami-

Propheta nimirum indicat, graviter admodum adflictos esse *Idumaeos*, idque illustrat exemplo a latronibus nocturnis petito, quorum rapina eos non ita exhauserat, ut nihil prorsus ipsis relictum fuisset, quae nunc quidem erat misera eorum sors, parenthetica exclamatione indicata: *quomodo solo adaequatus jaces!* Et haec quidem interpretatio, ut pluribus placuit, confirmata est ab ABRESCHIO l. l., consuli quoque meretur L. DE DIEU, *Crit. Sacr.* pag. 283.

Verba, versus 6, איך נבעו מצפניו, ALB. SCHULTENSIUS (Orig. T. 1, c. 2. *pag.* 71, aut edit 1761, pag. 34.) sic explicat: *ut in apertum efferbuerunt, seque erupuerunt occulta eorum, quae coquunt.* Intelligit autem per occulta illa *Idumaeorum* consilia et pestiferas machinationes in profundo animorum structas, quae iam tumore suo se prodiderint; cui interpretationi probabilem auctoritatem conciliare studet e versu 7 et 8. Secutus est HUSZTIUS, diss. *de Ling. Hebr. Synonymis*, recusa in *Syll. diss. Leidens*, *pt.* 1., *pag.* 225. Et facile largimur tanto viro מצפן in universum significare *occultum*, nec unquam sibi adsciscere notionem *gazae absconditae*, nisi habita contextus ratione. Jam vero, cum vs. 6. arcte nexus praecedenti, hic profecto *thesauri* notio est exprimenda. Quae vero vs. 7 et 8. leguntur, quoniam alius sunt generis et non conspirant cum exemplo vs. 5. in usum vocato, SCHULTENSIANAE interpretationi haud favere videntur. L.

mitatem *Idumaeorum* adgravare, praedicendo exilium populi, et irreparabile vulnus, nec non deceptionem et illusionem a foederatis inferendam. Priora verba *ad terminum usque emiserunt Te*, ad hostes, qui destruerent Esavum, pertinent, et ejectionem ex terra comprehendunt: supra dictum erat eos esse *spoliandos*, hic addit, eos terra expellendos. הגבול *terminus* sic absolute et emphatice memoratus, non nisi propriae terrae limites significare potest: ad eos usque qui mittuntur, iis in terra sua nusquam conceditur morandi aut habitandi locus. Reliqua verba sunt conjungenda: *omnes viri foederis tui tibi imposuerunt*, tum opem iis denegando, tum etiam refugium et auxilium exulibus ne quidem praestando; qua ratione sese erga Judaeos gesserant Esavitae, ipsi nunc experientur. Additur, quod eodem tendit, *praevalebunt tibi homines pacis tuae*, forte rectius: *continebunt se Tibi*, seu nullum favorem tibi exhibebunt, aut auxilium: ut a rad. כלא derivetur, sitque futur. in Kal, sensu intransitivo, ut *Hagg.* I, 10. Verbum כלא aliquando littera א truncatnm reperitur, ut I *Sam.* VI: 10. Clericus in hac radice constituenda viam praeivit, sed verum sensum non vidit. Nec tamen hic tuto pes figitur, cum Masorethae punctatura sua radicem יכל definiverint, nisi quis eorum auctoritate se coërceri nolit. Sequitur: panem tuum ponent מזור תחתיך *ulcus sub te*, ut vertunt, rectius *foeditatem sub te*, h. e. ut recte Coccejus in Lexico ad v. מזור, *quae est subter Te*, seu *stercus tuum*. Tantum

 abest,

abest, ut tibi necesſaria ſint ſubminiſtraturi foederati et vicini tui, qui ſe continebunt Tibi; ut loco panis praebituri ſint *ſtercus* in cibum, ſeu pasſuri, ut prae fame *ſtercus* comedas, qui elegans et ni fallor, verus ſenſus est. Phraſis est figurata, quae ὀξύμωρον continet, qua ſumma et deſperabunda miſeria pingitur, ut ſuo cruore ſe ſatiare debeat. Simile quid est 1 *Reg* XXII: 27. *Jeſ.* XXX: 20. *Thren.* III: 5. *Job* XX: 23. et in *Conſ. Har.* III. p. 141. *Alcor.* c XXXVIII: 58. LXIX: 36. LXXXVIII: 24. Interpretes hic varie inſtituerunt, et nimium aberrarunt, de quo hic agere non licet.

§. XXII. Secundum hanc interpretationem primae voces, *usque ad terminum emiſerunt Te*, non cum ſeq ſed praecedentibus ſunt jungendae; forte rectius voces illas ſejungimus, et *usque ad terminum* cum praeced. *miſerunt te*, cum ſeq. conſtruimus, quae ut elegans ſic est interpretatio, ſic vocum ſtructurae accommodatior. Senſus ergo erit: *occultos* Eſavi theſauros per totam terram *ad limites usque* esſe conquiſitos, totam terram ſpoliatam et deſtructam. Hic vs. 6. est terminandus, et ſeptimus cum verbo *miſerunt* incipiens, qua ratione foederati populi ſeſe erga Eſavitas illa in calamitate gererent, exponet Quo admisſo, *mittere* idem erit ac *misſum facere* apud Latinos, curam et favorem ſubtrahere, quam potestatem habet, cum de *uxoris* dimisſione per divortium uſurpatur. Praeterea ad hunc verſum notandum, illum ante voces ultimas, *non est in ipſo prudentia*, finiendum; il-

illa enim verba ad seq. pertinent, ut mox patebit (*g*).

§. XXIII.

(*g*) Varias interpretum hujus sectionis explicationes recenset ABRESCHIUS, l. c. pag. 69., quem vide. Quum tamen post tot egregiorum virorum studia, non omnis, ut videtur, remota sit difficultas, ejus tollendae periculum faciam. Primo itaque loco observandum mihi videtur, prima hemistichii verba antecedentibus esse jungenda, et sic construenda עַד־הַגְּבוּל שִׁלְּחוּךָ. Verbum שׁלח, docente MICHAELE in *supplem. ad Lexica Hebr. pag.* 2326, habet quoque notionem *exsuendi*, *nudandi*, quae nostro loco perquam est apta. Forte subest in גבול notio *interulae*, qua quis privatur; quidquid vero hujus suspicionis sit, tota locutio probabiliter sic redditur: ad limitem usque te exsuerunt, belgice dicimus *zij hebben hen tot op het hembd toe uitgekleed.* Haec jam si addantur vs. 6., habes apodosin vs. 5. in hunc modum: hostes tui non ad latronum aut vindemiatorum morem tecum agunt, sed nihil omnino tibi reliquerunt, imo ad interulam usque te nudarunt. — Porro versus septimus sic constituendus videtur

כֹּל אַנְשֵׁי בְרִיתֶךָ הִשִּׁיאוּךָ

יָכְלוּ לְךָ אַנְשֵׁי שְׁלֹמֶךָ

יָשִׂימוּ מָזוֹר תַּחְתֶּיךָ

אֵין תְּבוּנָה בּוֹ

Tria hic maxime observanda veniunt. Primo, pro יָכְלוּ,

 quae

§. XXIII. b. *Secundo* partis prioris membro totalis destructio Edomi, verbis Jeremiae proposita, confirmatur a Propheta nostro vs. 8, 9. quibus *sapientes* et *fortes* ex populo esse delendos, adeoque populum exscindendum, nomine Dei declа·

quae est lectio recepta, punctorum mutatione lego יְכַלוּ, a נכל *dolose egit*, quod melius convenit verbo הִשִּׁיאוּךָ, et membrorum parallelismus etiam requirere videtur. — Tum, מָזוֹר, quod omnes interpretes antiquiores verterunt per *insidias*, quam tamen significationem e linguae usu non probaruut, est mihi participium a מזר, cujus frequens est notio in dialectis, *nevit*, *fila duxit*, hinc *rete tendit*, *extendit*; *Prov.* I: 17, (Vid. Castellus, in *Lex. Heptagl.* Tom. 2, Col. 2025. Michaëlis l. c. pag. 1496) unde intelligitur, quae sit notionis *insidiarum* causa. — Denique, negligit vocem לחמך *Alexandrinus*, forte quod non legerit; ego saltem non dubito, quin glossa sit, orta e repetitis ultimis syllabis praecedentis שְׁלֹמֶךָ, quod, cum non intelligerent librarii, primo ad marginem posuerunt, dein vero animadvertentes supervacaneum plane esse, emendarint inserta litera ה. — Hisce igitur observatis, versionem, quae sensum indicat, apponam:

Te decipiunt foederati tui!
Tecum dolose agunt amici tui!
Tibi insidias struunt,
Quas nullus animadvertit.

L.

clarat. quae cum sit facillima intellectu pericopa, nos non detinebit. Pauca not. 1. Voces postremas: *non est in ipso prudentia*, vs. 7, ad vs. 8. pertinere, a quo minus recte avulsae sunt, quae observatio, quicquid de nexu harum vocum cum superioribus dixerunt interpretes, destruit. 2. *Sapientiae* et *fortitudinis* exstirpatio hic memoratur, ut caussa ruinae reip. quae, ubi sapientes, prudentes, et fortes deficiunt, sponte sua pessum it, et ab hostium impetu sese nullo modo defendere potest, quare *excidium virorum* tanquam consequens, fin. vs. 9. memoratur.

§. XXIV. c. Tertium membrum est judicii in *Edomum* iustificatio, a *criminibus* in Judaeos commissis petita, vs. 10, 11. Crimina vs. 10. generali *caedis*, et *violentiae* phrasi exprimuntur, vs. 11. in specie ad tempora calamitatis Judaeorum restringuntur. Not. 1. vocem מקטל ad vs. 10. pertinere, ut recte LXX. instituerunt, nec non Syrus et Latinus, textu ipso hoc requirente, et sensu. (*h*). 2. Voces *prae caede*, *prae violentia* sig-

(*h*) מקטל cum veteribus interpretibus, auctore nostro, aliisque, referendum putaverim ad vs. seq. et conjungendum cum מחמס. Minus placet SCHNURRERI conjectura, punctis mutatis legendum esse מקטל seu מקטל, qua voce designatur *vir praelio aptus*, hoc sensu: fractis copiis *Themaniticis* peribunt reliqui omnes, qui ad pug-

ſignificant, vel partim propter caedem, partim violentiam, vel prae caede, ſaltem prae violentia; illam meditatus est Eſau in Jacobum, hanc exercuit; posteri Eſavi, quorum *aeterna* dicitur *inimicitia* cum Jacobo Ez. XXXV. 1. (*i*) utrumque praes-

pugnam apti ſunt. Haec ſi prophetae mens fuisſet מקטל cum איש conjunxisſet, dixisſet למען יכרת־איש מקטל. v. חתת hic ſimul complectitur notiones *conſternationis* et *caedis*, ſenſus est, heroes tui partim animo fracti, ſeu conſternatione perculſi, partim caeſi ſunt. Quae ſignificationes in verbo hoc ſaepe coalescunt, ſic *Jeſ.* VIII: 9. *Cap.* XXXVII: 27. *Jerem.* XLVIII: 1, 20, 39. J. H. VERSCHUIR. (TELLERUS *Praefat.* praemis. disſ. ſecundae KENNICOTTI *ſuper ratione textus Hebr. V. T.* pag. 26, ſic oratiouem ſtruendam putat:

מקטל אחיך תכסך בושה
ומחמס יע קב בכרת לעולם

ſenſus nihil differt, ſed membrorum parallelismus fit aptior, est enim:

Propter caedem in conſanguineos tuos pudor te operiet,
Et propter violentiam in JACOBI *posteros exſcinderis in perpetuum.*

L.)

(*i*) Formula נכרת לעולם SCHNURRERO paululum audacior videtur, adeoque temperanda nonnihil, atque ad hunc fere reducenda ſenſum: tardius ad vires redituros, pris-

praestiterunt; ut ex historia conſtat. In ſpecie quo tempore extranei in Judaeos irruperunt, et ipſam metropolin expugnarunt, ut vs. 11. cf. Pſ. CXXXVII. 7. not. 3. Expugnationem Hieroſ. comprehendi vs. 11. patet a. quia *portas* Judaeorum dicuntur intrasſe extranei, h. e. portas urbium ipſorum, quibus *Hieroſol.* non potest eximi, cum generalis phraſis ſit, et mox ad *Hieroſol.* quoque referatur. (b). quia id praeſupponit *projectio ſortis* ſuper Hieroſolyma ſcilicet jam capta, ad eam dividendam et diripiendam, et incolas vendendos. Id enim phraſis deſignat in ſcriptura, vid. *Joël* IV: 5. *Nah.* III: 10. cui neutiquam ſatisfaciunt, qui *ſortem* fuisſe *jactam* volunt, *utrum primas in oppugnanda urbe haberent Israëlitae, an Syri?* quemadmodum GROTIUS interpretatur. Ad quam oppugnationem vox *extraneorum* nos praeterea reſpicere vetat, cum omnes tunc non fuerint *extranei*, junctis enim

pristinamque dignitatem, ac potentiam vix unquam recuperaturos esſe *Idumaeos*. Qua temperatura haud indigemus, quia hic potisſimum deſignatur gentis *Idumaeae* ſubactio per *Maccabaeos*, quando illorum Respublica ita deleta est et gens ita genti *Judaicae* inſerta, ut prorſus in perpetuum deſierit esſe gens aut Respublica distincta. v. כרת not. ſcisſionem et exſcisſionem violentam, et hinc non tantum *exilium*, ſed in nostro loco exſcisſionem e numero gentium distinctarum, libertatis et Reipublicae abolitionem. Vid. *Disſ. nostra de Orac. Bileam. praecipue* p. 22. et p. 31. J. H. VERSCHUIR.

enim viribus *Israëlitae* et *Syri* id fecerunt. Ergo rectius illud ad ea tempora referimus, quibus a Chaldaeis capta et direpta est Hierosolyma, qua de re in *Anacrisi* (*k*).

§. XXV.

(*k*) Omnino cum SCHNURRERO existimaverim vs. 11. reprehendi crimen jam commissum tempore expugnationis *Hierosolymae* per *Babylonios*, adeoque sermonem hunc illa expugnatione esse posteriorem. vs. 12, 13, 14. itaque non considerandi sunt, tanquam dehortatio a crimine, quippe quod jam commissum erat, sed tanquam gravissima reprehensio, qua impia *Idumaeorum* in fratres *Judaeos* facinora vivis describuntur coloribus, ut eo clarius elucescat Divina Justitia in poenis horrendis propter illa iis infligendis. Verba itaque אל תרא, אל תשמח, אל תבוא, אל־תגדל פיך etc. reddenda sunt *nequaquam spectasses*, *nequaquam laetatus fuisses*, *nequaquam insolenter locutus fuisses*, *nequaquam intrasses* etc. Hostes vocantur זרים et נכרים *peregrini*, sic ξεινος *de hostibus* alienigenis seu barbaris apud, HERODOT. l. IX. p. 608. et *Lacedaemonii Persas* vocabant ξένους, PLUT. in *Aristide*, §. X. Observat idem CICERO de Offic. l. I. c. 12. veteres Spartanos hostes vocasse hospites, seu peregrinos. ראה speciali usu adhibetur de eo, qui alterius interitum laetus spectat, micante et radiante oculorum acie intuetur, eo ipso prodens magnam, qua perfunditur, voluptatem, sic Ps. XXII: 18. Ps. XXXV: 21. Ps. LIV: 9. aliisque locis. יום hic *dies praelii*, *calamitatis*, quem usum saepe habet in *Cod. Hebr.* et *Arab.* libr. v. gr. in *Hamasa* p. 536. ABULFEDA *de vita* MUHAMM. *p.* 68.

§. XXV. Sequitur *Pars altera* generalis, quae est *dehortatoria*, gravibus rationibus firmata. א. Dehortatio occurrit vs. 12 — 14, Particula enim אל *ne* videas cet. vera sua potestate et usu *vim dehortandi* possidet, et ad futurum respicit; a qua non abiissent interpretes, si hypothesi non litassent. Dehortatio (a). eo tendit, vel ut, si morem non gererent Idumaei, quod non facerent, se *juste* exscindi perspicerent, et sua culpa perire confiterentur; vel, ut se nullam habere rationem Judaeos male tractandi, viderent, quia similem non tantum, sed longe duriorem sortem subirent. Crimina, quae ipsis dissuadet propheta, sunt (a). cum laetitia et insultatione eoram adspicere mala Judaeorum vs. 12. (b). in Judaeorum depraedatione partem et sortem habere. vs. 13. (c). fugientibus et superstitibus sese opponere, et viam elabendi obstruere, quin eos in manus hostium tradere, vs. 14. Hisce a criminibus sibi caveant, propheta admo-

68. p. 113. יום נכר est dies *dirae calamitatis*, quem usum נכר habet *Job.* XXXI: 3. apud *Arabes*, יום ערה *dies angustiae stringentis.* יום איר *dies gravissimi infortunii*, אור vel איר pr. *niti*, *cum nisu se incurvare* hinc איר *infortunium grave* instar gravissimi oneris premens et in curvans. ראל תשלחנה בהילו *et non injecisses* manus tuas *in opes ejus*, subintelligitur יד֗ין, Est autem [תשלחנה] secunda persona masc. pro תשלח, additis נ et ה paragogicis, ut תקר אנה pro תקרא *Exod.* I: 10. et eodem modo תשלחנה *Jud.* V: 26. J. H. VERSCHUIR.

monet, tempore ſupremae calamitatis Judaeorum, quae efficacisſimis phraſibus exprimitur: *dies fratris ejus*, dies κατ'ἐξοχὴν dictus, quo ſupremum judicium ſubirent. dies *alienationis* ejus, quo a Deo rejecti exulare deberent e terra et inter peregrinos verſari. dies *excidii* et *perditionis eorum* dies *angustiarum*. Quae phraſes non niſi plenario excidio per Chaldaeos applicari posſunt. Conf Pſ. CXXXVII. ubi id Idumaeis diſerte imputatur. Phraſes nihil habent obſcuri, quod moram injicere posſit. תשלחנה est 2 ſing. maſc. pro תשלח, accedentibus duabus litteris paragogicis, ut Ex. I: 10, תקראנה pro תקרא et *Jud.* 5: 26; תשלחנה. uno verbo adhuc de voce הפרק vs. 14. Vulgata opinio est *compitum*, διέξοδον, notari, ubi *viae dividuntur*, q. d. *fractionem*, *diſruptionem viarum*. Sed forte rectius *omnes vias elabendi*, hac voce comprehendi ſtatuitur. Radix ſignificat *fregit*, *effregit*, inde *asſeruit in libertatem*, (q). repagulis et carceribus effractis, quae interpretatio latior est, et contextui longe accomodatior.

§. XXVI. ב. Dehortationis rationes moventes ſunt. 1. Communio ejusdem ſortis, quam *Idumaei* haud longe post Judaeos, longe etiam, graviorem ſubirent (*l*) vs. 11, 16. Ad. vs 16. ot. (a). pri-

(*l*) vs. 15. כל הגוים πάντα τὰ ἔθνη, ſunt, omnes gentes *illae*, vicinae, Judaeis inimicae, quae ſocias manus junxerant in Republica Judaica deſtruenda. J. H. VERSCHUIR.

primum membrum per modum apoſtrophes, ad Judaeos, eorumque judicium pertinere, quod cum ex ipſo textu, tum ex Jer. XLIX. 12. et XXV: 29. manifestum est, et a MERCERO docte adſtructum; niſi enim *bibere* pro laete agere ſumas, ad Gentes nulla ratione applicari potest: illi enim judicium dici nequeunt ſubiiſſe *in monte ſanctitatis Dei*. Sed *laetitiam* hic non denotare ex ſeq. certum est, quare non niſi de Judaeis et per modum apostrophes, intelligi potest. Si pro שתיתם leg. שתותם punctis mutatis, haberi poſſet pro infinit. cum affixo, et ad Judaeos ſine apostrophe referri, quod facilius foret: forte utroque modo dixerunt in infin. שתית et שתות; ſed in apoſtrophe tutius acquieſcitur, niſi forte rectius legatur שתו הם *biberunt ipſi* ſc: *Judaei*, quod praetulerim (*m*). (b). Secundum membrum nulla diffi-

cul-

(*m*) De uſu hoc v. שתה, et nom. כוס pro *portione* ac ſorte, peculiariter tristiore atque ingrata, vid SCHNURRERUS. p. 414. et A. DRIESSEN in *obſervat. Phil. Crit.* Obſ. II. in *Sylloge Disſert.* p. 1068. J. H. VERSCHUIR. [Recte VENEMA primam hujus verſus partem per apoſtropheu, quae orationis figura haud infrequens est, ad Judaeos refert. Quod ſi enim locum de *Idumaeis* interpreteris, neceſſe est, ut hos judicium ſubiiſſe dicas in urbe HIEROSOLYMA, quod historiae adverſatur. Hoc animadvertens DATHIUS, particulam על reddit *propter*, ad hunc modum: „quemadmodum vos propter montem meum ſanctum e calice irae

meae

cultate laborat, nisi quod vox תמיד aliquid scrupuli injiciat. Quid enim est bibere *jugiter?* an ad faeces usque? hic sensus esse deberet, sed phrasis minus rotunda eo sensu: vel jugiter erit *semper*, unum poculum post aliud, ita ut ab una calamitate in aliam incidant, donec ad internecionem usque deleantur. Dubium non est quin faciliorem praeberet intellectum, si legatur סביב, *omnes gentes circum*, quae usitata phrasis est in script. MERCERUS annotat in nonnullis exemplaribus סביב legi, quod confirmat KENNICOTT, variis productis Msf; sed forte fuit a critico primum margini appositum loco תמיד; unde enim תמיד ortum fuisset obscurius pro faciliore? Si quid mutandum sit, rectius legi potest לי מידי *bibent mihi ex manu mea.* Vid. *Jes.* LI: 22, 23. *Jer* XXV. vel למידי (*n*). (c). In tertio membro magnam dif-

meae bibistis"; — at vero, licet hunc particulae usum negare nolim, hic haud quaquam admittendus; si enim nominibus locorum est addita, vulgaris tenenda est notio. Ceterum, membrorum parallelismum, eam, quam sequimur interpretationem confirmare, nullus non videt. Conf. CLERICUS in *Comment.* ad h. l. et SCHNURRERUS l. c. pag. 410. L.]

(*n*) Lectionem סביב loco תמיד habent multi codices, vulgatae eam praefert LILIENTHALIUS, et contextui maxime congruere recte judicat ROSSIUS, qui tamen observat lection. תמיד niti auctoritate antiquarum versionum omnium, et codicum meliorum. Hanc itaque commu- nem

difficultatem peperit verbum לָעוּ, quod interpretes varie reddiderunt, sed cl. SCHULT. ad h. l. ex Arab. docuit, verti debere: *et vani erunt*, seu in vanum, in nihilum recident, quando recte subjungitur, et *erunt, tanquam non fuerant*, h. e. propriam cessabunt facere civitatem, populum distinctum et suis legibus rectum, quod in populis illis exacte adimpletum est, ut nemini non, historiae gnaro, notum. Nisi melius hunc locum verterit SCHULT. ad *Prov.* XXI: 25 (*o*).

§. XXVII.

nem lectionem defendit SCHNURRERUS, ob eam potissimam rationem, quia altera est difficilior, p. 410. Bibere autem תמיר *jugiter*, hoc est, ut nobis videtur, variis et repetitis potionibus, donec calix exhaustus fuerit. *Idumaei* a Babyloniis subacti et vastati, bibere coeperunt hunc Divinae irae calicem, quem prorsus exhauserunt, quando eorum Respublica a MACCABAEIS abolita, et gens Judaicae inserta est, tunc enim desiit gens distincta *Idumaeorum* sine ulla restitutionis spe, in perpetuum. J. H. VERSCHUIR. [Equidem non dubito quin תמיר vera sit lectio; emendatio enim interpretis Graeci, qui habet πίονται πάντα τὰ ἔθνη οἶνον, haud levem movet suspicionem, eum receptam invenisse lectionem: quam, cum non intelligeret, mutavit in חֶמֶר. Ceterum, KOEHLERO monente l. c. pag. 262., nostrum תמיר sic interpretatus est KIMCHI: בלי הפסק שיכלו היעים שבהם שהרעו לישראל, i. e. indesinenter bibent, usque dum maligni, qui populo Israëlitico infestarunt, exstincti erunt. L.]

(*o*) ושתו ולעו יהיו כלוא היו *bibentque et aestu adurentur,*

§. XXVII. 2. Secunda ratio dehortatoria a Judaeorum instauratione et amplificatione desumitur, qua

eruntque quasi non fuissent. In v. לעו sequor A. SCHULTENSIUM non SHNURRERUM. Scil., summus hic vir in juventute sua conjiciebat, לעו derivandum esse a לעה Arab. لغي *vanus, irritus, frustraneus fuit;* cujus vestigia premit auctor noster, reddens *et vani erunt*, qui tamen dubitat, an non rectius deinde SCHULTENSIUS reddiderit, nempe in comment. ad *Proverb.* Cap. XX: 25. *aestu adurentur.* Fatetur SCHULT. sibi viro non satisfacere, quae juvenis conabatur, diem ipsum meliora et certiora docuisse. Protraxit ibi in lucem ex dial. *Arab.* genuinam indolem verb. לוע et ליע, CAMUSI auctoritate sitam in *ustione, adustione*, hic signif. *uri, aduri* aestu interiore, ut quando aestu potus venenati ipsa viscera aduruntur, et sic homo aut animal misere perit. Quae notio huic loco apprime conveniens videtur. Fingitur *Idumaeos* poculum potus venenati plenum evacuasse, cujus hic sit effectus, ut viscera aestu interiore adurantur et hac ratione pereant et aboleantur, quasi non fuerint. Quod intelligendum de Republica deleta prorsus et *Idumaeis* cum Judaeis confusis. Hac ratione omnia prono alveo fluere videntur. At vero moram hic injicit SCHNURRERUS. Locum nostrum ita declaraverat SCHULTENSIUS: *ardore et aestu* calicis venenati intus *adurentur.* Quod ipsi non satis accurate dictum esse videtur, quia v. לנא, quum sensu *ardoris* venit, activum transitivum est. Sic v. gr. *ussit, accendit eum amor:* neu-

qua ad hostium terras extenderet alas ſuas, et populos vicinos ſibi ſubjiceret, in ſpecie *Idumaeos*, quos

neutraliter autem quum venit لاع, media vau, teste PHIRUZABADIO, ſignificat praeter alia idem, quod جزع *pavore perturbatus fuit* etc. vid. SCHNURR. p. 412. et SCHULT. l. c. Hanc SCHNURRERI ſententiam amplecti nequeo, conſtat enim v. לוע et active tranſitive adhiberi et neutraliter, adeoque ſignificare *adurere* et *aduri*, atque hanc esſe notionem primariam, e qua reliquae omnes profluxerint. Quando neutraliter notat *pavore perturbari*, proprie hoc est pavore tanquam igne aduri, ſic *angore*, *taedio fastidio* intus uri, aeque commode dicitur, ac *amoris igne aduri*. Id clarisſime liquet nostrum aeque neutraliter ac active tranſitive uſurpari. Nec ex his exemplis, ſpeciminis loco a PHIRUZABADIO prolatis, concludere licet nullum alium habuisſe uſum. Princeps quoque *urendi* notio in his omnibus aperte cernitur. Uti quum adhibetur de dolore ex anxia cura, morbo, impatientia, pavore, moerore, animi molestia, fame, ſiti ardente, vento vehementisſimo, quaſi aeſtu adurente, cupiditate impotenti, etc. quae ſunt utriusque verbi cognati לוע et ליע notiones, in quibus omnibus ſentitur vis *aeſtus interioris*. SCHNURRERUS autem tenens radicem لغي, quam ex GJEUHARIO et PHIRUZABADIO illustrat, vertit nostra verba ושתו ולעו: *bibent ac vani ſeu irriti evadent*. Sed meo judicio effectus veneni magis naturaliter et pulchrius pingitur a poeta, ſi dicat *aeſtu poculi venenati quod ebibere coactus*

tus

quos secum in unam civitatem uniret, quando Jehovae regnum manifestabitur. Haec luculenta promissio (a). in genere proponitur vs. 17. *sed in monte Tsionis erit evasio*, h. e. erunt qui evaserint; *Hierosolyma* reaedificabitur et inhabitabitur ab exulibus, tanquam metropolis regni, *et erit sanctus*, sc: mons Tsion, cum quod Templum et cultus sacer sit instaurandus, tum ab extraneis non sit violandus, quod post afflictionem *Epiphanicam* praecipue impletum est conf. *Joël.* IV: 17. *et possidebunt domus* JACOB, seu ejus posteri, *possessores suos*, seu populos vicinos, in specie *Idumaeos*, qui sedibus antiquis expulsi, australem Judeae partem oc-

tus fuit, *intus aduretur*, *donec exstinguatur*, quod posterius demum indicatur verbis והיו כליא היו, quae SCHNURRERI explicatione admissa nihil diversum dicerent et distinctum a לעו; sed quilibet suo fruatur judicio, suo gustu. Additur vs. 17. ובהר ציון תהיה פליטה והיה קדש, *attamen in monte Zion erit evasio*, *et hic erit sanctus*, id est, ut mihi videtur, abolita *Idumaea* civitate una haec adhuc civibus superest effugii rima, e maximo periculo elabendi occasio, et salutis ratio, si confugiant ad *montem Zionem*, ad *Rempublicam* et *Ecclesiam Judaicam* tanquam asylum; hoc si fecerint effugient extremam perniciem, salvi evadent, experientur asylum hoc sanctam et inviolabile. Docet historia eos circumcisione admissa, ac Religione Judaica recepta, civitate donatos, tunc salvos et incolumes evasisse. J. H. VERSCHUIR.

occuparunt, ut historia docet, qua ratione κατ' ἐξοχὴν posſesſores Judaeorum audire merentur, vel rectius *posſesſiones ſuas* verte (*p*).

§. XXVIII. β. In ſpecie applicatur ad *Idumaeos*, et reliquos populos vicinos. De *Idumaeorum* ſubjugatione et incorporatione vs. 18. cujus emblematis ſenſus non tantum est, *Idumaeos* a Judaeis esſe ſubjugandos, ſed et in eandem ſocietatem coadunandos, quemadmodum ignis ſtipulum ita conſumit, ut in naturam ſuam convertat. Conf. *Zach.* XII: 6. Plenariae deſtructionis *Idumaeorum* indicium in eo est, quod ne שריד *ſuperſtes* aliquis ſit futurus, ſcilicet qui Judaeis nocere posſit, aut remp. deſtructam inſtaurare, totus *Idum.* populus Judaeis foret ſubjiciendus et inſerendus. LXX. habent πυρφόρον, qui juxta HESYCH. est ὁ μόνος, διασωθεὶς ἐν πολέμῳ. ſive a vate facem geſtante ante exercitum, qui violari non ſolebat, ſive a ſcintilla, quae

(*p*) Quam auctor alterius hemistichii partis dedit interpretationem, eam veteres exhibent interpretes, LXX, *Syr. Vulg. Chald.*, hos autem legisſe מוֹרִישֵׁיהֶם, ſuspicatus est MERCERUS. MICHAËLIS quoque cum his facit, explicans receptam lectionem ut participium *Hiphil.* Posſet quidem ſuffixum הם referri ad remotum גוים, vs. 16, cum vero SCHNURRERO monente, pag. 417, מורש cum uſu, tum forma potius nomen locale est, commodior videtur vulgaris interpretatio, cujus haec est ſententia: recuperaturi ſunt *Judaei* pristinas ſedes. L.

quae igne extincto, ſuperest, et novum ignem ſuſcitare potest. ut Clericus ad h. l. Implementum ex hiſtoria Maccabaica manifestum est (q).

§. XXIX. Verſ. 19 et 20, qui haereditatum pristinam non tantum posſesſionem, ſed et longe ampliatam diſtinctius explicant, ita vertendos esſe cenſeo: *et posſidebunt* (ſc. domus Jacobi ex vs. 17.) *auſtrum cum monte Eſau, et planitiem cum Philistaeis*, h. e. verſus auſtrum ſeſe, ad montem Eſau incluſum usque, et in planitie ad meridiem, ad *Philiſtaeos* usque ſe extendent eorum posſesſiones. Sunt qui הנגב et השפלה nomin. caſu accipiunt, et per ellipſin pro ישבי הנגב *incola auſtri* ſumunt, verum id 1. durius est, 2. cum ſequentibus non cohaeret, ubi וירשו abſolute ſine nomin. repetitur, argumento, nomen ex praeced. esſe repetendum, quod in initio verſus etiam fieri debet. Pergit propheta: *et posſidebunt agrum Ephraim, et agrum Samariae, ac Benjaminis*, Gi-

(q) Grotius, L. Capellus, alii, bene monuerunt hic ea respici, quae a *Macchabaeis* facta ſunt in *Idumaeos;* hi namque, Josepho teste (*Archaeol. Jud.* XIII: 9. 1), duce Hyrcano, Simonis filio, a *Judaeis* ſunt ſubacti, et coacti ad ſuſcipiendam religionem *Judaicam*. Hac autem ſuscepta, *Idumaeorum* natio nulla amplius fuit, quippe inita cum *Judaeis* ſocietate, habiti ſunt pro *Judaeis*. Legatur Schnurrerus pag. 417. et ſeqq. L.

Gileadum. h. e. proxima loca ad ſeptentrionem et orientem. alii ultimas voces vertunt: *et Benjamin Gileadum* ſcil. haereditabit. ſed (a). quare Benjamin in ſpecie Gileadum? (b). nulla ratio est Benjaminem memorandi cum de Judaeis in genere loquatur Propheta; niſi elegantiae orationis ſublimioris id ſit attribuendum, qua *tribus* dividuntur et univerſus populus in genere intelligitur, quod non ita diſplicet.

§. XXX. Reſtabant ultimi haereditatum termini ad *ſeptentrionem* et *auſtrum* definiendi, quos complectitur vs 20. ita vertendus: *et exules ejus exercitus filiorum Israëlis; quicquid est Cananaeorum, ad Sareptam usque* (quae est inter Tyrum et Sidonem), ſc *posſidebunt*, ut ex ſeq. patet. *et exules Hieroſolymae quicquid est in Sepharada, posſidebunt, cum urbibus austri.* Exules filiorum Israëlis ſunt in genere illi, qui extra *Hieroſolymae* ditionem in exilio abducti ſunt, quippe a quibus exules *Hieroſolymae* tantum diſtinguuntur. Multi enim jam a IV*to* anno Jojakimi ad nostrum prophetam usque erant abducti. Senſus est, quem in initio expresſi, exules ſcilicet reverſuros in pristinas posſesſiones, easque latius extenſuros usque ad *Sareptam* a ſeptentrione, et ultimos *limites auſtrales*. Difficultas tantum est in voce בספרד, quam nec interpretes, nec ego expedire posſum. Judaei vel *Hispaniam* intelligunt, Chaldaeum imitati, vel *Bosporum*, ut ex Hieronymo patet, ſed ſine ratione. Ex nostris alii locum in Oriente,

 vel

vel Chaldaea, alii in *Idumaea*, ut LIGTF. *Chorogr. Lucae praemissa* C. 2. alii *in finibus dominationis*, ex סך *limen*, terminus, et כרה *dominatus est*, ut GROTIUS et CLERICUS, ſed haec omnino aeque incerta ſunt (*r*). Forte a Chald. ספר, quod *tractum*, *littus* denotat, vox derivanda est. Vel rectius vox in duas dividitur, et legitur סוף פרת *limes Euphratis*, ut ſenſus ſit, *Hieroſolymitanos* exſules ad usque Euphratem, ubi exſules degerunt, poſſeſſuros eſſe regiones. Conjectura aliquid roboris acquirit ex LXX, qui verterunt *Ephrat*; pro ספ etiam legi poſſet שפת, *extremitas*, *limes*; Vox שפה frequentatur in limite fluvii denotando; limes quoque poſſeſſionis Israëlitarum *Deut*. I: 7. *Joſ*. I: 14. et alibi ponitur Euphrates.

§. XXXI.

(*r*) Horum commatum, 19 et 20, ſenſus mihi perquam difficilis videtur; habent interpretes, in diverſas partes abeuntes, quo ſententiae praeſidium quaerunt. Mihi, in tanta rerum obſcuritate, quam depellere nequeo, ſufficit lectores ablegare ad CAPELLUM, CLERICUM, SCHNURRERUM, et PFEIFFERUM. hujus viri extat diſſ. ad vs. 15. 20, theutonice conſcripta, in G. C. HARLESII opere periodico, inſcripto: *Kritiſche Nachrichten von kleineren theologiſchen, philoſophiſchen, hiſtoriſchen und philologiſchen Schriften*, pt. 2. vol, 1, pag. 163. ſeqq. L.

§. XXXI. Verſ. 21. de imperio Maccabaeorum agit, tanquam *typo* et praeludio regni Meſſiae, eo tempore manifeſtandi, de quo vid. VITRINGA ad *Jeſ.* XXIV. 23. et XXXIII: 22.



OBSERVATIONES

ad selecta quaedam Hoseae, Joelis et Amosi loca.

Hoseae Cap. IV.

Vs. 18. אָהֲבוּ הֵבוּ קָלוֹן מָגִנֶּיהָ Interpretes vulgo haec verba sic reddunt: *amant* (*dicere*) *date* (*afferte*) *ignominiam principes ejus*, vel, *amant verbum illud date*, i. e. *amant dona cum ignominia*, vel, *amant dona non dedecus*. Sed hae versiones ferendae non sunt. Delendum esse verbum הבו, ortum ex errore descriptoris, tres ultimas literas antecedentis verbi אהבו repetentis, et, cum puncta deinceps adscriberentur artis peritum aliqualem formam verbi effecisse, suspicatus est TELLERUS, *Praefat. praemissa diss. secund.* KENNICOTI, *super ratione textus Hebr. V. T.*, pag. XLVII. Consentit HOUBIGANTIUS; DATHIUS quoque huc propendere cernitur, ita tamen, ut juxta suspicetur, scriptum forte initio אהב אהבו. Potius existimaverim literam א er-

ro-

rore librarii ommisſam et bis legendum esſe אָהֲבוּ אָהֲבוּ, ob emphaſin, amant, amant, i. e. valde amant, vel magis ſecundum indolem linguae Hebraeae אָהֹב אָהֲבוּ, amando amant ignominiam principes ejus: hac ratione omnia clara ſunt. [Eadem coniectura placuit DATHIO in *altera* verſionis editione. Posſes difficilem hunc locum et ſic explicare, ut verbum סָר jungatur vs. 17, tanquam imperativus verbi סוּר, ut dein סָבְאָם pronuntiatur סַבְאָם, ut denique הֵבוּ mutetur cum verſione vulgata et Interprete Chaldaico in הָבִי, per compendium pro הָבִיא ſcriptum, unde haec procedit verſio: *compotatores meretricantur, proceres illorum delectantur ista turpitudine.* At vero nil mutandum videtur; nonnunquam enim docente STORRIO, *Obſerv. ad Analog. et Synt. Hebr.* pag. 191, ejusdem potestatis verbum ad augendam ſignificationem repetitur, quod coalescere posſit celeri pronuntiatione, ut hoc loco, quo duas formas אָהֲבוּ et אֵהֲבוּ e lectione vulgari efficere posſes. Opus igitur non est, ut cum MANGERO, *Comment. a. h. l.* in ſubſidium vocemus Arab. هبا, aut cum DOEDERLEINIO הֵבוּ derivemus a הוּב, ſive a verbo הִיב, Arabibus هيب metuit, derivari, tanquam *tertia perſ. praet. plur. Kal.*, ut ſenſus ſit, metuunt et diligunt ignominiam, i. e. etiamſi non posſint non hanc metuere, tanta nihilominus aguntur peccandi conſuetudine et libidine, ut ament ſi-

ſimul diligantque: Cuius interpretationis auctor est MICHAËLIS (*Orient. und Exeg. Bibl.* vol. 5, pag. 146). AURIVILLIUS, diſſ. *exam. variant. Lect. in text. Hebr. Proph, Hoſeae*, inſert. *diſſ. ad ſ. literas et Philol. Orient. partin.* pag. 609-11, haec habet: „poſſet, ſi pro Tzere, quod jam „ est ſub הֵ, ſubſtituere licet Patach, ſequente „ Dagesch, e verbo הבב deduci, Arabibus هبب „ *flare, ferre citatiori agilitato impetu, libidine;* „ vertendum itaque eſſet, *diligunt ignominiam,* „ *citato impetu in eam proruunt.*" Sunt tamen, ni fallor, hae verſiones ſic comparatae, ut a ſimplicitate commendationem non habeant, quare acquiescendum in VERSCHUIRII interpretatione, quam et ego ornare conatus ſum. L.]

Cap. V.

Vs. 2. שחטה שטים העמיקו. Locus difficillimus, quem diverſiſſime illustrare conati ſunt interpretes. שטים oritur a verbo שטה, apud Arabes proprie *excutere frenum*, adhibetur de equo ferociente, qui excuſſo freno praeceps ruit, quo vult. : Graecis est ἀφηνιάζειν· Eleganter et emphatice id transfertur ad protervos Jehovae contemtores, ad apostatas et idololatras contumaciſſimos, frenum divinarum legum excutientes, et in omnia ſcelera ruentes pro lubitu; maxime ad regem, proceres, et ſacerdotes, ſcelerum auctores. Hi

Hi jam profundam fecerunt mactationem, ut in textu nunc legitur, שחט enim proprie est, *trahere huc illuc*, hinc *jugulare*, quoniam victimae collum, quando jugulatur, huc illuc trahitur, ut omnis sanguis excutiatur. Respici videtur ad caedem civium, qui scilicet comparantur cum feris captis et dein mactatis; constat enim ex historia, frequentes hoc tempore commissas fuisse caedes, sive, quod alii volunt ad animalium mactationem in honorem fictitiorum Numinum. Additur ואני מוסר לכלם, i. e. si מוסר derivetur a סור recedere, *et ego reiectamentum omnibus illis*, vid. Mangerus ad h. l.: mox autem aliam instituam interpretationem. Singularis et animadversione digna est versio Dathii, quae sic se habet „ *quale Venatores profunde abdunt. Ego vero omnes istos castigabo.*" Observat autem in additis notis criticis, se difficilem hunc locum vertere ex lectione τῶν ο et Syri interpretis, quorum ille vertit: ὅ (δίκτυον) οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν; alter וצידא דצידין טמרו פחא *et venatores venantes absconderunt laqueos*. Uterque, e Dathii mente, pro וְשַׁחֲטָה legit צַיָּדִים venatores, et pro שֵׂטִים οἱ ὁ צָרָה, sed Syrus צדים venantes, addito פָּחָא laqueos. Tandem הֶעֱמִיקוּ uterque legit, quod Syrus per טַמְרוּ, abscondunt, explicat, οἱ ὁ per κατέπηξαν defecerunt. Ego vero viri docti coniecturam per omnia approbare non possum; usus enim vocabuli שטים de venationibus nullo probari po-

potest exemplo. Diffiteri tamen nequeo, paulo abruptius huc mactationis fieri mentionem et non ſpernendam videri lectionem Graecorum interpretum, qua lectione recepta, verba nobis hac ratione reddenda videntur: „ *et expanſionem profundam* „ *fecerunt ferocientes apostatae.*" Scilicet, verſu praecedenti dicebantur: ſacerdotes, domus Israëlis, et domus regis fuisſe laqueus et rete expanſum; jam commode ſubiicitur, hos rebelles et ferocientes apostatas, freno divinarum legum excusſo, expanſionem hujus retis profundam, magnam, amplam fecisſe, rete quam latisſime expandisſe, ut eo plures caperent, captos tenerent et ad perniciem traherent. Qua interpretatione, quae egregium hic fundit ſenſum, admisſa, quae ſequuntur rectius hac ratione reddi posſint: *ſed ego disciplina con-ſtringens coarctans omnibus illis.* מוסר derivandum non est a סור ſed a יסר, proprie *conſtringere, ad officium adſtringere, castigare,* notat quoque *conſtringere captivum.* Minatur itaque Deus, ſe ferocientes illos apostatas et ſcelerum auctores, qui excusſo freno ruebant, conſtricturum, coarctaturum, castigaturum esſe. Atque ita omnia plana ſunt. [Conferri meretur AURIVILLIUS l. c. pag. 610. Placet emendatio DOEDERLEINII, in *Auſerleſene Theol. Bibl. vol 2. pag.* 406 et 407, ſubſtituentis pro שחטה duarum literarum transpoſitione שטחה, a שטח, *expandit.* Porro, שטים ipſi est *participium praes. pl.* a שוט, Arabis *urere, adurere,* hinc *vehementius currere,* ſeu *effuſo impetu decurrere,* vid. SCHULTENSIUS

ad

ad Jolum pag. 15 et seq. Denique מוסר interpretatus est per vinculum, quae notio satis frequens est. Hinc oritur sensus, vs. 1 et 2. „*Laqueus estis Mizpae, rete expansum in Tabore; si expansum sit, discurrunt transeuntes: ego vero istos omnes connectam.* Imago petita ab aucupio; uti enim auceps volucres rete captos fasce colligit, sic minatur Deus, se in servitutem abacturum et aucipes et volucres, id est, cum seductores tum seductos. L.]

Cap. V.

Vs. 11. אַחֲרֵי־צָו *Post praeceptum*, quod, quid sit, valde dubium est. Interpretes Graeci, pro צו legerunt שָׁוְא *vana*, quae lectio vel interpretatio, judice VENEMA, spernenda non est. — MICHAËLIS existimat hic et *Jes.* XXVIII: 10, 13 legendum esse צו pro צא, plena forma צוֹא, qua voce *excrementa*, *vomitus*, *sordes* denotantur; hic intelligit vel convivium ebriosorum idololatricum, coenam ebriam, *ire post vomitum*, i. e sectari ebriosorum epulas idololatricas, vel sordes i. e. idola גלולים *stercora* dicta; vid. ejus *versio vernacula* ad h. l. et *suppl. ad Lexica Hebraica* p. 1142. num. 1031. Eodem modo loco citato *Jesajae* קו pro קוא, *vomitus*, qui vulgo קיא vocatur, vid. *ejus versio*. Est conjectura ingeniosa, cujus tamen veritatem praestare non ausim. [Syrus

itidem, ut videtur, nostro loco legit שׁוא; quam lectionem DATHIUS in verſione aſſumſit, et mihi quoque prae ceteris probabilis videtur; facile enim cum literae צ et שׁ ſono ſunt affines e צו oriri poterat שׁוא, et vice verſa. Vocula autem צו non reperitur, praeter hunc locum, niſi *Eſa.* 28: 10, 13, eamque plurimi ad Rabbinorum exemplum interpretati ſunt *praeceptum*, ſic nuperrime VAN DER PALM, V. C. in eleganti *Eſaiae* verſione. Sed, quod pace ſummorum virorum dictum ſit, vix ulla valida ratione evinci poterit praecepti notionem huic verbo ſubeſſe. vid. AURIVILLIUS diſſ. *de vocibus nonnullis rarioribus in Propheta Eſaia*, inſert. l. c. *pag* 553. coll. *pag.* 612. Certe in *Eſaiae* loco parum respondet illa notio vatis conſilio, quod verſatur in ſacerdotum ceterorumque religionis doctorum reprehenſione ob morum pravitatem, maxime vinolentiam. Depingit vates ebrioſorum ſtatum, qui balbutientium inſtar voces repetunt, monoſyllaba cumulant, tentando nunc hanc nunc aliam vocem proloqui. Itaque adſentior AURIVILLIO, KOPPIO (in not. ad LOWTHII *verſ. Germ. Eſa.* vol. 3, pag 112), et ROSENMULLERO (in *Schol. ad Es loc.*) Prophetam voculis nihil certi ſignificantibus uſum eſſe, ut ad vivum delinearet homines vino gravatos. Aliam dedit interpretationem, dignam, quae perpendatur GREVIUS noſter, *de Brieven van den Apostel* PAULUS *uit het Grieksch vertaald*, *vol.* 2, pag. 377. Quod vero ad MICHAËLIS attinet conjecturam, licet haud male vs. 10. congruat,

gruat, vs. 13. tamen, ubi eadem recurrunt verba, haud commodum ac decorum fundit ſenſum. L.]

Vs. 13. ירב vix dubito, quin ſit epitheton regis *Asſyrii*, quo ad ejus mores et conſuetudinem relate ad *Judaeos* et *Ephraimitas*, ut ſit rex ἀντικείμενος, adverſarius, qui vel litigare ſoleat et contendere cum illis. Proprie est Futurum verbi רוּב vel רִיב *litigare*, quod ad bellum transfertur. vid. 1 *Sam*. XV: 5. est itaque rex יָרֵב qui litigare, litem, ſtrepitum excitare, bella gerere ſolet; cujus nota characteristica ſit bella ex bellis ſerere eaque continuo gerere; *Israëlitas* quoque bello aggredi. Futurum ſaepe adhibetur de eo, qui aliquid facere ſolet, de opere conſueto. Repetitur idem *titulus* Cap. X: 6. Hic eo tendit, ut *Israëlitis* ob oculos ponat, quam inepte et ſtolide agant, malorum ſuorum remedium quaerentes apud regem, belli amantem cui nihil dulcius aut conſuetum magis, quam quascunque gentes bello aggredi, litis occaſionem, bellique praetextum arripere, ut ita imperium longe lateque extendat. Quemadmodum deinceps Romani fecerunt ſe callide gentium et Regum litibus miscendo, ſe arbitros gerendo, atque quovis modo ſpecioſum belli praetextum quaerendo.

Cap. VII.

Vs. 7. Nomen אדם hoc loco non est nomen proprium primi hominis, neque notat quemcunque hominem, quaſi ſenſus esſet: ſicuti homo trans-

gressi sunt foedus, seu, ut quisque solet ex naturali levitate et imbecillitate; haec enim interpretatio non convenit cum vatis consilio, quod est crimina aggravare et exaggerare; sed collective denotat *homines gentiles*, nulla singulari ad Deum relatione insignes, nulla praerogativa prae communi hominum genere praeditos, opposite ad *Israëlem*, peculiarem veri Dei populum. Sensus huc redit: *illi sunt et praestant se non populum foederatum, peculiari modo mihi, vero Deo, obstrictum, sed gerunt se tanquam homines gentiles, nullo foedere mecum conjuncti.* Hunc usum vox אדם, ubi *Israëli* opponitur, saepe habet, v. g *Jes.* 43: 4. *Jerem.* 32, 20. *Ps.* 78, 60. *Ps.* 124, 2.

Cap. VIII.

Vs. 1. כַּנֶּשֶׁר עַל בֵּית יְהוָה Prioris membri verba valde abrupta sunt. Scena est vigilis et nuntii, qui, ubi hostis jam in propinquo est, instruitur mandato, quanto citius mala ingruentia quaqua versum disseminandi. Verba, modo memorata, significant, tanquam aquilae adventus domui *Jehovae* imminere hostem, אוֹיֵב, Assyrium. Hostis hic cum aquilis, maximo et celerrimo impetu in praedam irruentibus comparatur. בֵּית יְהוָה non hoc loco est *templum Jehovae*, sed, ut videtur, *familia Jehovae*, quomodo per μίμησιν vocatur populus *Israëliticus*, qui non ob-

ſtante defectione videri et appellari volebat *Jeho-vae* populus et peculium. vid. MANGERUS ad h. l. Sic *Hoſ.* IX: 8. Potest quoque בית יהוה conſiderari tanquam epitheton terrae promisſae, ſeu ſanctae. ſic certisſime *Hoſ.* IX: 15 מִבֵּיתִי אֲגָרְשֵׁם i. e e domo mea, ſeu e terra Canaanis, quae tota mea domus est, eos expellam. — Hostes cum aquilis, vel potius hostium adventus cum impetu aquilino eodem modo comparatur *Jer.* XLVIII: 4. הִנֵּה כַנֶּשֶׁר יִרְאֶה וּפָרַשׂ כְּנָפָיו אֶל מוֹאָב rurſus *Habac.* I: 8. Nimirum celerrimus hostium impetus est inſtar impetus aquilae in praedam irruentis, atque id quidem est, quod vigiles tuba indicare debebant. Vertamus igitur: *admove buccinam ori tuo! ut impetus aquilae in praedam ruentis, ſic hos-tium adventus contra familiam Jehovae.*

Vs. 2. Vox יִשְׂרָאֵל ſuo loco, e verſu ſequenti per errorem mota. Non legunt illam LXX, *Syrus* et *Arabs*, nec codex KENNICOTTI 96 et 319 ROSSII; Houbigantius transponit, legitque אֱלֹהַי יִשְׂרָאֵל יְדַעֲנוּךָ quod itidem placuit VE-NEMAE.

Vs. 3. זָנַח יִשְׂרָאֵל טוֹב omnino cum SCHROE-DERO reddiderim *rancescens ſubſidit Israël, quo-ad ubertatem*, vel, *exaruit Israël quoad bonum.* in *Obſervatt. Selectis ad Orig. Hebr.* p. 78, ubi vir ſummus genuinam vocis זָנַח notionem ope Arab. dial. in lucem protraxit. טוֹב proprie *ubertas*, ſimul bonum morale, ſimul phyſicum complectitur.

Significatur hac phrasi, *cum* omnes quasi venas sincerae pietatis et virtutis exaruisse, nihil superesse, quam rancidas reliquias, tetrum exhalantes foetorem, *tum* uberrimum quoque divinae liberalitatis fontem antea tam copiose manantem arefactum et rancidum esse.

Vs. 4. Potissimum in hoc versu respici videtur ad tumultuariam illam regum electionem et remotionem hoc tempore per tumultus, caedes et parricidia fieri solitam. Pro הֵשִׂירוּ legendum videtur הֵסִירוּ *amoverunt*, quae lectio nititur auctoritate nonnullorum Codicum et ipsius *Masorae*. vid. Rossius ad h. l.

Vs. 5. זָנַח עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן Eleganter reddidit Schroederus l. c. p. 80. *rancidus est vitulus tuus, Samaria!* h. e. ille vitulus, quem vos, *Israëlitae*, religiose colitis adeo mihi detestabilis est, ut totus rancere et intolerabilem foetorem exhalare videatur. Scilicet illud *rancere* speciali usu dicitur de animali ejusmodi vitio vel morbo laborante, ut molestum foetorem ex faucibus exhalet. Quo respici videtur in phrasi altera: *excanduit nasus meus in eos*, quasi dicas, tam tetri foetoris impatiens meus nasus tandem irae igniculis accensus est, et in illum vitulum ejusque cultores totus excanduit. Exhibui ipsa verba summi Schroederi, cujus morte irreparabile fere reipublicae litterariae illatum est damnum, et diu lugebimus in litteris Orientalibus principem, nobis quoque semper amicissimum.

Vs.

Vs. 11. Non cum MICHAËLE aliisque reddiderim: *Ephraim struit altaria ad peccandum, altaria sua sunt ipsi peccato*; sed secundum proprietatem verbi חָטָא *multiplicavit Ephraim altaria ad lapsandum, sunt ei altaria ad lapsandum*, sive *multiplicavit aras, sunt ipsi ruinae*. Eleganter ludit vates in ambiguitate hujus verbi, quod proprie notat *labi lapsu lubrico*, hinc in usu *labi in peccatum, peccare*, verum etiam *labi in malum physicum, in perniciem*; utitur itaque figura Antanaclasi. Ita quoque hunc locum explicat ARNOLDI in *Observatt. ad Proverbia* p. 44; de propria hac notione consulendus quoque A. SCHULTENSIUS *ad Prov.* p. 95 — Ex hoc fonte oritur quoque illa apud Arabes frequentissima notio *errandi et aberrandi a scopo*, semel in Sac. Cod. obvia, *Jud.* XX: 16, cum telum lubrico motu excidit vel praeterit scopum, quod Graeci exprimunt verbo διαμαρτάνειν, vid. JOSEPHUS *de bello Judaico Lib.* V. Cap. VII. p. 343. خطا de errore occurrit apud ABULFEDA in *vita Muham.* p. 109, in *fabulis Bitpai* p 79. multisque aliis Arabum scriptorum locis.

Cap. IX.

Vs. 6. — מַחְמַד לְכַסְפָּם, quae lectio si retineatur, verba sic reddenda videntur: *desiderabilia pro argento eorum*, קִמּוֹשׁ יִירָשֵׁם, *urtica haereditabit*

illa, i. e. agri illi cultisſimi et fertilisſimi, quos magno pretio ſibi compararunt, manebunt vastati et carduis quaſi in haereditariam posſesſionem tradentur. Haec lectio confirmatur antiquorum interpretum auctoritate, atque ita intellecta non offendit lectorem in hac ſermonis ſerie. Non hic cogitandum de argenti theſauris urticis et carduis tegendis. Igitur non magnopere deſideramus lectionem aliam מחמד לנפשם, *deſiderium animae ipſorum*, quam KENNICOTTUS invenit in Codd. 3. et ROSSIUS in uno; quaeque nobis videtur esſe emendatio cujusdam critici, lectionem vulgatam non intelligentis, quia hic cogitabat de ſuppellectili argenteo, urtica tegendo.

Vs. 12. בְּשׂוּרִי מֵהֶם cum recesſero ab illis tunc אוֹי לָהֶם, vae illis, ſors illorum longe miſerrima erit. Attentione digna est conjectura MICHAËLIS בְּשׂוּרִים הֵם, *namque et laeti nuntii* (de nata ſobole) *vae illis ſunt:* quam in verſionem ſuam recepit, vertens, *quin nuntius de nativitate filii ipſis tristis nuntius erit.* Verbum בִּשֵּׂר apud Hebraeos et Arabes de nuntio laeto et tristi pro diverſa rei annunciatae indole uſurpatur. Tutius erit in lectione et verſione vulgari acquiescere; litterae enim ס et שׂ ſaepe permutantur et olim promiscue in uſu erant סוּר et שׂוּר.

Cap. X.

Vs. 1. גֶּפֶן בּוֹקֵק יִשְׂרָאֵל Quemadmodum in ipſo verbo רָקַק aliquid est ambigui, ita forte quoque in epitheto hoc *Israëli* dato, ita ut cum vitis foecunda, late ſe diffundens, tum ab hostibus violenter laceranda, deſignetur: ſpeciali enim uſu adhibetur verbum hoc de laceratione racemorum vitium; de iis, qui botros inde revellunt avidisque manibus abrumpunt. Secundum proprietatem, *vitis crepans*, cum crepitu exploſa, vocatur quod copioſam edat prolem; verum etiam crepitum edens, quando ejus racemi et botri violenter abrumpuntur.

Vs. 2. — הוּא יַעֲרֹף מִזְבְּחוֹתָם. Pronomen הוא *ille* referendum est ad hostem Asſyrium, ſive exercitum Asſyriacum, cujus terribilis adventus in praecedentibus praedictus et deſcriptus erat; adeoque ad ſubjectum non expresſum, ſed ex orationis ſerie facile ſupplendum. Quod in dictione Prophetarum conciſa et affectuoſa ſaepe contingit. — Verbum עָרַף vulgo ſignificat *decervicare*, *decollare*; phraſis autem inſolentior est *decervicare altaria*. Notio illa, *cervicem reſecandi*, ſecundaria est, ducta a nomine עֹרֶף *cervicem* denotante: — Quae ſi retineatur figura, deſumta est ab homine malefico, cui cervix publico ſupplicio detruncatur. Reſpicitur ad altiorem altarium ſtatu-

 ram,

ram, quippe quae altiorem basin sibi substructam habere solebant, quae quando decutiebatur, ara quasi decollabatur, ita ut de sua basi rueret, quemadmodum ruit caput hominis decollati. — Sed illa figura non opus est, cum verbum ערף in origine sua simpliciter notet, *caedere*, *succidere*, ut recte observavit *Cl.* MANGERUS. Sic omnis evanescit difficultas. Non itaque indigemus HOUBIGANTII conjecturis criticis, qui pronomine הוא adeo offendebatur, ut pro eo legendum putaret יהוה, et pro יהרס יערף, quia Alexandr. habent κατασκάψει, sensum, non notionem verbi Heb. exprimentes. Vel suspicatur legendum יצקר *eradicabit*, *evellet*. Quae correctiones nimis sunt violentae, nec illis opus est. Statuarum destructio designatur verbo יְשֹׁדֵד, quod est Futurum in Poh. verbi שָׁדַד significantis *vastationem*, quae fit incursatione et violentia hostili.

Vs 5. — Verbum גול proprie *gyrare*, *verti in gyrum* seu *rotundum*, vulgo adhiberi solet de choreis et publica panegyri hominum laete exsultantium: huic itaque seriei multis aptum visum non fuit. Quare E. CALMETUS conjicit legendum esse יחילו *dolebunt*, prae dolore se huc illuc parturientis instar versabunt. Quam conjecturam, nulla Codicum auctoritate confirmatam, avide arripuit HOUBIGANTIUS. Temere procul dubio, quia idem verbum גול in malam quoque partem accipitur, exprimens summum gradum luctus, doloris et consternationis, quod Graeci verbo δι-

νεῖ·

νεῖσθαι exprimunt. — Data autem opera et summa cum elegantia Propheta hic utitur verbo גול, ut in ejus ambiguitate luderet, et doceret, eosdem sacerdotes, qui antea propter hunc vitulum et in ejus honorem sese in gyrum circumagere solebant, nunc longe alia ratione ob vitulum omni gloria orbatum in gyrum circumagendos esse. — Non enim verisimile, sacerdotes idololatricos laete circa Numen suum saltasse, populo licet lugente, quando illud in terram peregrinam abducebatur, ut visum est MICHAËLI. De luctu, dolore, consternatione adhibetur. גיל *Ps.* II: 11. — Verbum גור in membro praecedenti non significat *iter facere*, *peregrinari*, sed *formidare*, *expavescere*, metaphora ab eo desumta, qui prae metu et periculi rumore de via deflectit ut periculum vitet, sibique caveat. *Deut* I: 17. *Ps.* XXII: 24; ita habemus, propter vitulum vel bovem expavescent *Samariae* incolae.

Vs. 7. — Hanc dedit versionem MICHAËLIS *comparemus Samariam cum aliqua re! rex ejus est instar navis fractae, quae sine malo et clavo in mari circumvehitur.* Nimirum reges post JEROBOAMI II. mortem in brevi et turbulento suo regimine erant instar navis, malo clavoque destitutae, in mari vento vehementissimo commotae. Ingeniosa sane est conjectura; nobis tamen dubitare liceat, num haec revera auctoris mens sit. Dubia nobis videtur ea nominis קצף notio.

Equidem novi virum doctissimum eam exemplo *Alcor. Sur.* XVII: 70. confirmare conatum fuisse

in

in *ſupplem. ad lex. Hebr.* v. 2284. ſed قاصف ibi certisſime notat *ventum* vehementisſimum, *frangentem.* v. קצה قصف, ſignif. *frangere*, quasſando confringere: adhiberi ſolet de gravisſima procella, obvia quaecunque frangere minante. Inde ad vehementem *iram* transfertur. Univerſe itaque uſurpatur de fractione arborum, navium, aliorumque obviorum a procella facta. Inde tamen nondum liquet nom. קֶצֶף *navem fractam* denotare, nullo hactenus exemplo id probatum vidi; قصيف قصف est *fractus arboris ramus.* Eadem videtur esſe notio Hebr. nom. קֶצֶף; retineamus puncta Maſoretica, v. נִדְמֶה, quod bis quoque occurrit vs. 15. Hic prodibit ſenſus, *Exſcindetur Samaria*, *rex ejus inſtar fracti rami arboris*, *ſuper aquarum ſuperficie.* Ramus arboris fractus, in mare aut fluvium abjectus, aquarum a vento commotarum impetu propellitur, e conſpectu removetur, et aufertur. Videtur quoque de foliis, virgultis, et ſarmentis, ramusculis qua tenerioribus adhiberi, qui in aquam projecti facile asportantur et pereunt. Ita intellexerunt Alexandrini reddentes כְּקֶצֶף ὡς φρύγανον· קְצָפָה Joël. I: 7. est *arboris diffractio.* Conf. Mangerus. Praeteritum et mihi futuri uſum hic habere videtur, quam opinionem in Dathio reprehendit Mangerus; ſed nostrum praeteritum נִדְמֶה arctius connexum est cum futuris praecedentibus יוּבַל, יִקַּח, יֵבוֹשׁ, propterea adſumit uſum futuri, licet ו converſiv. nunc omisſum ſit, quod Schroederus non neglexit an-

no.

notare in ſua *Syntaxi in not.* ad §. XLVII p. 338.

Vs. 9. שם עמדו ſingularis est verſio Michaëlis, *ibi ſtabant inertes.* refert hoc vir doctisſimus ad *Ephraimitas*, et ſuspicatur eos in bello contra *Benjaminitas* fraudulenter egisſe, nec pugnasſe, ex invidia et aemulatione, qua Judae tribum proſequebantur, quia oraculo primae hujus belli partes demandatae erant tribui Judae Judic. XX: 18. Hanc itaque duplicis cladis cauſam fuisſe opinatur. At vero, ſi haec cladis fuerit cauſa, aliquod ejus in historia occurreret indicium, vestigium aliquod, quale nullum reperitur. Cap. XII. hujus libri auctor non disſimulavit *Ephraimitarum* invidiam: quare ergo eam hic non memoravit, praeſertim ſi tantae calamitatis fuerit cauſa? contra omnes Israëlitas unanimi conſenſu, exceptis incolis Jabes in Gileade, bellum hoc ſuscepisſe et gesſisſe narrat. Pſ. LXXVIII: 9. dicitur quidem *filios Ephraimi armatos jaculis arcuque inſtructos, ſe vertisſe die praelii*, retro in fugam vertisſe; ſed poetam ad hoc reſpexisſe praelium non liquet. Neque hactenus demonſtratum est proprie hoc intelligendum esſe, vid. Cl. Venema in *Comm.* Legitur quidem *Judic.* XX: 39 et 41. *Israëlitas*, non ſolos *Ephraimitas*, doloſe ſe in praelio retro vertisſe, fugamque ſimulasſe; verum haec victoriae Israëlitarum et *Benjaminitarum* cladis cauſa fuit. Hoc in caſu potius Ephraimitas abſolverem, quamvis certum ſit, eos inde a primis Reipublicae initiis per omnia tempora Judae tribum *aemulatione*

et

et invidia fuisse profecutos, quae multarum calamitatum, regni scissi, et utriusque regni ruinae origo fuit, quemadmodum docui in Dissert. *de aemulatione Israëlitarum mutua.* quae primum inserta est *Bibliothecae Bremensi Novae, et edita* anno MDCCLXII. Deinceps eam aemulationem animadvertit quoque MICHAËLIS de *jure Mos. tom* I. §. 47. qui liber primum editus fuit anno MDCCLXX, ut ipse, fatetur in *Biblioth. Or. et Ex.* t. VI. N. LXXXVIII. p. 44. adeoque octo annis post nostram *Diss.* editam.,—omnes mecum mirabuntur *Bibliothecam Bremensem* N. *octo annos* virum tantae curiositatis et lectionis vastae latuisse, nec *Dissertationem* nostram ab ipso lectam fuisse, priusquam una cum aliis nostris *Dissertationibus* denuo in lucem prodiret anno MDCCLXXIII. Praesertim si §. XLVII. tom. I. *juris Mos.* cum *Diss.* nostra contulerint. Fatetur tamen se anno MDCCLXX. non novisse eam, in *Bibl. Or. et Ex. t.* VI. p. 44. Scilicet tantum virum, innumeris obrutum negotiis, facile capere poterat oblivio exigui libelli ante octo annos lecti. Sed redeo ad locum nostrum v. עמד de militibus in praelio adhibitum potius significat *firmiter contra hostes niti*, non fugere, sed pugnare fortiter. Fortissimi milites *stant* in acie, non se in pedes conjiciunt, hostibusque terga obvertunt. PLUTARCHUS CATONEM *Majorem* laudans dicit, *παρεῖχε δ᾽ αὑτον ἐν ταῖς μάχαις τῇ μὲν χειρὶ πλήκτην, τῷ δὲ ποδὶ μόνιμον καὶ βέβαιον.* in ejus vita §. I. Nisi velis cum MANGERO reddere: *superstitem manere* et de

Ben-

Benjaminitis intelligere. digna docti hujus viri hujus vs. interpretatio, quae legatur. Clarisſimum autem indicium *aemulationis*, qua Juda Ephraimum proſequebatur occurrit in Pſ. LXXVIII. 67, 68 ubi poeta dicit, *ſprevit tentorium Joſephi, nec elegit tribum Ephraimi; ſed Judae tribum elegit, amat montem Zionis.* Idem magis lene dicitur *Pſ.* LXXXVII: 2. *portas Zionis amat Jehova prae omnibus aliis habitationibus Jacobi.* Cujus elegantisſimi carminis initium et finis magna laborat difficultate et obſcuritate; Liceat mihi hic, ὡς ἐν παρόδῳ, meam de his ſuspicionem, multis variisque interpretum, etiam recentisſimorum, conjecturis, quibus ſuum pretium integrum relinquo, addere. Quod ad vs. 1 et 2. attinet, valde probabilis videtur SCHNURRERI, interpretis eruditi, ingenioſi et elegantis, opinio, in *Diſſ. phil. crit.* p. 148. putantis verba hac ratione esſe conjungenda,

יסודתו בהררי קדש אהב יהוה
שערי ציון (אהב) מכל משכנות יעקב׃

ſed vel ſic deest *ſubjectum*, ad quod referendum ſit pronomen affixum in יסודתו; mihi, de hac difficultate cogitanti, vix dubitandum videtur, quin pro שיר legendum ſit עיר *urbs*. Inſcriptio Pſ. est לבני־קרח מזמור, tum ſequuntur duo vs. paralleli

עיר

עיר יסודתו בהררי קדש אהב יהוה
שערי ציון (אהב) מכל משכנות יעקב׃

amat Jehova urbem, quam ipse fundavit in montibus sanctis.

portas Zionis (amat) prae omnibus habitationibus Jacobi.

Hac ratione omnis ſublata est difficultas, voces עיר et שיר librariorum errore facile confundi potuerunt, praeſertim cum ſaepe in Pſalmorum inſcriptione occurrat שיר, etiam post מזמור. Quam vocem ſi quis, etiam in hac inſcriptione pertinaciter defendere velit, per me licet, ſi modo ſtatuatur hanc praebuiſſe occaſionem omisſioni vocis עיר, in carminis initio. Sed praecipua difficultas reſidet in vs. ultimo, ושרים כחללים כל־מעיני בך, quae verba maximam interpretibus crearunt molestiam. Ipſe MICHAËLIS ſibi aquam haerere fatetur. Cl. VENEMA hoc modo tentavit, *et canori instar fistulantium omnes fontes mei in te*, quae verſio non est adeo inepta et ridicula, ut SCHNURRERO videtur, cujus hic modestiam deſidero, et reverentiam erga virum vere magnum, et optime de Pſalmis et tot aliis libris S. meritum. Introducuntur ſic fontes, ab HISKIA, obſidionis metu extra urbem obturati, ſed in eam per varios canales deducti, tanquam laete Dei liberatoris laudem canentes, et publicam civitatis laetitiam exprimentes, coll. Pſ. XLVI: 5. Quod ne quis miretur in poeta orientali, audiat aucto-

rem

rem Pf. XCVIII: 8, *fluvii complodent manus*, יחד הרים ירננו *montes una laete canent*, et Jef. LV: 12, *omnes arbores agri complodent manus*, ubi etiam *montes* et *colles* in publica laetitia introducuntur, laetum edituri cantum. conf. Pf. XCVI: 11, 12. Qua figura poëtica indicatur civium esfe Deo liberatori laetos canere hymnos, eique agere gratias. Talem figuram *Gr.* et *Rom.* poetis non esfe ignotam, ipfe vir doctus probe novit. Strepitus, murmur, rumor, quin vox et clamor fluviis, mari, et litori a poetis tribui folent, vid. J. F. GRONOVII Obf. l. II. Cap. XVII. a *Cl.* VENEMA ibi cit. Quibus quoque membra humani corporis a poetis attribuuntur. Recte ibi GRONOVIUS, *diverfum est*, *cum Philofophus disputat de natura qualis est*, et *cum poeta facit naturam*, *quod non est: ejus enim folius id imperium.* Quae omnia eximio huic Philologo notisfima funt. Doleo viro polito hic et alibi excidisfe verba parum decentia et interpretem magnum, fine controverfia de S. Codice optime meritum, parum digne excepisfe. Ipfe VENEMA de fua conjectura haud fecurus, ei LUTHERI fubjunxit interpretationem. Audiamus nunc SCHNURRERUM, hoc modo legentem, et verba ordinantem

ושרים כחול לים
כל־מעיני בך׃

eruntque viri principes innumeri,
qui omnes apud te commorabuntur.

Proprie eruntque viri principes *instar arenae maris.* Diffiteri nolim comparationem hanc me nonnihil offendere. Nemo ignorat, solere Orientales innumerabilem multitudinem cum arena, quae est in litore maris comparare; sed si principum, in urbe *Hierosolyma* habitantium, tam immensa sit copia, ut comparandi sint cum *arena* litoris marini, quocum comparabuntur cives, qui principes numero multum superaverint oportet? rectius sane cives, quam principes, hujus urbis cum hac comparantur arena. Dubito quoque an עון in *Hiph. habitandi* notionem habeat, aut habere possit. Nullus denique antiquus interpres huic lectioni favet. Praeferrem versionem J. H. DATHII, *et canent tripudiantes omnes* (felicitatis meae) *fontes in te sunt.* Aut potius MUNTINGHII, Psalmorum et Proverbiorum interpretis eximii, cujus eruditionem, judicium, et modestiam magni facio, qui sic legit et interpretatur

ושרים וחללים כלם מעני בך

et omnes cantores et lusores alternatim de te canent.

Mihi jam permissum sit sententiam dicere. Suspicor legendum esse

ושרים מחללים כל מעוני בך׃

et omnes laetas choreas ducentes canent, habitatio mea in te!

Hoc

Hoc est, pro maxima felicitatis parte habebunt, ſe in urbe *Hieroſolyma* habitare; de eo gloriabuntur ſe hujus urbis esſe cives, ſe ſedem fixisſe in civitate adeo bene munita, ornata, frequentata, et fortunata; haec laetorum carminum erit materia, hanc ſuam beatam ſortem omnes incolae hilari animo celebrabunt. Quam poetae mentem recte expresſerunt interpretes Alexandrini, ὡς εὐφραινομένων πάντων ἡ κατοικία ἐν σοί. ושרים *et canentes*, partic. ſaepe habet uſum verbi praeſentis vel futuri, idem hic ac *et canent*, vel *canunt*. מחללים ſunt *ſaltantes*, *tripudiantes in choris*; quem uſum certisſime habet, ſive derives a חלל ſive a חול; ſic *Judic.* XXI: 21. לחול במחלות, ibidem vs. 23. virgines in choris *ludentes ſaltantes*, *canentes* vocantur מחללות, ipſe ſaltantium chorus dicitur מחול, בני מחול *filii chori* ſunt *Muſici*, vel *poetae*. Haud dubie haec derivanda ſunt a חול pr. *verti* in *latus*, vel in *orbem*; quod ſaepe quidem adhibetur de eo, qui prae timore, aut dolore, ſe huc illuc verſat; ſed etiam uſurpatur de eo, qui prae laetitia ſe ſaltans *in gyrum vertit*. Ab eodem v. derivatur חול *arena*, ita dicta, quod admodum fluxa et *verſatilis* ſit, atque a vento circummovetur. Si legere velles חללים vel כחללים, ſenſus tamen eodem rediret. cl. VENEMA respexit ad v. חלל quatenus notat *tibiis*, *fistula canere*. כל non cum Maſorethis ſequentibus, ſed praecedentibus cum LXX. int. adjungo. Non male posſet pro כחללים legi בחללים non ſine auctoritate, vid. ROSSIUS. Deni-

nique מָעוֹן non est ſimpliciter *habitatio*, ſed *commoda* rerum copia affluens, bonis abundans, ut docuit H. SYPKENSIUS adhuc juvenis, tunc unus ex meis intimis familiaribus, quando juvenes una ſtudiis operabamur, nunc SCHROEDERI ſucceſsor, in *Diſſ. Phil.* ſub magni hujus viri et communis praeceptoris praeſidio, *Groningae* edita et defenſa, in *Syllog. Diſſ.* p. 932. et ſeq. [Post tot interpretum conatus, quorum laudibus nihil detractum volo, equidem, ut opinor, locus est faciendi periculum novae interpretationis, quam linguae hebraeae et artis critices peritorum examini ſubmitto. Mirari namque ſubit neglectam eſſe paſſim lectionem, quam vs. 5, Graeci exhibent interpretes: hi certe legerunt אֵם לְצִיוֹן יֹאמַר. Haud me fugit ſollicitari receptam textus graeci lectionem, propterea quod *Codex Alexandr.* non μήτηρ ſed μήτι habet, et HIERONYMUS Opp. T. 2. pag. 349. teſtatur, ſic quoque LXX tranſtuliſſe. Notante autem MONTFAUCONIO *Hexapl.*, T. I., pag. 602., ſcholion in codice *Coiſliniano* ſignificat in *Tetraſelido*, ſive in *Tetraplo* LXX habuiſſe μήτηρ, in *Octaplo* autem μὴ τῇ. Certe lectio μήτηρ vetuſtior est, quippe eam exhibent TERTULLIANUS, AMBROSIUS, alii. Praeterea utraque lectio orta est e diverſa pronuntiatione eiusdem vocis, quam alii legerunt אָם alii vero אֵם; ne dicam ſuſpicari quoque nos poſſe אָם et אֵם promiscue eſſe dictum ut אִשׁ et אֵשׁ, בֵּן et בֶּן,

Conf.

Conf. A. SCHULTENS *Comment. in Jobum* pag. 229. — Igitur ſecundum verſionem graecam ſic legendum esſe opinor:

אֵם לְצִיּוֹן יֹאמַר אִישׁ
וְאִישׁ יֻלַּד־בַּהּ
וְהוּא יְכוֹנְנֶהָ עֶלְיוֹן

Quae ſic reddo:

Sionem quisque matrem dicet,
Quilibet namque nascetur in ea.
Ipſe autem ſtabiliet eam Altisſimus.

Qui iam ſequuntur verſus multo ſunt difficiliores. Textum vulgarem corruptum esſe, inter criticos conſtat; de medela vero adhibenda discrepant. Exponam quid mihi prae ceteris probabile videatur. Obſervo igitur, verbum וְשָׁרִים praeeunte verſione graeca referendum esſe ad vs. 6. Dein pro יִסְפֹּר punctorum mutatione repono in *Pihel* יְסַפֵּר. Tum pro כְּחֹלְלִים lego כַּחֲלָלִים. Denique, ultima verba כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ, ſic conſtituenda esſe puto: כָּל־מְעַנַּיִךְ; facile enim fieri potuit, ut ultima ſyllaba repeteretur a librariis, et corrumpen-

 dae

dae lectioni occaſio daretur. Hisce monitis, textum e coniectura apponam:

יְהוָה יְסַפֵּר בִּכְתוֹב עַמִּים וְשָׂרִים
זֶה יֻלַּד־שָׁם
כַּחֲלָלִים כָּל־מְעַנַּיִךְ׃

Unde hic oritur ſenſus:

Dicet Deus, quum populorum et principum cenſum agit,
Etiam hic ibi natus est!
Omnes tui inimici ſunt ſubacti.

Ad verbum reddenda eſſet ultima hemistichii pars, *omnes affligentes te ut vulnerati ſive confosſi*, id est, hostes tui ſunt fracti, adeoque victi. — Notetur, ultima verba efficere epiphonema, quo deſcribitur conditio felix eccleſiae per omnem terrarum orbem propagatae, et ab omnibus inimicorum inſidiis liberatae. L.]

Vs. 10. — Ingenioſe ſuspicatus est VENEMA, alludi hoc verſu ad SIMSONIS historiam: vereor tamen, ut haec conjectura ſe tueri posſit. Maxima difficultas est in voce עינת, lectio marginalis עונות ex ignorantia verae ſignificationis vulgatae orta videtur. ענת non ſunt *oculi*, qui ſemper עינים vocantur, etiam in historia SIMSONIS *Jud.* XVI: 21, 28. Alia ergo huius vocis quaerenda est notio.

Mis-

Misſis aliorum conjecturis mihi placet comparatio cum Arabico عين non quatenus *vomerem* denotat, quaſi *vomer* hic poneretur pro *aratro*, uti Michaëli videtur in *Suppl. ad Lex. Heb.* p. 1895. *num.* 1886. quae ſignificatio nullo, ut equidem opinor, probari potest exemplo; et licet vomerem denotet non tamen aratrum; et quare dixisſet Propheta duobus aratris cum hic de ſolo populo Israëlitico agatur. Sed idem عين proprie *oculus* et *fons*, ſpeciali uſu de oculis magnis boum dicitur, quin ipſe bos ſylvester, ſive bubalus ob amplos oculos عين appellatur. Videntur autem hic a Propheta nomine hoc deſignari עגלות vituli ſeu boves idololatrici ab Israëlitis religioſe culti, forte ob grandiorem figuram, et oculorum nigredinem et amplitudinem, cum feris istis bobus comparati. Quae ſententia eo magis arridet, quia placuit Schroedero in *Obſervatt.* in ſcholis ſuis discipulis communicatis. Sic habemus *ad alligandum eos*, vel *ut eos alligent duobus bubalis*, *bobus* aut *vitulis ſuis*, ut una cum his ſuis idolis in exilium auferantur. Imo أعين est omnis bos amplis et late nigris praeditus oculis; et verſu ſequenti ipſe *Ephraim* vocatur עגלה *vitulus* quo figura fit concinnior, vituli alligantur vitulis, atque ita abiguntur et propelluntur.

Cap. XI.

Vs. 3. Hic obſervanda veniunt, Primo verbum תִּרְגַּלְתִּי esſe conjugationem rarisſimam *Tiphel*, respondens quintae Arabum, vid. SCHROEDERUS *Inſtitt. ad Fund. ling. Heb.* p. 50; porro, קָחָם עַל־זְרוֹעֹתָיו videtur ſignificare: *ſuſcipiendo eos ſuper brachia mea.* Scilicet Deus in prima perſona de ſe tanquam matre vel nutrice loquitur; ſolet illa infantem, qui gradi incipit, ſuper brachia ſua ſuſcipere. Denique קָחָם per Aphaereſin primae literae est pro לקחם a לקח, et pro זְרוֹעֹתָיו legendum, ante multos jam annos viſum fuit VENEMAE, זְרוֹעֹתַי *brachia mea*, littera ו ex voce ſequenti huic adfixa per ſcribam, vid. ejus *Commentar. in Pſalmos Tom.* V. p. 208. Quae conjectura confirmatur auctoritate LXX. Inter. *Syri*, *Vulgati*, *Arabis*, *Codice Lilienthalio* aliorumque nec non editionis *Proph. Sonſinenſi*, 1486. Haec lectio contextui magis congruit, et placuit HOUBIGANTIO, ROSSIO, DATHIO et MANGERO. Minus placet verſio MICHAËLIS: *incedere facio Ephraimum, qui identidem in brachia ſua cadit;* non enim v. לקח habet cadendi notionem; et quum ſequentia reddit: *non animadvertunt, ubi eos laxo a vinculis*, confundit v. רפא cum רפה.

Vs. 4.

Vs. 4. אוֹכִיל. In nonnullis Codicibus legitur אוֹכִיל, quam lectionem MICHAËLIS in *Biblioth. Orient.* Tom. XIX. p. 188. et in verſione ſua ſecutus est. Sed vix dubito, quin lectio vulgata אוכיל genuina ſit; Metaphora enim deſumta videtur ab eo, qui attollit capistrum, ut removeat ad cibandum jumentum, conferatur MANGERUS in *comment.* ad h. l.

Vs. 6. וְחָלָה derivandum a חול proprie *torquere* et *torqueri*, *verſari*, ut recte obſervavit MANGERUS l. c. ceteroquin legeretur חל תה. dicitur de gladio, qui huc illucque vibratur, ad ſtragem longe lateque faciendum. Phraſis vero *conſumere vectes urbium aut aedium* ſignificat *perruptis repagulis omnia vastare et perdere*, vid. MANGERUS l. c. — Ingenioſe comparat VENEMA haec cum phraſi *Jobi Cap.* XVIII: 13. ubi primogenitus mortis i. e. morbus certisſime letalis dicitur conſumere בדי עור, *vectes cutis* i. e. nervos et osſa corporis. — MICHAËLIS in *ſuppl. ad Lex. Heb.* pag. 150., *comedet vectes ejus*, *comedet vectes cutis ejus*, (*monſtrum ſane phraſis et portentum*): ſi ſcilicet אכל tantum *comedere* ſignificet, verum etiam habet notionem quocunque modo conſumendi. Ipſe punctis mutatis legit בַּדָּיו pro *capacitate ejus*, *quantus quantus est*, vid. *Orient. Biblioth.* Tom. 19. p. 189.

Vs. 8. נִחוּמָי. Elegans est conjectura beati VENEMAE, ſubſtituentis רְחוּמַי. viscera mea ut

Gen. XLIII. 30. 1 *Reg.* III: 26. Eadem emendatio venerat quoque HOUBIGANTIO in mentem; ſed jam ante ejus biblia edita ita legendum conjecit VENEMA.

Vs, 9. בְּעִיר, Ignorantia originis verbi עִיר vel עור e dialecto Arabica cognoscendae, a SCHROEDERO, *Obſervatt. Sel. ad Orig. Heb.* p. 25, in lucem protractae, et uſus nominis עִיר vulgaris, quo urbem denotat, veteres interpretes in errorem induxit; et HOUBIGANTIUS ſuo docuit exemplo, criticos temerarios ſaepe mendoſa habere, quae ſunt optima, et quaerere media ubi iis opus non est; omnia enim ſana ſunt, adeoque esſe πόῤῥω κρίσεως ὀρθῆς. Verbum hoc *amoris fervorem*, *Deut.* XXXII: 11. *fervorem laetitiae*, *Job.* XXXI: 29., *irae vehementioris fervorem* Pſ. LXVIII: 38, exprimit. Sermonis nexus hic requirit *fervorem irae implacabilis et ultionis cupiditatis flagrantis*. *Non veniam cum fervore*, id est ira in gentis perniciem effervescente. MICHAËLIS in *Bibl Orient. Tom.* XIX. p. 190, legit בעיר et confert Arab. بعرة quod in lexicis dicitur *iram in Deo vel Deum* denotare, *Syriacum* ܒܥܝܪܐ *de fero* adhibetur, inſtar beſtiae ferae. Sed hujus uſus nullum exemplum in Codice ſacro occurrit. בעיר est *brutum*, *jumentum*, *pecus*, ut notum est; ita quoque *Syriacum* ܒܥܝܪܐ, ܒܥܝܪܘܬܐ autem forma ducta ex ſpecie *Pihlel*,

lel, habet notionem *feri*, *efferati*, *immitis*, non forma ſimplex quantum novimus. Exiſtimamus itaque nostrum בעיר compoſitum esſe ex עיר et praefixo ב, et in data SCHROEDERI interpretatione acquiescimus.

Vs. 10. Suspicatus est VENEMA pro מָיִם legendum מִשָּׁם *ab inde*, ubi et in quo ſtatu erunt. Quam tamen emendationem tueri non audeo.

Cap. XII.

Vs. 1. De hoc loco ſententiam dixi in disſertatione *de Origine et cauſis Idololatriae inter Israëlitas* p. 28. ſqq. et legendum conjeci pro נאמן vel נמור, quia ſermonis nexus tale verbum requirit, vel נאמר, et in verſioni Alex. additur κεκλήσεται vel κληθήσεται, quae ultima conjectura mihi maxime arridet. Certisſime ita legerunt Interpretes Alex. ſed non intellexerunt et proxime accedit ad lectionem vulgarem נאמן ; differentia valde exigua est in una littera, נאמן, נאמר, adeoque est conjectura nec violenta, nec auctoritate deſtituta; nititur enim auctoritate verſionis Alexandrinorum. Qui verba עם־קדושים נאמר, *cum ſanctis*, vel *Numine ſanctisſimo fidelis est*, ſcilicet *Juda*, reddunt, testimonium perhibent, quo indignus erat. Reclamat tota hujus gentis historia, docetque *Judam*, ſi DAVIDIS et SALOMONIS tempora excipiamus, minime Numini fidelem, in ejusque cultu conſtantem fuisſe.

Etiam

Etiam magni reformatoris HISKIAE tempore quando metu regis externam quidem veri Numinis cultus prae ſe ferebat ſpeciem, longe maxima populi pars a ſinceritate, fidelitate, conſtantiaque firma erat remota. Rectius ergo SCHROEDERUS l. c. p. 11. retulit ad proxime praecedens קדושים vertitque *et cum ſancto fido.* At vero huic verſioni obesſe videtur membrorum parallelismus. Ita enim ſe habet; *Ephraim perfidia tanquam indagine me cinxit, et fraude domus Israëlis. Etiam Juda adhuc ultro citroque vagatur cum deo et cum ſancto fido.* Sic evitantur incommoda prioris interpretationis, *Juda* non laudatur ſed vituperatur, ut merebatur, vid. Verſus 3. coll. Cap. 5: 5—10—6: 4. Ultimum tantum membrum *et cum ſancto fido*, loci elegantiam, ut mihi videtur, turbat, et aures offendit, cum ſint quatuor propoſitiones parallelae. MANGERUS quidem huic incommodo remedium adhibere conatus fuit, reddendo *et cum ſanctisſimo Numine fidelis eras;* ſed rurſus incidit in vitium interpretationis antiquioris, primo loco memoratae, neque inter ſe congruunt *vagatur cum deo* et *cum deo fidelis erat.* Locus recte in ſua membra parallela distinctus ita ſe habet:

סבבני בכחש אפים
ובמרמה בית ישראל
ויהודה עד רד עם־אל
ועם-קדושיסמר נא

Quae ſic reddo

Cinxit

Cinxit me perfidia Ephraim,
Et fraude domus Israëlis,
Et Juda adhuc vagatur cum Deo,
Atque fluctuat cum sanctissimo.

Hac ratione omnia prono fluunt alveo; est enim in secundo hemistichio verbum נאמר perfecte respondens verbo רד praecedentis membri, quod significat, *huc illuc vagari*, *ultro citroque discurrere.* Et verbum אמר inter alia habet usum fluctuationis et fluctuantis vicissitudinis, atque נאמר hic valet *fluctuat*, vel ut vis speciei *Hiphal* exprimatur *fluctuante motu agitatur, jactatur.* — At vero objici potest, hanc verbi אמר notionem tantum hac levi niti conjectura, verba מור et אמר esse cognata. Hanc quidem propriam esse significationem verbi מור invictis argumentis probavit SCHEIDIUS in *Canticum Hiskiae* p. 158. sqq. Quo judice verba ימר et אמר vix discrepant in origine a מור, quod viri doctissimi judicium fortasse nonnullis temerarium videbitur, quia verbum אמר, cujus usus est frequens in Codice sacro, ubique fere significat, *dicere, dictare, jubere*, quae notiones ab hac fluctuationis idea discrepare videntur. Nobis illa discrepantia non tanta videtur; utique apud *Graecos* idem verbum ῥέω et *fluere* et *dicere* denotat, unde oritur ῥῆμα *verbum*, *dictum* et ῥεῦμα *fluvius*, *fluxus* .Scilicet a leni verborum fluxu oritur *dicendi* usus, qui in ver-

verbo אמר regnat. — Nec tamen omnia hujus originis vestigia evanuerunt; certe אמור est ramus arboris tenuior *Jef.* 17: 6, 9. in posteriori loco Propheta dicit ביום ההוא יהיו ערי מעוזו כעזובת החרש והאמיר id est *tempore illo evadent urbes munitionis ejus* (*urbes ejus munitae*) *quafi derelictum rami et ramusculi*, quafi fructus in ramo et ramusculo relictus. Duo hic occurrunt nomina ramum denotantia, alterum חרש ramus crasſior, a חרש *tundere*, quod tundendo reſcinditur; ramus alter vocatur אמיר ramus tenuior, quia vento huc illuc leniter impellitur et undante quafi motu agitatur. — אמיר est *participium pasſivum* in *Kal*, verbi אמר, proprie *impulſus leni et fluctuante motu*, et per ſubſtantivi ellipſin, ramus tenuior ita vento impulſus. —— Notio haec vix aliunde derivari poteſt, quam ex hac origine. Praeterea prorſus idem uſus fluctuantis et incerti judicii, quem verbum אמר nostro judicio in hoc *Hoſeae* loco habet, conſervatus est ab Arabibus, qui *virum imbecilli*, *incerti*, *et huc illuc fluctuantis conſilii et judicii*, qui a quovis facile huc illuc trahitur, vocant امرة, et امر Hic itaqne verbi אמר uſus firmo nititur talo, licet alibi in ſacro codice non reperiatur, quod ſane mirandum non est in tanto veteris Hebraeae linguae defectu. Aliis quoque id accidit verbis, ut eorum uſus aliquis, aut primaria notio, in uno tantum ſacri codicis loco reperiatur, ut norunt harum rerum periti, quorum judicio haec lubens

per-

permitto. — Uſus hujus verbi אמר. apud Arabes exemplum occurrit in *Alcorano* Cap. XII: 53. ubi uxor viri nobilis de Josephi concubitu petito accuſata, dicit *non me purgabo*, *nam anima* لأمّارة بالسو, *fluctuans in malo*, modo ad hoc modo ad illud malum propenſa et inclinata, non uni dedita malo, ſed ad varia crimina jactata et impulſa incerto et fluctuante conſilio et varia cupiditate. — In loco hoc *Hoſeae* eleganter et vivis coloribus pingitur inſanum illud Judaeorum ſtudium, quo identidem in peregrina et alia ferebantur Numina, modo in haec, modo in illa, quae cum Deo vero conjungere volebant; et haec videtur vera ratio, quare dicuntur, *non vagari a Deo*, ſed *cum Deo* et cum Deo ſanctisſimo fluctuare, ut in *diſſert. citata* obſervavi. — Licet vel maxime Judaei, cum decem tribuum Israëlitis comparati, habita ratione cultus numinis laudari posſint, tamen hujus temporis Judaei tanta et tam univerſali laude erant indigni: neque nunc eos laudare propoſitum Prophetae erat, ut ex locis citatis liquet. —— Mox verſu tertio dicit ורוב ליהוה עם־יהודה, *et lis Jehovae cum Juda*. hic tam Juda, quam Ephraim comprehenditur et verum Judae crimen accurate deſcribitur: non prorſus a Jehova defecerant, ſed publice eum colebant in templo ad normam a Mose praeſcriptam; attamen cum veri Dei cultu legitime praeſtito eum fictitiorum Numinum, modo horum, modo illorum conjungebant. —— Israëlitae etſi Jeroboami tempore non plane a Jehova de-

defecerunt, tamen non secundum Mosis legem coluerant eum, hoc tempore jam dudum veram religionem prorsus deseruisse videntur, cum Judaei adhuc publice speciem pietatis in Jehovam, tempore Hiskiae praesertim, prae se ferrent, licet consilii et judicii essent maximam partem imbecilli, incerti atque fluctuantis, modo magis Jehovae, modo Idolis dediti, et quidem hoc tempore his, alio aliis. Quare Propheta dicit vs. 3. cum Juda quoque Jehovae lis est, quasi diceret insons quidem Judaea videri posset, et ab Idololatriae crimine immunis, nam publice Jehovam colit; hoc tamen non obstante lis Jehovae est et cum illo, quia non firma constantia deliberato animi consilio et certa ac haud dubia persuasione et fide Jehovam colit, licet tam aperte non defecerit, quam Ephraim. Haec autem Judaeorum culpa ab ea Ephraimitarum distincta, praecise definitur, exprimitur et notatur verbis רוד et אמר. — Prioris genuina indoles intelligitur ex illis, quae Schroederus l. c. ex suis Arabicae eruditionis thesauris in medium protulit. Sequens cum Jacobo, pio illo Patriarcha, comparatio, occasione nominis hujus facta, eo mihi tendere videtur, ut hoc optimum exemplum imitatione dignum Judaeis et Israëlitis ob oculos ponatur, ostendatur quantopere ab illo degeneraverint, et incitentur, ut ad illius exemplum ad Deum, pietatem et virtutem firmo animi proposito redeant; sic futurum esse ut Jehova cum iis in gratiam redeat; nomen enim Jehova docere, Deum esse firmum et constantem in suis promissis, sed

cor-

corruptionem populi tantam esse, ut nunc potius cum veteribus *Cananaeis* sint comparandi, eorumque nomine non *Jacobi* digni.

Cap. XIII.

Vs. 1. Cum ipsum verbum רתת in dialectis supersit, ejus usus potius investigandus est, quam verbum alienum רדד in consilium adhibendum. — Apud Chaldaeos et Sijros ܪܬܬ notat *tremere*, *contremiscere*; Arabicum رَتَّ adhibetur de *lingua*, *tremente impedita*, *blaesa*, *praecipite* et *balbutiente*. — In nostro itaque loco si דבר construatur cum ארנים, hic prodit sensus: quum Deus tanquam judex ex tribunali eos alloquitur causam eximinaturus, defendere se nequeunt prae metu ex culpae conscientia orto, contremiscunt, nihil sani quod vel intelligi possit proferunt adeoque eos condemnat, et ob cultum Idololatricum capitali afficit poena, i. e. reipublicae destructionem per hostes Asyrios afficiendam, decernit. — Nos haec olim alia ratione interpretari solebamus, hac nempe; *cum loquebatur Ephraim tremere*, h. e. cuncti tremebant, tantae olim erant tribus Ephraimiticae vires, tanta auctoritas, ut illa loquente reliqui tremerent, vix hiscere auderent, non nisi balbutirent, qua hyperbolica phrasi excellentia hujus tribus effertur. — נשא הוא בישראל *ipse se extulit* (legi potest נָשָׂא) inter re-

reliquos Israëlitas, inter caeteras tribus; *sed lapsus fuit propter Baalem*, cultum Idololatricum lapsus fuit in reatum et perniciem. *Ephraim* reliquis ad Idololatriam fuit auctor et antesignanus, ipse itaque cum fratribus ruit in exitium. Unum hoc huic sententiae obstat, *Ephraim* hic ubique fere totum populum Israeliticum designare, vid. MANGERUS ad h. l.; attamen hoc in commate *Ephraim* diserte distinguitur ab *Israële*, dum dicitur נשא הוא בישראל *extulit se*, vel illatus fuit in Israële; forte in pluribus hujus libri locis *Ephraim* tribus princeps a reliquis *Israëlitis* distinguitur, sed nihil definio; sit judicium penes lectorem.

Cap. XIV.

Vs. 3. כל־תשׂא עון וקח־טוב Vertendum *omnia condones quidquid fuerit delicti, et aufer bene.* — Verbum לקח etiam significat *auferre* v. gr. *Gen.* V: 24, non erat amplius in terris ENOCHUS, אלהים כי לקח אתו, *quia abstulerat eum Deus.* טוב aliquando usurpatur adverbialiter pro *bene*, *vehementer*, *valde*, ita *Syri* ܛܒ *Matth.* II: 16 -- VIII: 28. -- XVIII: 6. -- XVIII: 31. -- XIX: 25. et passim alibi.

Phrasis פרים שפתינו Interpretibus molestiam facit. LXX. reddiderunt καρπον χειλέων ἡμῶν, quos *Apostolus*, *Heb.* XIII: 15, si huc, et non ad usitatam forte loquendi formulam in genere respexisse

cen-

censeatur. Prius verisimilius, quia voces antecedentes *offerre sacrificium*, laudis verbum, Hebr. נשלמה, quod hic occurrit, exprimere videtur; in eo enim verbo digitus intenditur ad sacrificia eucharistica, in specie שלמים. Sic VENEMA, is porro addit: vix dubitaverim, quin LXX. legerint פרי, cum enim *το* ם in fine saepe per lineolam transversam superinjectam exprimeretur, facile eam negligere potuerunt. — Sunt exempla plurima in quibus ם nota plur. masc. desideratur, quod ex ea causa accidisse conjicit VITRINGA *Obs. Sac.* Lib. II. p. 187. Quam lectionem, unde etiam natam, neutiquam spreverim, cum sit usitata phrasis et altera illa sine exemplo et durissima. Vid. Jes. LVII: 19. -- 2 Reg. XVIII: 21. -- Prov. XIV: 23. — Quodsi lectio פרים servetur, et פֹּרִים punctetur, ut sit *part. praes. in Kal* a פרה, egregium funderet sensum ex vera verbi potestate; פרה enim proprie est *fundere* et *findendo protrudere*, *perrumpere*, hinc פרים erunt *sermones labia perrumpentes* subintellecto ex initio versus דברים. — Hactenus VENEMA. — Proprie legitur: *tunc offeremus sacrificia eucharistica, vaccas labia nostra*, neutiquam vero *vaccas labiorum nostrorum*. Sensus est: longe alia offeremus sacrificia eucharistica, quam vulgo fieri solet; non victimas mactabimus, sed labia nostra Deo consecrabimus, ut largas edant gratiarum actiones et laudes Dei liberatoris celebrent. Existimem itaque lectionem vulgatam retinendam esse.

Joël Cap. I. et II.

Quaeritur de *locustis*, quas propheta hic describit, sintne proprie intelligendae, an vero tantum sint figurae, et emblemata hostium; quaestio anceps est, de qua in utramque partem disputari possit. Praetulerim cum BOCHARTO (*Hieroz. vol.* 2. *Lib.* 4. Cap. 4: Col. 473.) aliisque, sententiam priorem, ob hanc potissimum rationem, quod omnia, quae de locustis dicuntur, in proprie dictas locustas conveniant, ut ex singularum partium consideratione liquebit, nec certa sensus figurati occurrant indicia et criteria. Si sub locustarum figura populum aliquem hostilem descripsisset propheta, talia procul dubio immiscuisset, quae hanc ejus mentem clare indicarent, qualia nobis non occurrere videntur. Imo quando Cap. II: 4. et seq. cum equitibus et exercitu hostili etc. comparat, satis clare significat eas ab illis diversas esse. Nihil in universa narratione hac de hominum strage, caede, aut exilio; sed calamitas universa consistit in summa frugum fructuumque inopia, et sterilitate, cujus causae sint cum *locustae* tum *aestus* et *aquae penuria*; nulla praelia, nullae urbium et propugnaculorum expugnationes, nullae caedes, nulla humani sanguinis profusio, nulla domorum incendia aut destructiones, qualia commemorari solent, ubi hostiles impetus et grassationes enarran-

rantur. Beneficia quoque, his calamitatibus opposita promittuntur vs, 22., et seq. Cap. II. pluvia copiosa ad terram foecundandam, indeque orta magna frugum fructuumque ubertas. Neque solent hostes, nisi solius numeri et multitudinis habita ratione, sub *locustarum* emblemate proponi; verum passim ab Orientalibus cum leonibus, ursis, pardis, *similibusque feris comparantur*. Proponuntur quidem *hostes* tanquam *locustae*, *Amos.* VII. sed in visione prophetica, ibique nihil obstat, quominus existimemus hostium esse imaginem. Ex eo quoque nostra sententia haud exiguum acquirit robur, quod vates in sermonis initio, se rem miram et inauditam enarraturum promittat; quam senes aetate graves nunquam viderint, cujus itaque memoria fideliter posteris tradenda sit. Bella autem, praelia, et hostiles invasiones et strages non erant sane res raro contingentes et inauditae: nihil his frequentius. Nuspiam quidem in historia S. hujus horribilis per locustas vastationis fit mentio, sed plura in ea desiderantur, uti ingens terrae motus *Amos.* I: 1. et *Zachar.* XIV: 5 memoratus, aliaque plura. Locustarum plagae meminit tamen *Amos. Cap.* IV: 9. Sunt hae a locustis calamitates in Oriente frequentes et consuetae, atque hanc ob causam in historia non annotatae. Haec autem adeo gravis, ut nullam fere similem haberet, propterea que tanquam res mira et inaudita describitur. Argumento huic, ex silentio desumto, parum tribuendum videtur, quin historia S., cujus breve tantum habemus compendium,

 non-

nonnunquam ex prophetis et Pſalmis complenda est. [Quam auctor defendit interpretationem, recentiores omnes ſequuntur, ſolus ECKERMANNUS, in verſione Germanica hujus vaticinii, disſentit: ſcilicet cum plurimis e veteribus putat, JOËLI capite primo vaſtationem, per locustas illatam, deſcribi; capite autem ſecundo hostium produci agmen, urbi et templo ruinam inferens. Sed haud feliciter argumentari virum doctum probarunt EICHHORNIUS, *Allg. Bibl. der Bibl. Litterat. vol.* I. pag. 333 ſeq., et JUSTUS in elegantisſima verſione, JOËL *neu ueberſetzt und erläutert*, Leipzig. 1792. L.] Admodum ſingularis est Cl. MICHAËLIS ſuſpicio, conjicientis *Cap.* I. et II. deſcribi horrendam famem, quae post mortem JUDAE *Maccabaei* grasſata fuit, forte magnam partem ex vastatione per locustas ortam. Quam tamen non tanquam praeſentem deſcripſerit vates, quippe dictione adeo eleganti uſus, ut dubitandum vix ſit, quin ejus aetus ſit exilio *Babylonico* prior, ſed *futuram* praedixerit; *Maccab.* IX: 23. et ſeq. dicitur, vs. 24. ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐγενήθη λιμὸς μέγας σφόδρα, ſed ejus cauſa non a locustis repetitur, quarum nulla ibi ſit mentio. Porro deſcribitur illa afflictio tanquam adeo magna, ut talis non exſtiterit ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς. Ex quibus posterioribus liquet prophetam nostrum tunc non vixisſe. Historicus autem non tantum loquitur de calamitate ex fame, ſed et hostibus maxime vid. vs. 27—31. Noster JOËL deſcribere videtur calamitatem praeſentem, quam ipſe

cum

cum aequalibus ſuis cernebat oculis, et experiebatur. Non auſim itaque opinionem viri celeberrimi, quam ipſe quoque tanquam levem conjecturam propoſuit, amplecti. Magis arridet quod ſcripſit de הצפוני Cap. II: 20. *aquilonari illo*, quo epitheto propheta quidem proprie, ſi virum doctisſimum audiamus, deſignavit locustas, hac vice ex ſeptentrione venientes; ita tamen ut lector judaicus temporis *Maccabaici* non potuerit non etiam cogitare de *hostibus Syriis*, cum in DANIËLIS vaticiniis *rex Syriae*, *Septentrionis rex* vocetur. Quum ambiguitatem forte data opera captaverit vates. Ita ante exilium fieri vix aliter poterat, quin judaicus lector hoc lecto epitheto ſimul de hostibus *Asſyriis* et *Chaldaeis* cogitaret.

Cap. I.

Vs. 6. גוי aeque ac עם non tantum de hominibus, ſed et aliis animalibus adhibetur v. gr. Prov. XXX: 25, ſic apud Arab. امة, et امه Et auctoribus profanis haud infrequens est formula, qua vates et h. l. et Cap. 2: 2, uſus est, ſic HOMERUS *Il.* β

Vs. 87. Ἤυτε ἔθνεα εἰσι μελισσάων ἀδινάων.

Vs. 459. Τῶν δ' ὥς ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ,
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων.
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι,
Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών·

Alia poetarum loca congesſit BOCHARTUS l. c. —

Locustae *adſcendere* dicuntur *ſupra terram*, quatenus totam terrae ſuperficiem obtegunt, *Exod.* X: 14. Denſis ingruunt agminibus exercitus inſtar, et quidem impetu celerrimo, alis per aerem vectae, tanquam nube ſolis intercipiunt ſplendorem, omniaque tegunt; ſub vesperam potisſimum in agros virentes et arva irruunt, et obvia quaeque devorant. Quae nota ſunt ex peregrinatorum Orientalium relationibus. — Hic acutisſimi earum dentes comparantur cum leonum dentibus prominulis, מתלעות dictis, quod nomen non derivandum cum Bocharto a לוע *vorare*, *deglutire*, ſed תלע *prominere*, notat ergo dentes *prominulos*, ex ore prominentes, quales habent animalia rapacia. — Ab eodem verbo derivatur תולע *vermis*, qui nomen accepit a collo exſerto et prominulo.

Cap. II.

Vs. 1. Non tantum adventantibus hostibus ſignum bucconis dabatur, praeſertim in montibus *Hoſ.* V: 8. *Ezech.* XXXIII: 3. ſed et quando populus ob aliam cauſam, ſive laetam ſive tristem, ad ſolennem conventum convocandus erat, ob publicam calamitatem, uti hic, ad jejunium et preces, respicitur vs. 15. Inde a vs. 4. usque ad vs. 11. perpetua inſtituitur comparatio agminis hujus terribilis cum exercitu hostili, quae vel nulla vel valde frigida esſet, ſi revera *Asſyriorum Babyloniorum*, aliorumque hostium exercitus deſignarentur. [Imo, tuba, buccina, aliisque inſtrumentis aeneis utun-

utuntur Orientales, ut advenientes locustas eorum clangore terreant, et a terrae finibus prohibeant, atque aliorſum abigant. Testis hac in re locupletisſimus est ABULPHARAGIUS in *Chron Syr.* *pag.* 217. Idem commemorat DON IGNACIO DE ASSO, *Abhand. von den Heuschrecken und ihre Vertilgungs-Mitteln, aus dem ſpaniſchen uebersetzt* von O. G. TYCHSEN, pag. 56. L]

Vs. 3. *Ante eum ignis conſumit*, alluſio quidem fit ad turmas grasſatrices, incendiis regiones vaſtantes, ſed revera intenſisſimus aestus, et ex eo orta ſiccitas, cum locustarum plaga conjunctus, deſcribitur; ſimul respici videtur ad morem Orientalium, qui ingruentibus locustarum agminibus, ipſi ad eorum progresſum impediendum in agris et hortis foveas effodiunt, quas foeno vel ſtramine implent eamque materiam incendunt. — Quae porro vs. 7 et 8. de his agminibus dicuntur; optime conveniunt in locustas proprie dictas; adeo denſis incedunt agminibus, ut ſolis lucem obſcurent. Cf. hic SCHAWIUS in *Itiner. Tom.* I. p. 279. Ex iis, quae ibi in medium potulit eruditus iste peregrinator, testis oculatus, apparet ea, quae hic iis tribuuntur, non poëtice exaggerata, ſed praeciſe ad litteram vera esſe, quo nostra de locustis proprie intelligendis ſententia haud parum confirmatur. —— Videndus hic BOCHARTUS in *Hieroz.* l. c. et ad vs. 7. testimonium HIERONYMI Opp. T. 3. pag. 349, *edit. Mar.*, qui eas ita firmiter conjunctas volitare, affirmat,

ut ſint inſtar tesſellarum, q: in pavimentis artificis manu figuntur.

Vs. 9. יְשֹׁקּוּ *exundant*, inſtar aquarum exundantium quaqua verſum ſe diffundunt, ſic quoque *Jeſ.* XXXIII: 4. haec enim genuina vis est verborum שקק et שוק. — Quae hic de locustis dicuntur, confirmantur THEODORETI testimonio Opp. T. 2. p. 2. pag. 1391. et 1392. testantis eos non aliter, quam hostes, muros conſcendere et per vias incedere, nulla vi divellendas, tanquam ex mutua conſpiratione impetum facientes, murorum altitudinem non ſatis esſe ad illas prohibendas, ſed eos expedite transcendere, et ſicut fures per fenestras ingredi; καὶ τοῦτο δὲ (inquit) οὐ μόνον ὑπὸ πολεμίων, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀκρίδων γεγενημένον πολλάκις ἐθεασάμεθα· οὐ πετόμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν τειχῶν ἀνέρπουσαι, διὰ τῶν Φωταγωγῶν εἰς τοὺς οἴκους εἰσίασι. —— Habemus et hic testem oculatum.

Vs. 10. Denſa locustarum agmina aliquando aërem ad duodecim milliarium ſpatium inumbrant, et denſae nubis inſtar ſolis, lunae et ſtellarum lucem intercipiunt. —— Non tamen dubitandum, quin hic vera deſcribatur tempestas, cum locuſtarum plaga conjuncta. Solent etiam poëtae Orientales, ubi horrendas pingunt calamitates, colores a vehementi tempestate mutuari, ſive ea revera extiterit ſive non; *Jeſ.* XIII: 13. —— *Ezech.* XXXII: 7. — *Jer.* X: 10. — קול vs. 11. *vox Jehovae* est *tonitru.* — Caeterum cum to-

tota hac descriptione conferenda est plaga locustarum in Aegypto, quam MOSES descripsit. *Exod*. X: 12.

Cap. III.

Caput 3. arcte cohaerere videtur cum fine Cap. II; sive Cap. III. per parenthesin sit insertum, sive per errorem descriptoris aut collectoris ibi collocatum, cum verus ejus locus sit in fine hujus libri; sic enim omnia secundo fluerent vento. — Post *Syro-Macedonum* aliorumque Judaeorum hostium cladem et felicitatem temporis Maccabaici sequeretur suo ordine donorum Spiritus Sancti effusio et Reipublicae et Ecclesiae Judaicae sive oeconomiae veteris dissolutio et destructio. — Quae hic dicuntur de gentibus inimicis in vallem יהושפט congregandis atque judicandis figurate et emblematice intelligenda sunt de earum cladibus, quibus afficerentur et prosternerentur a Judaeis, sub heroum Maccabaeorum vexillo, contra illas pugnantibus. — Quae clades esset tanquam insignis poena divinitus illis infligenda propter gravissimas injurias, quibus Dei populum affecerant. — Schema orationis est hoc, fingitur Jehova, Israëlis rex, gentes Judaeis inimicas congregaturus in vallem, ut sententiam contra eas pronuntiet, condemnet, supplicio afficiat, quod olim in valle fieri solebat. Improprie haec intelligenda de poenis gravissimis hostilibus populis *Syro-Macedonibus*, *Syriis*, *Sidoniis*, *Philistaeis* aliisque infligendis, propterea, quod Dei populum

tan-

tanto profecuti fuerant odio, tanta affecerant injuria. — Nomen emblematicum יהושפט docet *Jehovam* fore *judicem*, pro more in *valle* sententiam clade hostium exfecutioni dantem; forte refpicitur ad *Gogitarum vallem*, cujus mentio fit Ezech. XXXIX: 11, ubi *Syro-Macedones* magna prosternerentur clade, eorumque cadavera magno numero fepelirentur. — Quae vallis variis hoftium cladibus nobilitata fuit. — Cf. VENEMA in *Comm.* ad istum locum. — Abfurde multi hic de ultimo et univerfali de toto genere humano judicio, a Filio Dei in valle *Jofaphati* habendo, cogitarunt. — Sane כל־הגוים non funt omnes univerfi humanae generis gentes, fed *illae gentes omnes* inimicae, quae Dei populum, h. e. Israëlem, disperferunt inter exteras gentes, et terram eorum diviferunt, quae Judaeos inter fe distribuerunt et in fervitutem vendiderunt, gentes מסביב, hae gentes in vicinia Judaeae fpeciatim fuis nominibus enumerantur *Syrii*, *Sidonii*, et *Philistaei*. — Qui Judaeorum thefauros diripuerant, eosque pro argento Graecis vendiderant. — Hi populi per fingularem divinae providentiae directionem, nunc gravisfimorum delictorum poenas luerent, vicisfim talionis lege a Judaeis iisdem affligerentur malis. — *Aegyptii* quoque et *Idumaei* ultricem Dei manum fentirent. — Populi hostiles nunc iterum bello Judaeos aggrederentur, fed Jehova fuos heroes, *Maccabaeos* nempe, in arenam defcendere faceret; hic certaminis foret effectus, innumerabilis hostium multitudo posternerentur.

Hac

Hac ratione ipse Propheta emblema hoc divini judicii interpretatur vs. 9—17. —— Non dubitandum itaque est, quin haec vera ejus mens sit, a qua multi interpretes, ubique *Systematis* sui *Theologici* locos communes cernentes, adeo infeliciter aberrarunt, non distinguentes poetam inter et historicum, doctorem religionis vulgarem, et vatem carmine Numinis fundentem oracula? —— Quemadmodum finxit *fontem e templo ortum et profluentem, vallem Schittim irrigantem*, qua fictione poetica nihil aliud indicare voluit, quam divino beneficio ipsas regiones steriles, longeque dissitas, aquae penuria laborantes, esse irrigandas et foecundandas, adeoque universam terram judaicam omnium frugum fructuumque copia affluentem fore, atque hanc ubertatem copiam et felicitatem a Numinis provida cura orituram esse; ita quoque finxit divinum in valle יהושפט tribunal, coram quo Judaeorum comparerent hostes, ibi condemnandi atque exemplari afficiendi poena, ut doceret, hostes a Judaeis esse devincendos et prosternendos non sine Jehovae providenti directione et auxilio, ut ita luant poenas, suis sceleribus dignas, atque talionis lege eadem experiantur mala, calamitates easdem, quibus populum Judaicum affixerant.

Pauca adhuc de verbis et locutionibus observanda sunt: שוב את־שבות (vs. 1.) non tantum significat *reducere captivos et exsules* ex captivitate et exilio, sed et universe res collapsas et fortunas afflictas instaurare Job. XLII: 10. et alibi. ——

Ver-

Verbum autem שׁוב aeque in prima ſpecie, quam in Hiphil habet notionem tranſitivam, et notat *vertere*, licet intranſitiva notio ibi ſit frequentior, prior reperitur *Deut.* XXX: 3. — *Jer* XXIX: 14. et alibi. — Lectio itaque marginalis אשׁיב, hic habenda est pro correctione Maſorethica ex linguae veteris ignorantia orta. —— *Vallis Joſaphati* etiam appellatur צמק החרוץ (vs. 14.) *vallis tribulae*, haec enim notio hic maxime placet. — Verbum חרץ ſignificat *findere acuminatum ſecare*, *ſecando praecedere*; חרוץ dicitur *tribula* praeciſa et acuminata in cuspides, quod ferreis et acuminatis cuspidibus esſet inſtructa. — *Vallis* autem *tribulae* vocatur, in qua gentes tribulis ferreis, acuminatis, conſcendendae, conterendae, et triturandae, id est earum exercitus concidendi ſint. —— Haec idea Prophetis maxime familiaris est. —— Phraſin vs. 20. ונקיתי רמם לא־נקיתי optime explicasſe videtur Schroederus, ipſa ejus verba olim cum auditoribus communicata exhibebo. — נקה *terſus* et *purus* a ſordibus, et figurate *innocens fuit* a crimine; hinc in Pih. notat *exterſit*, *emundavit ſordes*, notat quoque *habuit innocentem*; habemus itaque hic, *extergam ſanguinem eorum*, reposcam poenam, ſanguinis Judaeorum innocenter effuſi, de quo dictum fuerat vs. 19; ſanguis enim impune effuſus terram polluere figuratur, ſed quando poena ſumitur ab homicidis, tum ſanguis extergitur et emundatur. Additur לא נקיתי *non habebo innocentem* id est *gravisſime puniam*, est λιτοτης ut Exod. XX: 1.

Amoſi

Amosi Cap. I.

Vs. 1. — בנקדים, vera haec est lectio, male LXX. et nonnulli Codices habent בנקרים, quasi esset nomen proprium. — Sunt autem נקדים *ovium pastores*, non tantum *parvarum* et *deformium*, *breves pedes habentium*, qui specialis usus est vocis نقد apud Arab. uti, BOCHARTUS existimat, sed *ovium* in genere (*); sic *Moabitarum* rex vocatur נֹקֵד 2 Reg. III: 4., quod ejus opes potissimum consisterent in ovium gregibus. —— Verbum נקד Arab. نقد proprie notat *pungere*], *figere*, sic de *serpente pungente*, ove etiam rostro percutiente et pungente, adhibetur. ERINACEUS quoque a pungendo nomen انقد accepit. — Porro *punctis insignire*. v. gr. *nummos*, atque ita notis distinguere et melioris notae seligere. — Solebant veteres pecora etiam signare, iis inurere notas, ut ab alienis dignoscerent, et jumenta, unde κοππατίας ἵππος apud ARISTOPH. equus inustum habens elementum κόππα vel κάππα v. d. DRUSIUS *Comment.* pag. 245. — A figendi notione oritur usus *defigendi visum* in aliquam rem. — Non dubitandum ergo videtur quin AMOSUS fuerit *ovium pastor* non *boum*, aut, modo *ovium*, modo *armentorum*; hoc enim orientalium moribus adversa-

(*) Vid. summi viri *Hieroz. Tom.* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 44, *Col.* 441. Miramur itaque cuiusdam incogitantiam, adseverantis, de hac vocis notione interpretum prorsus nullum cogitasse, vid. Horreum EICHHORNII cui titulus: *Repertor. für bibl. und morgenländ. Litter. Tom.* 6, *pag.* 209. L.

ſatur, apud quos utrumque vitae genus valde diverſum esſe ſolet. — Cap. VII: 14. ipſe quidem ſe appellat בוקר, quo vocabulo plerumque *armentarius*, *bubulcus* denotatur, ſed latiorem habet uſum, et univerſe *pastorem* qualemcunque deſignat. ſic v. gr. ܒܩܪܐ in verſ. Syr. *Marc.* V: 11. de *grege porcorum.* quare Syrus nostrum בוקר recte vertit ܪܥܝܐ *pastor*, uti bene obſervavit Michaëlis in *Suppl. ad Lex. Hebr.* pag 213 quocum conferendus J. G. Eichhorn in *introd. ad V T.* *ad Amoſ.* p. 281. Cap. VII: 14, non esſe *bubulcum* liquet ex vs. 15. *abſtulit me Jehova* מאחרי הצאן *a grege ovium.* — Oppido *Tekoae* magnus adjacebat campus gregibus ovium, non boum paſcendis aptus. — Sic apud Graecos ποιμὴν ſaepe quidem est *pastor* qualiscunque, ſed ſaepe etiam *ovium* pastor, et ſemper, quando ab aliis pastoribus distinguitur v. c. apud Platonem *de Republ. lib.* II. p. *ed Bip.* 233. ἐι αὐτοῖς βουκόλους τε καὶ ποιμένας, τούς τε ἄλλους νομέας προσθεῖμεν — Ovium autem pastores in Oriente non adeo viles haberi, quam nostris moribus, quia ſuos pascunt greges, non mercede conducti aliorum oves, recte obſervavit Michaëlis ad h. l.

Propheta praemittendo calamitates, justo dei judicio in gentes vicinas, hostiles, et quidem ob graviſſimas injurias, quibus Israëlitas affecerant, ſe in populi hujus animos inſinuare, ejusque benevolentiam captare voluit, ut ita diſpoſiti auribus patulis animisque attentis ejus exciperent ſermones, non enim non placere ipſis poterant poenae, quibus afficiendi erant hostes atrociſſimi, pesſime de

ipſis

ipsis meriti. Eo magis hac ei opus erat benevolentia, quia in aemulo Judae regno natus, adeoque exterus, si statim in eorum scelera fuisset invectus, et gravissima comminatus fuisset mala, ne quidem ejus sermones audire voluissent, sed ignominiose repudiassent. Haec quoque esse videtur ratio, quare suos populares, Judaeos, haud intactos reliquerit, verum et eorum excidium praedixerit, Cap II: 4., priusquam Israëlitas reprehenderet, iisque gravissimas intentaret minas, qui tamen suae missionis erat scopus.

Vs. 2. — נאות. hic non sunt *mansiones pastorum*, sed *prata, pascua laete vigentia*, ita quoque *Joel* I: 19. -- II: 22. *Ps.* LXV: 13. ubi additum מדבר est *campus* amplus, pecori pascendo aptus, a verbo דבר proprie una continua serie *struere* et *ducere*, unde vulgatissimus usus sermonis longius *structi* et *deducti*; usurpatur quoque de grege pecudum, qui ducitur pastum *Jes.* V: 17. Derivatur נאות a נאה cujus cognatum נוה, quae communem habent originem in *vigore tenso*, sic *Cantic.* I: 10. נאוו להויך *tensae vigent malae tuae* scil. succo et carne turgentes. — Notionem prati vigentis quoque habet *Ps* XXIII: 2. et *Jes.* LXV: 10. Retinenda itaque est in Alex. Versione lectio νομαὶ non mutanda in μοναὶ. — Saepe quidem נאה et נוה transferuntur ad hominum *mansiones*, non tamen quascunque, sed vigentes, florentes, et tanquam laeta pascua omni copia et felicitate affluentes, *Ps.* LXXIX: 7. *Ps.* LXXXIII: 13. *Thren.* II: 2; verum notio haec huic loco minus est apta. Habemus

enim pro more Poetarum Hebr. membra parallela, in quibus idem diverſis phraſibus deſcribitur. Quod in primo membro dicitur יהוה מציון ישאג, idem in altero ומירושלים יתן קולו, ita quoque membro ſequenti ואבלו נאות הרעים eleganter respondet ויבש ראש הכרמל; optime quoque conveniunt אבל et יבש, prius ſignificat *marcescere*, *flaccesſcere*, dicitur de iis, quae vigorem et ſuccum vitalem paulatim amittunt; verba autem בוש er יבש proprietatem habent in *perplexitate confuſa*, qualis est rei aridae, ſonum edentis et ſtrepitum. Quod in membro priore נאות הרעים id in altero ראש הכרמל, ubi bene obſervandum *verticem Carmelis* Synecdochice univerſam montis ſuperficiem complecti. — Forte *Carmel* hic non est nomen montis notisſimi juxta mare Mediterraneum, ſed nomen loci in deſerto *Judae*.

Vs. 6. —— שלם Arab. سلم proprie *integrum esſe*, ſic in *Alcor. Sur.* II: 65. adhibetur *de integritate corporis vaccae.* ex hoc fonte reliquae notiones omnes emanarunt. Inter uſus ſecundarios frequens iste est in dialectis, quo valet *integrum in alicujus potestatem venire* — Apud Arab. in II. et IV ſp. ſignif. *tradere*, quod ſaepe in malam partem ſumtum, denotat tradere neci, tradere hosti, judici, ita in EUTYCH. *Annal.* p. 1375; in N. T. Arab. de JUDA proditore *Joan.* VI: 64, 71, idem uſus reperitur *Matth.* X: 17, 19. XXIV: 9, 10. XXVI: 2, 15, 16; tradere ſe cupiditatibus, *Sent* X. *Sent.* I. ERPENII. —

Eo,

Eodem modo apud Syr. v. gr. in N. T. Syr. *Matth.* V: 25. X: 17, 19, 21. XVIII: 34. *Act.* VII: 52. VIII: 3 — Verum etiam in partem bonam] accipitur, ſic v. gr. *discipulum tradere praeceptori* inſtituendum ABULPHAR. D. I. p. 26., *infantem nutrici* lactandum, ABULF. *V. M.* p. 8. —— Phraſis est Arabibus uſu recepta *tradere alicui capistrum funis ſui*, *ſeu funem ſuum*, id est *alicujus arbitrio ſe committere.* Vid. MANGERUS ad *Hist. Tim.* p. 51. Imo ſaepe اسلم ſignif. *ſe dedere*, et *ſubmittere imperio alicujus* ejusque *fidei tradere*, hinc مسلم, qui ſe integrum Deo ejusque Prophetae tradidit ac conſecravit. — Dicitur porro de iis, qui ſe hostibus dedunt, eorumque ſubmittunt imperio, quem uſum quoque habet Heb. השלים, vid. A. SCHULTENSIUS ad *Job.* V: 23; hinc שלים *deditio* urbis ab hostibus obſesſae, *Deut.* XX: 10, 11. ita hic גלות שלמה *exules deditionis* qui non capti ſponte ſe dediderunt. — גלות *migratio*, *exilium* per Metonym: ſunt ipſi *exules*, qui uſus occurrit *Jerem.* XXVIII: 4. XXIX: 22.

Vs. 11. — ושחת רחמיו *quod disruperit propinquitates uterinas;* male DATHIUS: *atque adeo in mulieres gravidas ſaevierunt.* — Propinquitas vel *cognatio uterina* per Metonymiam deſignat *fratres* uno utero procreatos. Ita apud Arab. رحم *uterus* et *propinquitas*, *propinquorum amicitia*, رحم et pl. ارحام, *propinquitas*, *propinqui*, quaſi *uterini*, ut recte GOLIUS.

Vs. 13. – Verba על־בקעם הרות omnino proprie ſunt intelligenda de *disſectione mulierum gravida-*

 rum,

rum, ut matres una cum foetibus pereant, non de *abortu* ex terrore ac consternatione orto. — Exhibetur hoc specimen horrendae crudelitatis, ex quo de caeteris facinoribus conjicere liceat; idem narratur de *Syris*, 2 *Reg.* VIII: 12, ipsisque *Israëlitis*, 2 Reg. XV: 16. Liquet hinc quanta crudelitate bella a veteribus Orientalibus gesta sint. — Putant nonnulli הרות hic esse *montes*, non *mulieres gravidas*, atque hac ratione verba rectius cum sequentibus cohaerere, *desciderunt montes Gileadis, ut dilatarent terminum suum*; sic HANNIBAL *Alpes* discidisse legitur, ut exercitum in *Italiam* duceret, atque ita fines imperii *Carthaginensis* propagaret. — Alii per *montes* intelligunt *urbes munitas*, quem usum הר *mons* habere videtur, *Jer.* LI: 25. Sed oleum operamque perdunt, qui a verborum proprietate discedunt. *Montes* semper vocantur הרים non הרות, quae posterior forma constanter de *mulieribus gravidis* adhibetur. Nec ulla ratio alium sensum quaerere suadet; ex exemplis allatis constat, saevitiam hanc a moribus hujus temporis non alienam fuisse. Voluerunt hoc modo imperii fines latius extendere: privabant enim *Gileaditas* successoribus, et terram incolis, quae vacua suis cederet colonis.

Vs. 14. Habemus hic elegantem figuram poeticam, qua expugnatio et excidium urbis *Ammonitarum Rabbae* per hostes ita pingitur, quasi haec regni *Ammonitarum* metropolis סופה *vento rasore*, obvia quaecunque violenter everrente, longe-

que

que asportante, cum סער *procella ardente*, aestu pestifero adurente conjuncto, subito correpta, totaque temporis momento deleta sit. - Conferendus locus *Jerem* XLIX: 2.

Cap. II.

Vs. 1. Crimen hoc videtur fuisse; proelio aliquando *Idumaei* superantes ita crudeliter in victos saevierunt, ut ne regis quidem in proelio interfecti cadaveri pepercerint, verum ejus ossa cremaverint in cinerem, atque cinere hoc ludibrii et contemtus causa pro calce usi fuerint. Omnes gentes non prorsus barbarae solent mortuis parcere; nimiam prodit saevitiam et vindictae cupidinem, ab omni humanitate remotum et barbarum est saevire in hostium cadavera, eaque ludibrio et contemtui exponere. — Supremus humani generis judex exemplari hoc poena dignum censet. – Ad animum haec revocent flagitiosissimi illi, qui, ô scelus! cadavera principum, optime de Republica nostra meritorum, nuper e sepulcro extracta ludibrio habuerunt. Excidat illa dies aevo! — Dion, celebris iste imperii tyrannici in *Sicilio* destructor, et verae libertatis vindex, noluit populo permittere, Dionysii violare sepulchrum, *καὶ τὸν νεκρὸν ἐκβαλεῖν*, quod licet Heraclides, ejus antagonista ipsi vitio verteret, atque eo uteretur ad populi odium ipsi concitandum, maxima tamen laude

 di-

dignum erat. — Vid. PLUTARCHUS in ejus vita §. LIII.

Vs. 2. Eleganter et Poëtice *Moab*, id est gens Moabitica, *morietur in tumultu in fragore*, *in voce tubae*. *Moritur* Respublica quando *disſolvitur*, quae propria notio est verbi מוּת, quando vinculis disſolutis interit. — Dicere ſolebat DIONYSIUS *ὁ πρεσβύτερος*, *δεδεμένην ἀπολιπεῖν τὴν μοναρχίαν ἀδαμαντίνοις δεσμοῖς* Vid. PLUT. in *Dione* §. VII. — Egregie autem DION juniorem DIONYSIUM ex tyranno, legitimum regem, civium patrem, facere conans, *τοὺς ἀδαμαντίνους δεσμοὺς, οὐχ, ὥσπερ ὁ πατὴρ ἔλεγεν αὐτοῦ, φόβον καὶ βίαν, καὶ νεῶν πλῆθος εἶναι, καὶ βαρβάρων μυρίανδρον φυλακὴν, εὔνοιαν δὲ, καὶ προθυμίαν, καὶ χάριν ἐγγενομένην ὑπ' ἀρετῆς, καὶ δικαιοσύνης.* — Haec vincula esſe duris illis molliora, ſed firmiora ad imperium conſervandum docebat ibid. §. X; quam doctrinam utinam omnes reges et principes imbibisſent et in ſuccum et ſanguinem convertisſent. — Venuſte, ut ſolet, LUCIANUS in *Contempl.* §. 23. introducit MERCURIUM magnarum urbium *Babylonis*, *Nini*, aliarumque interitum enarrantem; qui ita concludit *νῦν δὲ τεθνήκασι καὶ αὗται, ἀποθνήσκουσι γὰρ καὶ πόλεις, ὥσπερ ἄνθρωποι·* ad quem locum Cf. T. HEMSTERHUSIUS. – Cf. *Jeſ.* XXV: 8. XXVI: 14. *Hoſ.* XIII: 1. *Habac.* I: 12. — Contra mortuorum reſuſcitatio emblema est inſtaurationis Reipublicae *Jeſ.* XXVI: 19. *Alcoran* II: 260. ubi adfertur exemplum viri juxta urbem deſtructam tranſeuntis, atque dicentis

tis انى يحيي هذه الله بعد موته *quomodo vitam illi reddet deus post mortem ejus?*

Vs. 13. — עוק notat presſionem validam, qua quid premitur, opprimitur, conteritur, eliditur; non autem cogitandum de plauſtro manipulis pleno, ſed de plauſtro gravi manipulos premente. — Conſtructio haec est העגלה המלאה לה תעיק עמיר *plauſtrum ſibi plenum premit manipulos*, ubi לה *ſibi* leni cum emphaſi redundat. — Cogitandum est de plaustro lapidibus alioque gravi onere onusto, quod pro more triturandi veterum premit et elidit manipulos. Senſus huc redit: *ego vos premam, premendo elidam, et conteram*, gravisſimis nempe calamitatibus praeſertim bellicis, quae pasſim ſub triturationis emblemate proponi ſolent.

Cap. III.

Vs. 12. — דמשק hic non est nomen proprium *Damascus*, cui in hac ſermonis ſerie nullus est locus, ſic enim legeretur *in angulo lecti* et *in Damasco grabati aut ſpondae*, quo nihil dici potest abſurdius. — Recte HOUBIGANTIUS *in lecti linteis*, ex ſignificatione Arabica vocis דמשק *velum*, *peplum*. Adhibetur de velo, quo mulieres faciem tegunt, inde univerſe, ut videtur, de linteo, velo quocunque, ſtragula. — Dicit propheta ex *Samariae* incolis paucos esſe ſervandos, hic illic in lectis latitantes, ſive morbis laborantes, ſive

 ibi

ibi prae metuſe occultantes. Quod prius dixerat כפאת מטה *in angulo lecti*, idem mox elegantiae cauſa aliis verbis dicit ובדמשק ערש et *in grabati linteo*, vel ſtragula. Hac ratione diſpulſae ſunt tenebrae, quibus locus hic involutus erat. —— Miſere hic allucinatur J. A. DATHIUS, qui hanc dedit verſionem: *ſic Israëlitae Samariam incolentes ſervabuntur*, *ſuis viribus aut potentiae et Damasco fidentes*; impoſuit ipſi Chaldaeus, quem ſecutus, per פאה intelligit terram, regionem, per מטה *quod longe et late extenſum est*, denique ערש mutat in עריץ *in Damasco validum et fortem*, id est *in Damasco ſpem et fiduciam ponentes*. — Haec non niſi violenter ex Prophetae verbis ultima voce mutata extorqueri posſunt. Non ad hanc aliasque abſurdas et contortas interpretationes devenisſent interpretes, ſi ipſis uſus hic vocis דמשק cognitus fuisſet. Re tamen accuratius examinata fatendum est, notionem *veli*, voci דמשק tributam non adeo certam eſſe, nititur hoc tantum fundamento nomen hoc idem eſſe ac دمشقة in verſione Arab. *Jeſ.* III: 22. et Latine reddi *velum*; ex verſione Latina pro more ſuo CASTELLUS *veli* notionem arripuit, ſed notum est verſionem illam Latinam parum ſidei mereri. —— Recte ergo MICHAËLIS, in *Suppl. Lex.* pag. 454, rogat, quo jure ita redditur? vellem, inquit, abeſſe literam ק ſic דמש conferrem cum دمس, *abdidit*, *occultavit*, verteremque *in latibulo lecti*. —— Revera unus Codex, docente ROSSIO, eum voti compotem

tem fecit, temerarium tamen foret in tanto Codicum et Verſionum veterum conſenſu ſine necesſitate unius Codicis lectionem praeferre. — Arab. دمشقة, alibi nuſpiam occurrit, videtur ergo in verſione illa Arab. potius legendum دمسقة, *ſericum*, et *vestis* ſive *tela ſericea*, quod reperitur in *Hiſt. Timuri* Tom. II. pag. 548, ubi ſenſu figurato adhibetur *de veste ſericea florum;* conjicit quidem MANGERUS hoc دمسقة corruptum, veramque lectionem esſe دمقس, genus ſerici, quod nostrates appellant *damast*, Angli *damask*, ſed ſine firmo argumento ex vocis ſono ita judicare videtur. Etenim GOLIUS et CASTELLUS ita exhibent دمساق, et pro eo permutatis س et ص exhibent دمصاق et دمصق Forte utraque forma دمسق et دمقس bona est, posterior tamen uſitatior; prior orta videtur ex posteriore per literarum transpoſitionem ادمقس v. gr. uti intellexi ex amicisſimo N. G. SCHROEDERO, de voce hac obſcura, a me conſulto, occurrit in Codice TEBRIZII HAMASAE, ſed in Codice MERZOUKII ibidem دمسقة. Nimirum Poëta, laudans mollem tactu et ſplendicantem puellae ſuae cuticulam circa lumbos, dicit كانّ ادمقس, vel ſecundum aliam lectionem كانّ ادمسقا. Obſervatione porro dignum est GOLIUM ex *Camuſo* annotare دمقس habere notionem *lini*, quae reperitur in verſione *Arab.*

1 *Sam* II: 18. et 2 *Sam*. VI: 14. ubi אפור בר vertitur جُبَّةٌ من دمقس, videtur itaque دمقس denotare *telam* ſive *vestem*, texturae tenuioris, ſive *ſericeam*, ſive *linteam*. Eadem ſignificatio tribuenda est vicino دمسقة, quod ipſiſſimum noſtrum דמשק eſſe videtur. Scilicet haec vera est lectio, ut equidem opinor, in multis obvia Codicibus, non דמשק, quod in loco nostro putaverim denotare *ſtragulam ſpondae texturae tenuioris*, vel potius *linteum*, ὀθόνην, *lecti*, adeoque probo HOUBIGANTII verſionem, *in lecti linteis*. — Nihil tamen pro certo habuerim. —

Cap. IV.

Vs. 2. ונשא אתכם בנות, HOUBIGANTIUS reddit *et extrahet vos contis*, *exhibet* inquit, *propheta mulieres Samariae, in urbe deliciis affluentes, tanquam pisces, qui medio in ſtagno lasciviunt, quos piscatores extrahunt contis recurvis, conjiciuntque ex retibus in ſagenas, ut in receptacula comportentur*. — Hac ratione turbatur ſermonis elegantia, et pulchritudo figurae poeticae, ſi mulieres istae, modo tanquam vaccae propoſitae, tanquam pisces contis ex aqua extrahantur. —— Omnino continuatur Metaphora a vaccis ſive *tauris* deſumta; forma vocis feminina Criticum in errorem induxit, non enim matronae, ſed earum mariti, Samariae proceres, deſcribuntur, in tenuiores

res et innocentes homines, tam fraudibus, quam aperta vi grasſantes, atque luxu diffluentes; his dicitur et *extrahet*, potius *attollet*, *vos capistris aculeatis*, ſcil. *Jehova*, quod nomen ſubintelligendum; vos cubantes vaccas ſurſum trahet, et *postremum vestri hamis piscatoriis*; quomodo nunc figurate appellantur acuti hami, quibus jumenta ad ſurgendum compelluntur, aut tauri jam mactati a lanionibus, attrahuntur.

Vs. 3. Hac ratione interpretandum esſe putaverim, *per rupturas* (id est muri urbis Samariae ruinas) *egrediemini*, *et in lanienam abducemini.* — Continuatur metaphora a vaccis deſumta, ut vel ex genere feminino liquet. — Ante פרצים ſub-intelligendum est ב, ut plene ſit ובפרצים et vocabulum השלכתנה cum Dathio punctis mutatis in Hophal legendum exiſtimaverim. —— הרמון omnino *lanienam* denotare videtur הרם Arab. هرم ſignificat *concidere in parvas partes*, *in minuta frustula.* Data opera vox הרמון adhibita est, ut ſimul ad *Armeniam* alluderetur, Asſyriaco imperio hoc tempore ſubjectam. Sic conjungitur ſenſus proprius cum improprio. *Pingues* tauri abducerentur in lanienam; *non macie confecti*, tales enim in lanienam abduci non ſolent; quare פרצים non de ipſis tauris intellexerim, quaſi ob maciem, qua contriti erant, *laceramenta* dicerentur. Forte ו in initio verſus reddi debet *nam*, adeo ut praecedentium detur ratio. Dixerat Propheta tauros uncis attollendos, forte in laniena a lanionibus. —— Temere Houbi-

GAN-

GANTIUS de voce ההרמונה, *quod vocabulum veteres non expediunt nec vero id expedietur si, ut jacet, relinquetur.* — Non dubitamus, quin sit legendum ההרמים *in sagenas.* — Saepe Critici emendare volunt, quae non intelligunt. Nos non dubitamus, quin illud החרים totius metaphorae pulchritudinem perderet, et, si revera ita legeretur in Codd. mutaremus in ההרמונה. — Prudenter itaque et circumspecte critica utamur.

Vs. 13. *Indicans homini, quaenam* שחו vulgo reddunt *cogitatio ejus*, quae vel ad deum vel ad hominem refertur, et diversis modis explicatur. — Alexandrini Hebraea verba verterunt *ἀπαγγέλλων εἰς ἀνθρώπους τὸν χριςὸν αὐτοῦ*, *annuncians hominibus Messiam suum*, qui itaque legisse videntur משיחו, forte duabus vocibus מה־שחו in unam conflatis, et litera ה, ut fieri solet, absorpta, מַשִׁיחוֹ; quam vocem confuderunt cum מְשִׁיחוֹ. — Versionem hanc temere sequuntur Patres Eccl. v. gr. THEODORETUS, putans voce hac CYRUM designari, *οὗτος*, inquit *σοι καὶ τὸν εἰς τὴν σὴν ἐλευθερίαν ἀφωρισμένον μηνύει βασιλέα, λέγει δὲ τὸν Κῦρον.* Hebraei sermonis ignorantia hos interpretes saepe in crassos induxit errores Nullus sive CYRO aut CHRISTO locus. — Procul omni dubio lectio Vulgata שחו vel שיחו omnium, quantum novimus, Codicum auctoritate confirmata, et huic sermonis seriei congrua, vera et genuina est, sed ab interpretibus non recte, ut videtur intellecta. — Verborum שוח et שיח pri-

primaria notio, uti ex Arab. lingua liquet ſita est in *reciprocatione motus*, *qualis umbrae*; item *aquae per ſuperficiem terrae fluentis*, nec non *hominis*, *huc illuc obambulantis* et *ſpatiantis liberius Gen.* XXIV: 63. — Eximie uſurpatur *de obambulatione per terram religioſa ad Deum colendum*, et *obambulator* ſpeciatim dicitur, qui ſeſe templis et cultui religioſo devovit, (qui uſus ab Arabum lexicographis distincte annotatus est, Cf. A. SCHULTENSIUS ad *Prov.* p. 53; ignotus non est in S. Hebraeo Codici. *Pſ.* CXIX: 78. dicit Poeta *ego exſpatiabar in praeceptis tuis*, *in iis obambulando memet recreo*, *et oblecto*, ibidem *testimonia tua exſpatiatio mihi Pſ.* CIV: 34, *dulcis erit ipſi* ſcil. Deo mea ſpatiatio. *Pſ.* CXLIII: 5. homo dicitur in opera Dei *exſpatiari* nempe *meditando*, et *disſerendo*. —— ENOCHUS cum deo *obambulasſe* legitur, alio licet adhibito verbo *Gen.* V: 22. Hic jam uſus loco nostro applicandus videtur, *manifestans homini*, *quaenam exſpatiatio ejus*, pronomine affixo ad hominem relato, i. e. *quaenam converſatio hominis religioſi cum Deo*; quomodo ſe erga Deum gerere debeat. — Deus hic proponitur tanquam creatione et providentia humanum genus docens, qua ratione homo mortalis, imbecillis, imperfectus, dependens, ſeſe reſpectu Dei omnipotentis coeli terraeque creatoris ac domini ſupremi cuncta pro ſapiente arbitrio moderantis, gerere debeat, quo modo ipſum oporteat cum Deo quaſi obambulare, ac converſari; non contumaciter ipſi renitendo, ac reluctando, uti

re

rebelles Israëlitae inſtituebant, ſed ſumma animi cum demiſſione ſe ei ſubmittendo, ei obediendo, et fidendo. Quae eo tendunt, ut Israëlitae ob ſtolida ſua conſilia et conamina, quibus omnipotenti Creatori ſuo reluctabantur, rubore ſuffunderentur. — Eundem uſum habet שיחה *Jobi* XV: 4. ubi magnus A. SCHULTENSIUS minus recte per *precationem* interpretatur; ſed rectius magnus nepos H. A. SCHULTENSIUS per *cultum* deo *debitum* — Verum is legebat שׁיחה, qua tamen emendatione opus non est, quum שׁיחה idem denotet ſpeciatim quidem de animi demiſſione in precibus adhibetur, ſed uſum habet ampliorem. — Poſſet loco AMOSI admitti AQUILAE, aliud licet intendentis, verſio τίς ἡ ὁμίλια αὐτοῦ, *quaenam converſatio*, vel *congresſus ejus*; nota est phraſis Gr. ομιλεῖν τινι *familiariter aliquo uti*, ὁμιληταὶ dicebantur discipuli veterum Philoſophorum, quibuscum arctius ipſis intercedebat commercium. — Optime hic locus illustratur ſimili *Mich.* VI: 8. ubi idem clarius et pluribus vocibus docetur.

Cap. V.

Vs. 6. לבית־אל, ὅι 'O legerunt לבית ישראל τῷ οἴκῳ ἰσραὶλ, quam lectionem probat VENEMA ad *Jer.* p. 936, et vitioſam אל ortam conjicit ex ſcriptione compendioſa. — Quam conjecturam pro-

probat J. A. DATHIUS; occurrit lectio in uno Cod.; HOUBIGANTIUS ſequitur quoque LXX. [Miramur VENEMAM et DATHIUM, ceterosque interpretes probare potuisſe lectionem verſionis *Alexandrinae*, quae omnino profecta est ex ingenio ſcioli cuiusdam librarii, qui cum non perciperet, quid ſit לבית־אל, ſubſtituit ישראל. Conjectura autem VENEMAE, de errore e compendioſa orta ſcriptione, quam itidem ſuppeditat EICHHORNIUS, *Introd. in lib. V. T. T I.* pag. 205., edit. *Germ.*, prorſus reiicienda est: Hebraei enim nunquam ſcribendi compendio uſi ſunt a vocis initio, ſemper vero in fine; hinc quod literae initiales, quas nunquam non exprimunt, nuncupare ſolerent ראשי תבוית. L.]

Vs. 18. Propheta invehitur in incredulos et impios irriſores, non tantum vatum minas ſpernentes, ſed et ludibrio habentes, riſu ſannisque excipientes. — His vs. 19. ob oculos ponit periculi magnitudinem et certitudinem inevitabilem, adeo ut nulla arte, dolo, aut vi ſe ex eo expedire et liberare posſint. Perinde ac ſi quis leonem effugiens occurrat urſo, et ſi ab hoc quoque evaſerit in domum, tanquam in locum tutum ſe recipiat, atque manu ſua in parietem innixus, ut ſe fesſum recreet, tamen nec ibi fatalem perniciem evitare posſit, cum ſerpens ex occulto proſiliens, venenato eum necat morſu. —— Sic calamitas calamitatem ſequitur, aeruma aerumnae, mala malis ſuccedunt, et fieri non potest, ut quis perniciem aut mortem, divino decreto ſtatutam, effugiat. ——

Fa-

Fatum nulla arte eludi, aut averruncari posse eleganti fabula docetur in fabulis *Bidpai*, in earum versione Arab. a H. A. SCHULTENSIO edita pag. 7 et seq. Vir quidam iter per solitudinem faciens sibi a feris metuebat; occurrit ipsi lupus, quem effugiens celerrime se proripit in vicinum pagum, quem cum per pontum esset ingressurus. assequitur eum lupus, tum prosilit in aquam, ubi a lupo liberatus parum abest, quin suffocetur; extractus tamen ab hominibus nonnullis ex hoc quoque evasit periculo; tum videns domum *solitariam* ad fluminis ripam, eo se confert, quietem capturus, sed ibi invenit latrones, viatorem spoliatum trucidantes, illico se in fugam conjicit, et ex hoc quoque evadit periculo, tendit in pagum, intrat domum, fessus tergo ad parietem innititur, verum labitur paries, et ruina oppressus moritur. — Recte ergo Persa quidam hospiti in convivio dixit ξεῖνε, ὄ,τ7ι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ, hospes, *quidquid ex Deo fieri oportet id ab hominibus nulla ratione averti potest.* — Vid. HERODOT. Lib. IX. Cap. 16. τὸ πεπρωμένον οὐ πῦρ, οὐ σιδαροῦν σχήσει τεῖχος, κατὰ Πίνδαρον· verba sunt PLUTARCHI *in Marcello* §. XXIX. inprimis elegans *Jesajae* locus Cap. XXIV: 17, 18. cum nostro comparandus est

פחד ופחת ופח עליך קשב הארץ: חנסמקול הפחר
יפל אל־הפחת והעולה מתוך הפחת ילכד בפח

in quibus pulcherrima paronomasia. —

Vs. 26.

Vs. 26. סכות non est *tabernaculum Dei* Mosaicum: vox haec usurpatur de *tuguriis* ex ramis et frondibus arborum factis; sic de tuguriis festi tabernaculorum, et similibus, vid. MICHAËL. in *Suppl. ad Lex. Heb.* p. 1747, ubi recte observat, tabernaculum, quale tabernaculum conventus, grandius hic intelligi non posse, licet addita ratio nobis displiceat; non enim Israëlitarum in Arabiae solitudine vagantium, sed Prophetae aetate viventium superstitio et idololatria reprehenditur, quod ex sermonis nexu liquet: hi enim propter hoc crimen ultra *Damascum* in exilium expellendi erant vs. 27. — Miror MICHAËLEM putantem, potuisse Israëlitas XL. annos clam, et MOSE inscio, hanc exercere idololatriam, quod nobis incredibile videtur. Neque Numinis effugissent vindictam, propter μοσχολατρείας crimen statim tam severe puniti. — Designantur in nostro loco *thensae*, sive potius *thecae*, *receptacula*, *tuguria parva*, vel *cistae*, aediculae, quas Graeci νάους vel ναΐδια appellant. Act. XIX: 24. (Vid. SALMAS. in *exercitt. Plin.* Tom. II. p. 803.) in quibns Deorum imagines in festis magna cum pompa gestabantur; cujus moris meminit DION. *Halicarn. Antiq. Rom.* Lib. VIII. pag. 478. ed. *Sylb.* his verbis τελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι, *extremum pompae agmen claudebant Deorum simulacra, quae humeris bajulabantur a viris.* — Memoratur hic mos circumportandi Deorum imagines sive the-

 cis

cis inclusae fuerint sive non; utrumque enim usu receptum fuisse videtur.

Cap. VI.

Vs. 1. שאנן pro שלאנן ortum ex duobus verbis שלה et אנן *liquide tranquillum* denotat, cujus felicitas quasi liquide defaecata nullisque anxiis curis aut molestiis turbata; saepe in malam partem sumitur de hominibus opulentis, secure voluptatibus indulgentibus, qui nullo metu a peccatis se avocari patiuntur; qui suis opibus confisi, sua abutuntur potentia. —— Eodem tendit alterum epitheton בטחים, quod priori majoris emphaseos gratia subjungitur *Jes.* XXXII: 9. Tanquam tales perstringit Propheta proceres Hierosolymae et Samariae. — Nodum hic in scirpo quaerit Houbigantius, dum ita commentatur; „ Vulgatus „ reddit *vae, qui opulenti estis in Sion.* Alii con„ vertunt, *qui confidunt in Sion*, utramque in„ terpretationem ejiciunt haec, quae sequuntur, „ *et confidunt in monte Samariae.* Nam cum „ extiterit inter Sion et Samariam perpetua riva„ litas, non potuere iidem homines confidere et „ in Sion et in Samariam." Equidem non intelligo cur in utroque loco simul esse non potuerint homines, luxui dediti, opibus immersi, iisque confisi; — aut etiam, si ita interpretari velis, licet haec non fuerit auctoris mens, fiduciam collocantes in firmitate munimen-

mentorum Hierosolymae et Samariae; uti revera Judaei suae metropoleos et Israëlitae Samariae nitebantur munitionibus. Non enim dixit Propheta eosdem homines Hierosolymae et Samariae simul fuisse confisos, quo errore Critici hujus ratiocinium nititur. Sed utriusque urbis proceres, tanquam luxui, et temerariae fiduciae et securitati, opumque abusui deditos, perstringit. — Audax] itaque et temeraria est conjectura, qua legendum conjicit השאמים *qui contemnunt* בציון *Sionem*, nixus tamen auctoritate Alexand. interpretum, qui reddunt ἐξουθενοῦσι Σιὼν, quos sequitur Syrus. Quam lectionem ita illustrat „ erat „ cur Samaria sperneret Sionem, quoniam tum „ florebat regnum Samariae, cujus limites recu„ peraverat Jeroboamus. — — — cum interea „ regnum Judae inclusum erat limitibus angu„ stis." Vitiosa lectio versionis Alex. interpretem Syrum et Criticum nostrum in errorem induxisse videtur. Non ita legebat JUSTINUS MARTYR. in *dial. cum Tryph.* locum hunc ita citans οὐαὶ οἱ κατασπαταλῶντες *vae lascivientes.* mendum esse videtur in verbo ἐξουθενοῦσι; ipsi interpretes scripsisse videntur εὐθηνοῦσι ἐν Σιὼν, quod ab imperito aliquo, vel correctore vel librario corruptum, uti ingeniose conjecit CAPELLUS in *Crit. S.* p. 527. verbum hoc apud hos interpretes de *opulentis* et de *tranquillis* adhibetur. Miramur J. A. DATHIUM, eundem committentem errorem.

Vs. 3. Quod in membro priore dicitur *o vos*

confluere facientes, vel convocantes, *ad diem mali*, id in altero ותגישון שבת המס *et compellitis*, vel citatis *ad confessum crudelitatis;* esse debebat *confessus* juris et *aequitatis*, sed contra erat *confessus immitis et horrendae crudelitatis*. Oppido fallitur, ut opinor, HOUBIGANTIUS, putans שבת esse nom. deriv. a verbo שבת non ישב, qui phrasin nostram sic interpretatur *appropinquare facitis*, idem sonat ac *avide exspectatis*, donec sabbathum venerit, ut quos homines vultis spoliare, opprimatis imparatos. Sunt in oppositione *dies malus* et *Sabbathum*, diem malum avertunt, Sabbathum mente praecipiunt. Si punctorum ratio habeatur, *Sabbathum* vocatur שַׁבָּת, et hic sermonis nexus requirere videtur consessum judicialem, huc tendit v. נדה et הגיש. — Porro dura phrasis est *appropinquare facitis Sabbathum crudelitatis*, pro *avide exspectatis Sabbathum*, *quo imparatos injuria afficiatis*.

Vs. 8. Dubitatur de vera significatione v. מתאב. plerique reddunt *abominans*, in consilium adhibito v. תעב tanquam cognato; ex parallelismo inquit MICHAËLIS in *Supplem. ad Lex Heb.* manifestum, מתאב hic idem significare quod מתעב, ut jam recte intellexerunt LXX. βδελύσσομαι. Fatendum est notionem hanc loco huic esse convenientem; attamen verba תאב et תעב cognata esse nulla probabili ratione demonstrari, neque *abominandi* et *desiderandi* notiones, quam posteriorem תאב habet *Ps.* CXIX. vs. 40 et 7. inter se conciliari possunt. — Rectius confer-

fertur Chald. תוב Arab. تاب et ثاب quae conveniunt cum Heb. שוב quae habet ſignif. *vertendi*, *revertendi*, *convertendi*, et *avertendi*, quae aptam ſedem invenit *Pſ.* CXIX: 40. *ecce converto me ad mandata tua*, et vs. 174. *converto me ad ſalutem tuam.* In loco noſtro *averto ego ſuperbiam Jacobi*, eodem modo ac *Nah.* II: 3. כי שב יהוה את גאן יעקב *nam Jehova avertit ſuperbiam Jacobi* — Majus tamen decus et elegantia noſtro et *Pſ.* CXIX. locis addetur per pr. v. שוב vel תוב notionem ſitam in *fluendo;* adhibetur nempe *de aestu aquarum identidem ſtatisque temporibus refluente et creſcente.* Quae certisſima v. שוב est origo, in S. Cod. quoque conſervata, *Exod.* XIV: 27. *Eccl.* I: 7. Sic in noſtro haec orietur ſententia, *refluere et decreſcere faciam aestum Jacobi*, id est, *ſuperbiam Jacobi*, *fluminis inſtar intumeſcentem detumeſcere faciam*, ſimul omne quo ſe effert, faciam ut refluat recedatque. Ex eodem fonte profluit notio *deſiderii* vehementioris, magis magisque aquarum aestuantium inſtar accreſcentis. Haec veriſimilis est conjectura doct. Herwerden in *Specim. Phil inſ. Syll. Leiden.* p. 704. Nec minus placet alia N. G. Schroederi conjectura, olim cum ſuis auditoribus communicata, ſuſpicantis תאב esſe v. cognatum v. דאב cujus pr. notio est *tabeſcere*, ut cum v. gr. *cera igne liquefacta tabeſcit*, quod verbum tranſlatum ad *animum*, qui dicitur *tabeſcere* ad aliquam rem, quando eam ita vehementer deſiderat, ut prae ardenti deſiderio quaſi conta-

 bes-

bescat. ita *Jer.* XXXI: 25, sic quoque *Ps.* CXIX. Alio autem flexu idem *tabescere* transferri potuit ad indignationem, iram et odium, quo in animo, quasi ignis, alitur, eum consumens et quasi tabefaciens. Ita in loco nostro *tabefaciente indignatione prosequor fastum Jacobi.* Quas conjecturas hic in medium proferre operae pretium videbatur.

Vs. 9, 10. Hic fingitur casus: morbo grassante pestifero, decem homines in eadem versantur domo, octo morbo hoc correpti jam mortui sunt, supersunt duo, alter sanus postremo mortuum elaturus, et in innumerabili fere cadaverum multitudine vespillonis munere functurus; alter jam morbo hoc laborans, et in domus angulo latens, sanus ignorat, num reliqui omnes jam exspiraverint, rogat ergo aegrotum, num ipse solus supersit, an vero plures, qui respondet אפס *exspiratio*, omnes jam praeter me supremum spiritum efflarunt, nullus superest vivus, actum est de nobis, ipse mox ad plures abibo, frustraneis querelis, lamentationibus et precibus missis, tacendum, et in Numinis voluntate acquiescendum est. — Sanus vocatur דודו *amicus ejus*, mortui illius sodalis, in eadem cum ipso degens domo, et מסרפו rectius משרפו, uti legitur in multis Codicibus pr. *cremator ejus*, thema est שרף *cremare*, transfertur ad funeris procuratorem; licet enim Hebraei cadavera sepelirent, tamen succenso rogo, in honorem defunctorum nobilium aromata cremabant 2 *Chron.* XVI; 14. – XXI; 19. Ex mo-

more hoc nominis ratio repetenda est, etsi plerumque nulli succendebantur rogi.

Cap. VII.

Vs. 2. מי יקום. — Omnes antiquae versiones יקים *suscitabit*, *sustentabit*, *stare* vel *consistere faciet*, quam lectionem vulgatae praefert HOUBIGANTIUS et DATHIUS. Cum autem non reperiatur in Codicibus a KENNICOTO et ROSSIO collatis, mox quoque repetatur vs. 5, et commodam admittat interpretationem lectio vulgata, eam retinendam esse putaverim. — *Quis stabit Jacobus?* hoc est, *quis est Jacobus, ut stare possit?* Coll. Jes. LI: 19.

Vs. 4. תהום vulgo *abyssus*, apud Hebraeos adhibetur de *mari* et *lacu* vid. MICHAËLIS in *suppl. ad Lex. Heb.* et in *Bibl. Orient. Exeg.* *parte* XVII. p. 66, ubi derivat. ab הום *fluctuare*. Potest quoque deduci a תהם cujus proprietas est in *aestu fervidiore*, hinc notat *aquas profundiores* multo cum aestu et fervore se moventes, inde *mare* vel *lacum*. —— In loco nostro תהום רבה *mare magnum* aliud esse nequit, si virum hunc doctum audire velimus, quam *mare mediterraneum*, sed quomodo hoc ab igne consumendum, difficile dictu est. Cogitat itaque de *insulis ignivomis*, ex eo ortis, quod phaenomenon Archipelago proprium. Delum, Rhodum, aliasque commemorat insulas, secundum veterum testimo-

V 4 nium,

nium, ita natas, de quibus plura in medium protulit celebris Geographus BUSCHINGIUS. Hic ſenſu maxime proprio eſſet *ignis in mari magno.* Sed, quod pace manium tanti Viri dixerim, omnia haec ab hoc loco aliena ſunt. Offertur vatis phantaſiae *ingens mare* vel *lacus*, qui alius rei emblema ſit, hic non cogitandum de hoc vel illo mari aut lacu, ſed generali. — Hic exiſtimaverim eſſe imaginem magni populi et quidem, ut opinor, bellis tam intestinis quam externis vehementius, tanquam vehementiore aestu, commoti. Tanquam talis hic proponi videtur populus Israëliticus. Ad propriam imaginis hujus indolem, ſi attendamus, ſolet quidem aqua extinguere ignem, verum ingentem ignis ſubterranei copiam, cum arena lapidibus aliaque materia, maxima vi in terrae motu prorumpentem, multas poſſe conſumere aquas, nemo in dubium vocaverit. Apud Arab. et Syros idem hoc aut affine vocabulum deſignat *loca maritima*, *regiones mari adjacentes.* Quo uſu hic admiſſo תהום deſignaret Israëlitarum regiones mari mediterraneo vicinas, adjacent enim huic ab una parte, ab altera quoque magnis lacubus et Jordani. Forte Propheta, data opera, dubiae ſignificationis nomine uſus fuit. Quam notionem, ſi quis amplecti vellet, non magnopere me haberet reluctantem, licet hujus uſus nullum in S. Cod. occurrat exemplum.

Vs. 7. *Murus perpendiculi* est cui perpendiculum admovetur, ut ejus rectitudo rigide et accurate

exploretur, quem ſaepe quidem tranſierat faber ad ejus curvitatem non attendens, nunc autem ad normam perpendiculi accurate examinaturus erat. — Videtur esſe imago populi Israëlitici vitioſi, cui Deus hactenus pepercerat, ſed qui nunc rigide examinaretur, et vitioſus deprehenſus deſtrueretur; metaphora a fabro deſumta, quam metaphoram auctor continuat, addens ונשמו במות, etc. Introducitur Deus, ipſe mentem ſuam explicans his verbis: *ecce ego pono perpendiculum in populo meo Israële* etc. quae verba conſideranda ſunt tanquam explicatio praecedentis imaginis fabri, cum perpendiculo ſuper muro ſtantis, quaſi diceret Propheta, ne dubius haereas, quid illo emblemate deſignetur! murus iste est populus Israëliticus, et ego faber perpendiculum ei admoturus, nec amplius, ut antea tranſiturus ad vitia connivendo. — Vix est quod moneam, *in medio populi*, nihil aliud esſe, quam *in populo.* Cum autem *celſa* et *ſacraria* deſtruenda dicantur, haud obſcure ſignificatur maximum Israëlitarum vitium in idololatria, crasſa ſuperſtitione, et defectione a religione avita per Mosem praeſcripta, ſitum esſe. Hic enim cultus religioſus in eorum *celſis* et ſacrariis exercebatur.

Vs. 10. קשר *ligare, colligare*, ſp. conjurationis vinculo plures ſocios in Reipublicae perniciem colligare, *conſpirare in medio domus Israëlis*, id est palam in publicis conventibus conſpirationem ſine metu prodere. — Attentione digna est phraſis כיל לא־תוכל הארץ להכיל את־כל־דבריו verba

 et

et יכל pr. significant *capacem esse*, *sua capacitate complecti*, *comprehendere*; inde *capacem esse ad rem* id est *valere*, *posse*; porro *sustinere*, *ferre*. — Alexandr. οὐ μὴ δύνηται ἡ γῆ ὑπενεγκεῖν πάντας τοὺς λόγους αὐτοῦ· Sensus huc redire videtur, incolae hujus regionis non possunt diutius ferre ipsum talia loquentem sine gravi motu et tumultu. Sacerdos hic idololatricus suae religionis honori et muneri timens praetextum ex Regis et Reipublicae periculo sumit, atque odiosum rebellionis crimen prophetae impingit. — Alexandr. nonnullis in locis verba haec interpretantur per χωρέω. Proxime ad phrasin nostram accedit illa JOANNIS in Euang. Cap. XXI: 25, sive eadem est, quamvis diverso sensu, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. — Quae, si significet tantam fore librorum copiam, si omnia Christi facta conscriberentur, ut mundus sua capacitate comprehendere non possit, magna sane foret hyperbole! quemadmodum dicitur de gregibus JACOBI et ESAUI eos adeo magnos fuisse, ut terrae tractus eos simul capere vel ferre non posset, ita nempe, ut pabulum praeberet tantae armentorum et pecudum copiae sufficiens, dicit historicus *Gen.* XXXVI: 7. ולא יכלה ארץ לשאת אתם. — Hyperbole JOANNIS, si phrasis eo capiatur sensu, ferenda non est, licet similia prostent exempla, LIVIUS dixit: *Hae vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis* lib. VIII: 25. in Alcor. Cap. XVIII: 109. *si esset mare atramentum ad scribenda verba Domini mei: profecto deficeret mare, antequam deficerent*

ver-

verba Domini mei, etiamsi afferremus aliud atramentum, sicut illud extendendo, est adscribendum. — Similis locus occurrit Cap. XXXI: 27. *si porro quidquid est in terra de arboribus essent calami, et mare extenderet Deus post illud, quod est in septem maria atramenti; non exhaurirentur verba Domini.* Tales tumidae hyperbolae reperiuntur quoque in scriptoribus Judaicis Vid. WESTENIUS ad loc. cit. *Joann.* Sed offendunt lectorem Euangelii *Joannis.* Quare ISIDORUS *Pelusiota* lib. II. ep. 99 ad *Aphrodis.* in *Spicilegio Patrum*, quod edidit GRABIUS tom. I. p. 39. verbum χωρῆσαι pro *intelligere* et *credere* accipit, ubi eleganter dicit ὁ γὰρ φιλοχρήματος οὐκ ἐχώρησε τὸν τῆς ἀκτημοσύνης λόγον· οὐδ' ὁ λάγνος τὸν περὶ σωφροσύνης κ. τ. λ. ORIGEN. *Philocal.* Cap. 15. p. 46. de *sublimitate* dictorum, et factorum Christi cepit, quae nec scribi nec digne pronuntiari posset. Ne plura nunc congeram de loco difficili: verbo ἐποίησεν monemur respici ad *miracula* Servatoris.

Cap. VIII.

Vs. 8. כאר non dubito, quin legendum sit כיאר vel plene כיאור ut revera in variis Codicibus legitur, sermonis nexus certissime requirit notionem *fluvii* vel *torrentis*, et in loco parallelo Cap. IX: 5. legitur כיאר. — Posset quidem vulgata lectio eam ob rem defendi, quia verba אור et יאר in origine conveniunt, utriusque propria notio sita est in *aestua-*

tua-

tuatione, praesertim in motu aestuante aquarum et liquorum. — Inde oritur יאור *aestuatio*, in usu *fluvius* vel *torrens*, qui multis aquis gravis vehementer aestuat, magno cum aestu fertur et longe lateque inundat. Eadem propria notio per alium flexum, in v. אור *lucis* significationem produxit, quae *aestuatio* dicta est a celerrimo et fervidissimo motu, quo liquidissima lucis substantia quaquaversum diffunditur. Hinc conjici posset eundem usum secundarium quoque fuisse in verbo et nomine אור, qui reperitur in יאר, utrumque de *torrente* adhiberi. At vero conjectura haec incerta et non verisimilis est; verba et nomina, quae in origine conveniunt, propterea in omnibus usibus derivatis haud conveniunt. Contra in eo linguae elegantia consistit, quod eadem primaria notio in verbis diversis flexus diversos producat, usus secundarios. Cum itaque אור constanter de *luce* in S. Cod. adhibeatur et יאר de *fluvio*, et loco parallelo יאר legatur, ubi prorsus eadem occurrit phrasis et in altero membro denique eadem lectio יאר et in nostro loco in multis Codicibus occurrat, non dubito quin haec sit genuina lectio. Accedit phrasin videri proverbialem, in qua eaedem voces invariatae servari solent. Sed quid fiet alteri verbo נשקה? pro quo in margine ex loco parallelo Cap. IX: 5. legitur נשקעה, quam lectionem multi Codices in textu exhibent. Posset et ejus defensio suscipi ea ratione, ut statuatur veteres Hebraeos verbum habuisse שקה, cum ultima He non *quiescente* sed *mobili*,

li, idem valens, quod שקע scil. *sidere*, *subside-re*, eodem modo ut גבה et גבע unam habent notionem pr. *convexae altitudinis*. Ita נשקה scriptum erit, per *defectum* haud insolitum, pro נשקהה. Quam conjecturam proposuit N. G. SCHROEDERUS in *Observ. Select. ad Origin. Heb.* Cap. VI. §. 5. At vero ipse vir summus addit, *si quis tamen malit Masoretharum emendationem amplecti et legere* ונשקעה, *non valde refragabor.* —— Neque ego refragabor, praesertim quia mera est suspicio de v. שקה nullo probata exemplo.

Vs. 14. אשמת שמרון forte idem est idolum, quod 2 Reg. XVII: 30. vocatur אשימא. *Hamathacorum* erat idolum, forte ita ab illis dictum, quod in reatum incurrere faciat omnes, qui illud non prosequantur cultu religioso, licet incertum maneat, quale numen fuerit. Quae est sententia G. J. LETTE in *Biblioth. Brem. N. cl.* I. f. 1. cui se amice opposuit N. BARKEY, conjiciens esse idolum ab Aegyptiis dictum *Esman*, octavum eorum post VII. planetas Deum, de quo JABLONSKI in *Pantheo Aegyp.* Lib. II. Cap. VII. §. 2. Quaeritur porro quid sit דרך *via* Bersebae, Οἱ 'O legerunt אלהיך reddunt enim ὁ Θεός σου, de cujus lectionis veritate adeo non dubitavit DATHIUS, ut eam in suae versionis textum receperit. *Juranti*, inquit, *primo per Deum Danis*, *h. e. per alterum istum vitulum*, *qui ibi colebatur; quid igitur deinde per viam Bersebae jurant? cur cultus iste idololatricus alterius vituli via Bersebae* dic-

dictus sit? — At vero nihil frequentius est apud Arabes, quam *religionem*, seu *cultum religiosum* Numinis vocare *viam Dei*, ita passim in *Alcorano* سبيل الله Jurant ergo primum per vitam Dei Danis, deinde *per vitam*, id est, *perennem vigorem religionis Bersebae.* Quem usum habet quoque ὁδὸς in N. T. Act. IX: 2. τῆς ὁδοῦ ὄντας qui ambulant in illa via. Lectionem itaque vulgatam retinendam esse censuerim.

Cap. IX.

Vs. 1. Visio, quae Prophetae exhibetur, mihi talis fuisse videtur; ipsi coram oculis ponitur altare et in ejus vicinia magnificum et splendidum palatium; juxta aram stabat Angelus Jehovae, utrumque destrui jubens. — Destructio inciperet ab altari, cum, ut significetur cultum illum superstitiosum et idololatricum penitus esse abolendum; nullum miseris reliquum futurum: miseri enim et adflicti ad aras confugere solebant. Praecipuum Reipublicae praesidium et firmamentum in cultu suorum Numinum positum esse putabant. Per altare non intelligendum videtur altare holocausti templi Hierosolymitani, sed Israëlitarum ara idololatrica, una cum tota Republica destruenda. Palatium enim hoc non procul ab ara dissitum imago est regni Israëlitici decem tribuum. in palatii hujus destructione regni Israëlitici abolitionem cernere potest, ab Omnipotente totius mundi Domi-

mino, cujus majestas magnifice deſcribitur, efficiendam. — Ne vero homines probi putarent, totam Israëlitarum gentem, regnum Judaicum aeque ac Israëliticum, prorſus et in perpetuum esſe abolendam, inde a vs. 7. populi Israëlitici conſervatio, regni Judaici inſtauratio et florentisſima post exilium Babylonicum promittitur conditio. — Viſio itaque Prophetica a vs. primo exhibita et inde ad vs. 7. accuratius explicata, depingit tantum interitum Religionis, nunc in regno decem tribuum florentis, ſuperſtitioſae et Idololatricae, et ipſius Reipublicae Israëliticae, non vero pertinet ad regnum Judaicum, ſed inde a vs. 7. in parte conſolatoria, ubi populi et regni promittitur inſtauratio, potisſimum ſpectatur regnum Judaicum. Magnificum illud palatium, funditus deſtruendum imago est regni decem tribuum, ad cujus interitum annunciandum misſus erat Amosus. Forte templum hic exhibetur idololatricum cum altari in eo, et templum quidem hominibus Israëlitis cultoribus idoli, refertum, cujus columnae ſeu postes percusſae una cum toto aedificio, ruerent in capita בראש כלם *omnium* in templo praeſentium, ita ut omnes perirent, eodem modo, ut olim *Philistaei* in *Dagonis* templo, columnis, quibus innitebatur, a Simsone convulſis. Neque illi, qui extra templum erant, periculum effugerent, hi enim gladio interficerentur, nuspiam tuto aſylo reperto. Quae viſi hujus ſpecies nunc magis mihi arridet, quam primo loco propoſita.

Vs. 7. Ultima haec vaticiniorum Amosi pars inde

a

a vs. 7. omnino ad totum populum Israëliticum pertinet, tam Judaeos, quam Israëlitas. — Hinc Deus ita loquens introducitur הלוא את־ישראל העליתי מארץ מצרים *nonne eduxi Israëlem ex Aegypto?* utique totum populum, non tantum decem tribus, ex Aegypto eduxerat. Porro cum minatur se regnum peccans prorsus perditurum, ne quis inde eliceret, totum populum, regnum utrumque idololatria, peccatis, et sceleribus inquinatum funditus deletum iri, hoc addit temperamentum: non tamen prorsus delebo את־בית יעקב, *domum Jacobi*, consulto hanc generalem adhibuisse videtur appellationem, hoc totius populi epitheton, ut aeque de Judaeis, quam Israëlitis cogitaremus. Utriusque hujus regni peccatores delerentur, sed servarentur in quibus aliquid bonae frugis, de quibus omnis emendationis spes non decolasset. In exilio concuterentur, ut frumentum in vanno, et purgarentur. Reliquiae reverterentur in patriam. Tum erigeretur *tentorium Davidis collapsum*, id est, *Davidis regnum* instauraretur. Quod non ita intelligendum, quasi Davidis posteri throno rursus insiderent, sed idem illud regnum, quod Davides condiderat, regnum totum complectens populum. — Haec inprimis hujus appellationis videtur ratio, ne cogitaremus de solo decem tribuum, aut Judae regno, verum de regno universo totius populi, quod tenuerat Davides, eoque florentissimo et amplissime extenso. — Hoc regnum denuo conditum fuit per *Maccabaeos*. Tunc *Idumaei* aliique vicini, olim inimici, devicti

et

et Reipublicae Judaicae inserti sunt. Tunc laeta tempora redierunt. Cum Jehova dicit ושבתי את שבות עמי ישראל *reducam exules*, et simul instaurabo res collapsas, *populi mei Israëlis*, procul omni dubio tam de Judaeis, quam decem tribuum Israëlitis cogitandum est. — Hic populus in patriam redux urbes vastatas instauraret, felici uteretur fortuna, rerum omnium afflueret copia. Licet autem nulla integra tribus ex decem tribubus fuerit reversa cum Judaeis, multi tamen ex omnibus, et omnes Israëlitae, veteri aemulatione sublata, etiam, qui in exilio manserant, amore, spe, affectu benevolo hoc amplexi sunt regnum. Idem tum fuit populus in Cananaea, et extra illam. Miror equidem ex recentissimis interpretibus Michaëlem, nihil nisi Messiae regnum hic cernentem.

Vs. 12. LXX hic nimis longe discedunt a lectione vulgata, in omnibus nobis notis codicibus obvia, pro יירשו legerunt ידרשו, pro אדום אָדָם, pro את שארית, שארית, praeterea inseruerunt vocem אדין, quae in nullo codice occurrit, in omnibus codicibus a Kennicoto et Rossio collatis legitur plene אדום. — Solet quoque apud Prophetas instaurationi Reipublicae sive Regni per Maccabaeos adjungi Idumaeorum subactio, sic *Obad.* I: 21. videtur itaque lectio vulgata genuina. Fortuito haec tanta lectionis diversitas oriri non potuit. Quare nonnulli suspicantur Judaeos ex odio in Gentiles, quos Christi ecclesiae inserendas esse ferre non poterant, locum hunc studio cor-

rupisse; genuinam autem lectionem esse, quam exhibent LXX, quam sua auctoritate confirmavit Jacobus *Apostolus* Act. XV: 17. ita existimant Starckius et Kennicotus in *diss. generali* §. 67. p. 30. — Contra lectionis vulgatae patroni putant, Apostolos pro sui temporis more usos fuisse versione Alexandrina, etiam in illis locis, in quibus a textu Hebraeo discrepabat. Sed porro quaeri potest, unde haec Alexandrinorum nata sit versio; qui sane non ita reddidissent, nisi lectionem hanc in suo habuissent codice. Verum idem de multis aliis locis quaeri posset, in quibus hi interpretes longe a textu Hebraeo hodierno recedunt. Videntur usi codice, punctis carente, sic אֱדֹם et אָדָם facile confundere potuerunt. Neque adeo magna est differentia inter ״חשו et ירדשו', inter אדם et אדן. Quae vocum harum similitudo interpreti, sibi multa permittenti, occasionem praebere potuit hanc formandi versionem.

DIS-

DISSERTATIO PHILOLOGICO EXEGETICA

IN

SELECTA S. COD. LOCA.

CAPUT I.

Locus Gen. xx: 16. *explicatur.*

Non tantum libros S. Codicis Hebraei propheticos et poëticos, in quibus sublime et ornatum dicendi genus, clariorem in multis desiderare lucem, sed et narrationem simplicem historicam, aliquot speciminibus demonstrare in animum induximus. Initium capimus a loco intricato *Gen.* XX: 16. Non recensebimus diversas interpretationes, facile ex *Bibliis Polyglottis*, *Bibl. Criticis*, *Poli Synopsi*, et similibus libris repetendas. Nobis haec placet versio, *et Sarae dixit, ecce dedi mille argenteos nummos fratri tuo*; id est *marito*, quem fratrem esse dixisti, *ecce illi* (sc. nummi argentei)

tibi tegumentum oculorum; (*a*) tu emes hoc pretio velum, quo faciem obtegas *omnibus*, *qui tecum;* tum ſequitur ואת כל ונכחת, in quibus maxima difficultas. DRUSIUS in notis majoribus ad h. l. dicit, *quot interpretes*, *tot fere ſunt interpretationes. Nam vix alius locus in hoc libro*, *quoad verba*, *difficilior. Mihi nondum clara lux in eo.* Cum ignorata vera indoles verbi ונכחת tum voculae ואת כל oculis caliginem offuderunt. Hinc tanta interpretationis varietas. Omnes fere verb. ונכחת derivant a th. יכח, quod vulgo redditur *arguere*, *disceptare*, *increpare*, *reprehendere*, *corripere;* in Hiph. *illuſtrare*, *clare demonſtrare*, hinc *monere*, *caſtigare*; quaſi hic ſignificaret *admonita*, *reprehenſa*, *demonſtrata es;* ſc., quod ſubintelligunt, *nupta* non *virgo*; quae interpretatio poſtrema tolerabilior (*b*). Rectius in ſubſidium vo-

(*a*) כמות oritur a כמה, كسو, pr. *involvere*, ſp. *veſte*, *amicire*, atque *omni ex parte cooperire* Cl. SCHULT. ad *Prov.* p. 176. eximie *faciem* et *oculos velo involvere* et *tegere. Gen.* XXIV: 65. *Jeſ.* XXIX: 10.

(*b*) Verb. יכח ſecundum Cl. SCHULTENSIUM in *clavi Dial.* p. 250. et *comm.* ad *Jobi cap.* V: 17. et *comm. in Prov.* pr. ſignificat *album*, *clarum*, *manifeſtum eſſe*, iu Hiph. *clare demonſtrare*, *arguere*, quod Latin. verb. etiam oritur a Gr. ἄργος *clarus*, *manifeſtus.* Sc. comparat cum Arab. وجح, quod has notiones habet. Sed modeſte diſſentit Cl. SCHEIDIUS in *Specimine* *Phi-*

vocasſent verb. נכח, Arabic. نكح, *inivit feminam, matrimonio ſibi junxit feminam, uxorem duxit*, et de muliere adhibitum *nupſit, marito juncta fuit* (*c*). Quae verbi hujus notio Arabicae dia-

Philologico Critico III. ad *Jeſaiam* p. 41. et ſeq. non ſine gravi ratione contendens, Arabic. وجح eſſe Hebr. יגח, non יכח; potius itaque in conſilium adhibendum Arab. وكح, quod ipſiſſimum יכח. Quod poſterius verbum, ut ibidem ex PHIRUZABADIO demonſtrat, pr. ſignif. *tundere, contundere, valide conculcare*, inde *retundere, reprimere*, etc. quam notionem locis S. Codic egregie convenire probat. Quae ſi vera ſint, ut videtur, verb. יכח non in genere *illuſtrationem, claram demonſtrationem, admonitionem lenem*, denotare poteſt: ſed non niſi *reprehenſionem* et *caſtigationem vehementiorem, acerbiorem* et *duriorem*, quae hic prorſus locum obtinere nequit; adeoque verb. ונכחת non reddendum *demonſtrata es*, ſc. *nupta*, non *virgo*, ſed *contuſa, acerbe caſtigata es*, quem ſenſum cum ſermonis nexus non admittat, liquet hic non de יכח, ſed נכח cogitandum eſſe.

(*c*) Cogitavit quoque de verbo נכח HOUBIGANT, ſed rectam non arripuit anſam. Ejus verba adſcripſiſſe juvabit: ונכחת: etſi nihil mendi eſt, tamen hic habemus (tot interpretationes, quot interpretes. *Graeci* intr. (Καὶ πάντα ἀλήθευσον, *et omnia vere dicito*, quaſi dice-(rent, *non taceto te eſſe uxorem*, forſan ex radice נכח, (*aequitas*. Vulgatus, *memento te eſſe deprehenſam*, (quaſi ex לקח. Longius aberrant *Chaldaeus*, *Syrus*, et

 (*Arabs*,

dialecti peritis notior est, quam ut exemplis probanda ſit. In tironum tamen gratiam nonnulla adſcripſiſſe haud taedet. In *Hamaſa* p. 404. وقالوا لها لا تنكحيه *Et dixerunt ei, ne nubas il-*

(*Arabs*, quos vide. Nos, *ne te concupiscant*; verbo (pro verbo, *nam concupiscibilis es* ob tuam pulchritudi-(nem, ex נכח, Arabico verbo, *ducere uxorem*, *uti* (*uxore*, vel *ejus matrimonium ambire*. Non placet, (*omnia vere dicito*, ob eam cauſam, quod Abime-(lech hoc ipſo in verſu Abrahamum nominat (Sarae *fratrem*, non *maritum*, neque adeo eo col-(limavit, ut Saram juberet nominare ſe *uxorem* Arbaham, (non autem *ſororem*. Ob eandem cauſam minus placet, (*memento te deprehenſam*, quia talis admonitio esſet ho-(minis ejus, qui Saram reprehenderet, quod non facit (Abimelech. Adde *deprehenſam* in נכחת vix contineri. (Caeterum ואת כל melius offert *Sam.* Codex ואת הכל. (Nam ita exprimi ſolet כל, post את, cum non ſequitur (nomen ſubſtantivum, aut vero adjectivum ad quod (id referatur. Vide *Levit.* cap. 8. vs. 27. — Sed non placet Houbigantii interpretatio, est enim et *minus apta*, et *ficta*, verb. נכח non adeo ſignif. *concupiscere*, *concupiscibilem eſſe*, quam *matrimonio jungere*, ipſumque *congreſſum venereum*. Rectius J. Robertson, in *clavi Pentateuchi*, *et marito juncta ſis*. נכח نكح pr. *punxit*; *centrum ſcopi collineavit*. 2. *Matrimonio ſibi junxit*; intranſitive *marito juncta fuit*, *nupſit*. Dubitans tamen addit, alii volunt נכחת esſe part. 2. ſp. a יכח *albuit* et in ſp. 2. ſp. נוכח, *commisſus in disceptationem cum altero*; ſolidis argumentis *demonſtratus*.

illi; ubi Schol. فارادت نكاحه *et cupiebat ei nubere*. ABU'L-FEDA de *vita Mohamm. Cap.* XI: يناكحوهم ان لا *ne matrimonia cum illis inirent!* ABU'LPHAR. *Histor. Dynast. Dyn.* 1. p. 8. ALCOR. *Sur* II: 222, 233, 236, 238. Hinc mulier *nupta* منكوحة dicitur. Sed non est, cur in re trita moras nectamus. Operae pretium fuerit observasse, ipsum hunc verbi usum MOSI haud incognitum fuisse. *Genes.* XXV: 21. ויעתר יצחק ליהוה לנכח אשתו כי עקרה הוא *Deprecatus est Isaacus Jehovam pro* נכח *uxoris suae, quia sterilis erat.* sc. ut felici cum successu rem cum ea haberet. Quod jam odoratus est magnus A. SCHULT. adhuc juvenis in *animadv. Phil. in Genes* cap. II. p. opusc. 118. Idem usus in nostro loco obtinet, *nupta mulier es*, propterea faciem velo tegas oportet, ut omnes ex hoc indicio cognoscant, te esse mulierem nuptam. Nempe antiquissimis temporibus mulieres nuptae faciem obvelabant, virgines tum demum velum sumebant, cum viro jungendae erant, ut ita marito servandam fidem significarent. REBECCA et RAHEL, quamdiu virgines erant, nullo utebantur velo. Gen XXIV: 15, 16, 65. et cap. XXIX: 9. Quem morem imitata fuit SARA, innuptam ABRAHAMI se simulans sororem. consulatur Cl. SCHROEDERUS in libro aureo de *vestitu mulierum Hebr.* p. 89. (*d*). Ne iterum hac

(*d*) Eadem olim apud *Lacedaemonios* vigebat consuetu-

hac arte alios viros in errorem induceret, ipsi auctor fuit Abimelechus. Caeterum propriam verbi נכח notionem in *pungendo* sitam esse, conjicit Cl. A. Schultensius ex comparatione cum affini نكخ, quod in camuso declaratur نهز *pungere*, κεντεῖν. sp. dicitur de jaculatore centrum scopi collineando feriente in *commentar.* ad *Prov. cap.* IV: 25. et *cap.* XXIV: 26. Ex quo fonte reliqui usus profluxerunt. Hinc לנכח *recta*, *e regione*, κατὰ σκοπὸν. Transfertur quoque, ne alia commemoremus, ad *virtutem*, ad Divinae legis amussim exactam, non ab ea declinantem, recta quasi linea scopum, a Deo humanis actionibus praefixum, ferientem, *Jes* LVII: 2. *Amos.* III: 10. ארץ נכחות dicitur regio, ubi viget justitia aequitas omnisque pietas, ad Divinae legis normam exacta, *Jes.* XXVI: 10.

Prio-

tudo, ut testatur Plutarchus in *Laconicis Apophthegm.* Oper. t. II. p. 232. Πυνθανομένου δέ τινος διὰ τί τὰς μὲν κόρας ἀκαλύπτους, τὰς δὲ γυναῖκας ἐγκεκαλυμμένας εἰς τοὐμφανὲς ἄγουσιν; ὅτι (ἔφη) τάς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ· τὰς δὲ γυναῖκας, σώζειν τοὺς ἔχοντας. *Quaerenti cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent: quia, inquit, virginibus quaerendi sunt viri, mulieribus opera danda, ut servent maritos.* Qui locus non effugit magnum Schroederum ibid. p. 93. (Patet igitur, Bauerum et Rosenmullerum in *Schol. ad h. l.* temere negasse, ullo testimonio probari posse, antiquissimis temporibus, uxores, non item virgines, vultum velamine occultasse. L.)

Priore difficultate, ut opinamur, ſublata, remanet altera in vocibus ואת כל, quae in hac ſerie lectorem offendunt. Quare enim diceret Abimelechus *et apud omnes*, postquam jam dixiſſet לכל א'שר אתך, *omnibus*, *qui tecum*, haec tautologiam ingratam redolent. Vener. avunculus H. Venema in *Hiſt. Eccl V. T.* t. I. p. 107. ubi hunc locnm tangit, ſuspicatur pro ואת, duabus prioribus litteris transpoſitis, legendum esſe אות *ſignum;* כל vero vel ex praecedente irrepſiſſe putat, vel potius cum אות conſtructum denotare *ſignum conſummatum*. Sed illud אות כל ונכחת duriusculum; leviter disſentire liceat. Forte genuina et antiqua lectio haec est, אות כי לו נכחת *ſignum quod ipſi nupſiſti*, quod ejus *uxor*, et *non innupta ſoror*, es. Puncta leviter mutari et huic lectioni accommodari, nemo hoc tempore aegre feret. Hac autem ratione omnis difficultas evaneſcit, et ſermo redditur planus et facilis. Est quoque emendatio minime violenta, ſed facilis; littera ו ex ונכחת refertur ad ל praecedens, una tantum exigua illa littera י textui inſeritur. Judicent critici, ultra veriſimilitudinem hic progredi non licet. Il. Michaëlis, (*Bibl. Orient.* pt. 9. pag. 188.) ſingularem hujus verſus dedit interpretationem, multum diverſam ab ea, quam in nova verſione vernacula V. T. dederat; periti eam cum nostra conferant, et judicent (*e*).

Cuncta

(*e*) Auctoris nostri interpretatio probabilis quoque vi-

Cuncta jam in expedito esſe videri posſet; unus tamen reſtat ſcrupulus, velum mille argenteorum nummorum, licet eorum valor praeciſe definiri nequeat, et quidem hoc tempore, ubi ſumma morum vigebat ſimplicitas, pecuniae erat penuria, ignotus hactenus luxus, nimis pretioſum videtur. Ut pretii magnitudo intelligatur, comparemus alios locos, ubi eorundem nummorum mentio. JOSEPHUS a fratribus *Midianitis* quibusdam mercatoribus vendebatur *viginti argenteis Gen.* XXXVII: 28. JOSEPHUS ad ſummum dignitatis faſtigium in

videtur amicisſimo MUNTINGHIO *Geſchiedenis der Menſch.* vol. 3, pag. 33. annot. Haud ingratum fore ſpero lectoribus, ſi apponam interptetationem, quam mecum aliquando GREVIUS noster communicavit. Is igitur lectionem אחיך, quam textus exhibet *Samaritanus*, praeferendam putat, — tum verba כסות עינים tropice esſe explicanda, ſcilicet acceptae iniuriae memoriam animo esſe delendam; — porro ונכחת deducit a radice יכח, *tundere, reprimere*, hinc *reprehendere, castigare*, — denique verba ואת כל adverbialiter poſita ad modum, quo nos utimur *nihilominus*. Jam verba ita reddit: „ ABIMELECHUS *ſic allocutus est* SARAM: *dedi fratri tuo* „ *mille ſiclos argenteos ut conniveas in iis quae tibi* „ *evenerunt; nihilominus tamen fuit reprehenſa.*" Cujus reprehenſionis cauſam hanc esſe autumat vir optimus, quod SARA domo ABIMELECHI deducta, atque forte ſollicitata, de industria tacuerit, ſe esſe ABRAHAMI uxorem. L.

in *Aegypto* evectus BENJAMINI dilecto donum *trecentorum argenteorum* dedit. Conferantur porro *Deuteron.* XXII: 19, 29. *Judic.* IX: 4. *cap.* XVI: 5. *cap.* XVII: 4, 10. 2 *Sam.* XVIII: 11, 12. 1 *Reg.* X: 29. Integrum agrum cum ſpelunca ad mortuorum ſepulturam ABRAHAMUS emisſe legitur *quadringentis ſiclis argenteis*, ſed idem nummorum genus fuisſe affirmare non auſim, ibi enim additur vocabulum שקל, *ſiclus*, quod in locis memoratis non reperitur, ſed per ellipſin ſubintelligendum esſe vulgo putant interpretes. Poſterioribus temporibus conficiebant pepla faciem velantia ex pretioſisſima materia, auro etiam et argento gemmisque exornabant. An vero id jam ABRAHAMI aetate fecerint, jure et merito quis dubitaverit. Quid ergo? numeri corrupti in tanto veterum et recentiorum interpretum et Codicum conſenſu vix ſuspicio ſuboriri poteſt. Ad animum itaque revocandum est, donum fuisſe regium, nec ſplendida et pretioſa ornamenta hoc tempore ignota fuisſe, ut vel ex REBECCAE historia liquet *Gen.* XXIV. Tandem, non exiſtimandum, hoc pretium *mille argenteorum* uni faciei velo, ſed pluribus ſuccesſive emendis, et per omnem vitam ad uſum adhibendis, deſtinatum fuisſe. Caeterum *mille iſti argentei nummi* ſecundum *Codic. Samaritan.* jam memorantur vs. 14, legitur ibi ויקח אבימלך אלף כסף וצאן *et ſumebat Abimelechus mille argenteos et pecudem* etc. — ויתן לאברהם et *dabat Abrahamo.*

CA-

CAPUT II.

Explicatur locus Exod. IV: 24 — 27.

§. I. MOSI, divino jam ad *Israëlitas* legato, futuro eorum liberatori et legislatori, in itinere, ex regione *Midianitica* verſus *Aegyptum*, cum uxore et liberis verſanti, ſingularis accidit eventus, pauciſſimis verbis ab ipſo in hoc *Exodi* loco relatus. Qui locus cum ob narrationis brevitatem valde ſit obſcurus, diverſisque interpretationibus obnoxius, paucis noſtram ſententiam, miſſis omnibus veterum et recentiorum interpretationibus, in medium proferemus; quae ſi veriſimilis viſa fuerit, voti compotes erimus. Nihil enim praeter veriſimilitudinem hic ſperari poteſt. Vs. 24. ſic ſe habet. *Accidit, ut, cum in itinere in diverſorio esſet, in ipſum irrueret Angelus Jehovae, et quaereret illum interficere.* *Jehova* in textu memoratus procul dubio est *Angelus Jehovae*, ut habet verſio LXX interpr. et *Targum Onkeloſi.* Is humano corpore veſtitus et telo aut gladio armatus, ut videtur, in MOSEN impetum fecit in loco pernoctationis. Verb. פגש in origine videtur valuisſe, inquit Cl. SCHULTENSIUS in *comment.* ad *Jobi* V: 14. , *offendere*, *offendendo allidi*, et *impingi* in aliquid; non ſimpliciter ſignif. *occurrere*, ſed *irruere* vehemente cum impetu, frontibus et capitibus ſibi invi-

vicem impactis, ut obſervat Cl. VENEMA in *comment.* ad *Pſ.* LXXXV: 11. p. 816. unde transfertur et ad *amicam* impactionem cum mutuo amplexu, ita mox de AARONE vs. 28. et ad *hoſtilem Prov.* XVII: 12. *Hoſ.* XIII: 8. Poſteriorem hujus ſermonis nexus requirit, ſequitur enim, *et quaerebat eum interficere* (*f*). Angelus Jehovae irruebat

(*f*) Hic ſcrupulum nobis injicit J. C. BONNET, in obſervatione exegetica *de ſponſo ſanguinum*, inſerta *Biblioth. Haganae Claſſi* V. Quamquam noſtri conſilii ratio non fert, aliorum ſententiis refutandis immorari, ſed tantum noſtram in medium proferre, atque idoneis rationibus communire; hanc tamen intactam relinquere non posſumus; ſi enim vera esſet, noſtram interpretationem prorſus perverteret. Is itaque verba ויבקש המיתו reddit, *et poſtulavit* ſ. *enixe petiit*, ſcil MOSES Jehovam, *occidere ipſum*, ſ. *ut ſe occidat*. Alia itaque omnia hic referuntur, quam nos putabamus; non Angelus Jehovae in MOSEN irruit, eum ad necem quaerens, ſed MOSES Angelum Jehovae precatur, velit ſe occidere. Sane, ſi hic revera tanta in textu Hebraeo ſenſus ſit ambiguitas, Hebraea lingua valde imperfecta ſit oportet. Est haec viri Rever. ſententia procul dubio nova, nemini, ut equidem opinamur, unquam in mentem venit. Quantum ſcimus, omnes veteres et recentiores interpretes in noſtram verſionem conſpirant, hanc nempe, *et irruebat in eum*, ſc. MOSEN vel puerum nondum circumciſum, *et quaerebat interficere eum*, *quaerebat ad necem*, *volebat eum interficere*, ut videbatur. Sed audiamus virum Doctum; *vulgo volunt*, inquit, *Jehovam bic*

bat non in puerum nondum circumcisum, sed in MOSEN, quod ex sermonis serie clarissime liquet; Mo-

hic dici se parasse ad occidendum Mosem. Id quomodo vel specie veritatis dici possit, ego non intelligo. Vix miserat Deus Mosem, jam iter facientem adoritur et occidere vult: contradictoria sunt. Haec speciem habent, sed evanidam. Nonne Deus ABRAHAMO spem copiosissimae prolis, ex ISAACO oriturae, fecerat? et tamen, non obstante hac promissione, eum adhuc puerum sibi in sacrificium postulavit. Non verum Angeli Jehovae consilium erat MOSEN occidere, sed tantum terribili hac specie TSIPPORAM ad filium circumcidendum impellere: quomodo enim ipse foedifragus idoneus Dei ad Israëlitas fuisset legatus? ast forte Hebraea verba nostram interpretationem haud admittunt: id revera existimat vir Rever. ita enim pergit, *nec vero* בקש *dicit parare, speciem alicujus rei praesumere, atque ejusmodi; sed postulavit, petiit, quaesivit omni studio, ut e quovis etiam discere licet dictionario. Priorem certe significatum demonstratum ego nondum vidi.* Nos vero contra adfirmamus, phrasin בקש חמית vel לחמית semper significare *quaerere ad necem*, sive verum hoc sit animi propositum, sive quis hanc tantum prae se ferat speciem; quod aliunde, non ex hac phrasi intelligendum est. Veniamus jam ad rem. Affinis phrasis occurrit *Exod.* II: 15. *audiebat Pharao rem istam* ויבקש להרג את־משה, *et quaerebat interficere Mosen.* Similis verbi usus ESTHERAE III: 6. ויבקש חמן להשמיד את־כל־היהודים. *et quaerebat Haman perdere omnes Judaeos.* Eodem modo, *quaesiverunt*, vel conati sunt, *immittere manum in regem* Esth.

Moses enim est praecipuum ſubjectum, de quo omnia dicuntur; hic erat in itinere etc. Angelus tan-

Eſth. VI: 2. Sed quare in vicinia haeremus? ipſa enim phraſis nostra vulgatisſimi uſus est, nec unquam alium ſenſum habet. Dicebat Jonathan Davidi מבקש, שאול אבי להמיתך *Saulus pater meus te occidere quaerit*, 1 *Sam.* XIX: 2. rurſus אתה מבקש להמית עיר ואם בישראל 2 *Sam* XX: 19. porro 1 *Reg.* XI: 40. *Pſ.* XXXVII: 32. eodem modo ויבקש להכות 1 *Sam.* XIX: 10. 2 *Sam.* XXI: 2. In his omnibus tamen infinitivo praeponitur praefix. ל, imo vero, vix dubitamus, quin haec quoque genuina noſtri loci ſit lectio, non tantum, quia haec fere conſtans conſtruendi ratio; ſed et quod hanc exhibeat unus Cod. a Kennicoto collatus. Si quis autem vulgatae lectionis tenax ſit, poterit hanc conſtructionem deſendere *Jerem.* XXVI: 21. ubi prorſus eadem conſtructio ויבקש המלך המיתו, ſenſu manente eodem. Liquet itaque, hunc eſſe conſtantem hujus dictionis uſum. Hac vero ratione pergit *Rev.* Bonnet. *Quare multo* rectius Moses erit, qui poſtulavit et petiit. Subintelligi potest, quod praeceſſit, יהוה, atque ſic locu) tio *quaerere Jehovam*, pro *precibus adire*, *adorare* etc.) nimis est frequens, quam ut verbum addere ſit opus. Nec) hic conſenſum noſtrum impetrare potest, nullum recordamur exemplum, ubi verb. בקש ſolum per ſe, aut per ellipſin nominis יהוה vel אלהים ſignificet *precibus Deum adire*, *adorare*; ſed haec nomina tum diſerte adduntur. ita 11 *Sam.* XII: 16. ויבקש דד את־אלהים. Sic quoque בקש את יהוה *Deut.* IV: 29. confer. *Zeph.* I: 6. *Hoſ.* III: 5. *Jeſ.* XXV: 1. *Hoſ.* VII: 10. *Exod.* XXXIII: 7.

3 *Chron.*

tanquam iratus tanto impetu in eum irruebat, ut videretur eum interfecturus, crimen Mosis erat *neglecta circumcisio;* quod eo erat atrocius, quod ipse Numinis legatus, foederis mediator et legislator futurus esset; si hic ipse foederis signum et sigillum negligeret, et contemnere videretur, pravo exemplo vehementer noceret; Israëlitarum animos a se redderet aversos; quomodo eos ad officium adstringeret ipse illud negligens? an credere possent Judaei a Deo majorum suorum missum esse, qui foedus Divinum violabat, ejusque criterium in filio negligebat? Culpa tamen neglectae circumcisionis praecipue penes Tsipporam fuisse videtur, a cruento hoc ritu, in tenero infante instituendo, abhorrentem; quare nunc metu praesentissimi periculi, marito imminentis, eo compellitur, ut narratur vs. seq. 25. *tum Tsippora arripuit silicem,*

3 *Chron.* XVI: 10. 2 *Chron.* XI: 16. *Ps.* XXVII: 8. *Jes.* XLV: 19. 2 *Sam.* XXI: 1. Tandem Hebraei sermonis indoles et nexus omnino requirit, ut illud ויבקש *et quaerebat*, non de Mose, sed *Jehova*, seu Angelo Jehovae, dicatur; legitur enim *irruebat in eum Jehova* et *quaerebat eum occidere*, quod verb. *quaerebat* aeque ac *irruebat* hic ad alium referri nequit, quam ad Jehovam. Taedium crearemus, si plura adderemus. Voluimus hoc exemplo juniores commilitones admonere, ut caute et prudenter in s. litteris interpretandis versentur, nec temere quascunque notiones e lexicis arripiant.

cem, et circumcidit praeputium filii ſui; tetigitque pedes ejus, atque dixit, ſane cruentus tu mihi foederatus!

§. II. TSIPPORA ex verbis angeli ſive MOSIS intelligens, neglectam in ſecundo filio circumciſionem tantae irae cauſam esſe, ut maritum hoc periculo liberaret illico arripit צר *ſilicem* acutum, ſive *cultrum ſiliceum*, quales cultri Orientalibus uſitati dicuntur חרבות צרים *Joſ.* V: 3. *μαχαίραι πετρίναι*, ut habent LXX interpr., quibus ibi JOSUA in circumcidendis Israëlitis uſus legitur, et circumcidit praeputium filii. Quo facto, *tetigit pedes ejus* ſc. Angeli Jehovae, *et dixit* eidem Angelo, *ſane cruentus tu mihi foederatus!* phraſ. ותגע לרגליו reddenda est, *et tetigit pedes ejus*, ut habet verſio vulgata. Multis interpretibus impoſuit ſpecies Hiphil. reddunt *tangere fecit, obtulit, projecit, admovit, abjecit ad pedes ejus* ſc. *praeputium.* Quae ſi auctoris mens esſet, dixisſet ותגעה et *projecit illud* ſc. praeputium, ſed dicit ſine pronomine affixo ſimpliciter ותגע, quod punctis mutatis legendum videtur וַתִּגַּע, et est futurum in Kal, ubi verb. nostrum notat *tangere*, v. gr. *Gen.* III: 3. ולא תגעו בו *et non tangetis illum; tangere* autem *pedes alicujus*, ritus erat religioſus, in adoratione uſitatus. Quem ſenſum recte perceperunt LXX interpr., quamquam verbis ſe non adſtringunt, vertunt enim *καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ*, *procidit ad pedes ejus*, proſtrato corpore eum adoravit, et quidem ut habet textus Hebr. *tangens pedes ejus*, qui adorandi

 uſi-

usitatus erat ritus. *Matth.* XXVIII: 9. piae mulieres, ad Christum accedentes, ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ *prehenderunt ejus pedes et eum adorarunt*. Eodem modo Dominum venerari volebat MARIA, sed ei dixit, μή μου ἅπτου, *ne me tangas*, *Joann.* XX: 17. quem loci hujus sensum observavit quoque Cl. H. CANNEGIETER in erudita *Diss.* quam juvenis scripsit, *ad leg.* NUMAE POMPILII *de ara Junonis pellici non tangenda.* p. 44. Nec tamen semper erat actio religiosa: mulier *Sunamitis* supplex ad ELISAM accedens ותחזק ברגליו *firmiter prehensos tenuit ejus pedes.* 2 *Reg.* IV: 27. Eodem ritu supplex DAVIDEM venerabatur SIMEI, secundum JOSEPHI relationem *Antiq.* l. VII. c. XI. p. 376. Καί κατασχὼν αὐτοῦ τοὺς πόδας ἐδεῖτο συγγνῶναι. *et pedes ejus apprehendens veniam rogabat.* Ethnici quoque, Diis supplicantes, genua simulacrorum eorum in templis apprehendere solebant. Sic THETIS λάβε γούνων supplicans *prehendit genua* Jovis, HOM. *Il.* A. vs. 500 et 512. (*) Consulatur G. D. KYPKE in *observ. sacr. in N. F.* libr. in *Joann. cap.* XX: 17. et WETSTENIUS ad *Matth.* XXVIII: 10. et ad *Joann.* XX: 17. Alii interpr. Gr. verb. Hebr. verterunt ἥψατο τῶν ποδῶν αὐτοῦ, vel in partic. ἁψαμένη τῶν ποδῶν αὐτοῦ. Textui Hebr. magis inhaerentes, nostramque lectionem וַתִּגַּע confirmantes.

§. III. TSIPPORA autem, dolore et metu

vic-

(*) Imo vero ipsius Iovis prehendit genua, non simulacri Iovis in templo aliquo. L.

victa, ad Angeli pedes procumbens, in haec erumpit verba, *ſane cruentus tu mihi foederatus!* quae non marito ſuo Mosi, ſed Angelo dicit, ejus enim tangebat pedes, eum ſupplex precabatur. Verb. חתן. Arab. ختن, ſignif. pr. *ſecare, circumcidere*, uſurpatur de iis rebus, quae ſecuri aut cultro ſucciduntur et perſecantur, ſp. de *circumciſione*, qua infantis praeputium reſecatur; inde transfertur ad *foedera*, percusſis et caeſis victimis ſancita; imo ad foedera quaecunque, quem uſum habet 2 *Chron.* XVIII: 1. ubi dicitur de Jehoscaphato, ויתחתן לאחאב *foedus inivit cum Achabo*. collat. 1 *Reg.* XXI: 45. 1 *Reg.* III: 1. Hinc porro transfertur ad *affinitates* et *cognationum copulationes*, חתן dicitur *ſocer* hujus cap. vs. 18. *Judic.* XIX: 4. recte haec jam obſervavit Doctisſ. G. Verestoi in Disſ. *Philol. Theol. de palma ardente part.* 1. §. XVII. Notio *circumcidendi* infantem, et quidem *masculum* vel *femellam*, apud *Arab.* vulgaris est, v. gr. Muhammedes dicitur natus مختونا *circumciſus*, Abul-Feda *de vita Muhamm.* p. 3. Eutychius in *annalibus* de Abrahamo dicit p. 70, *Cum jam annos nonaginta novem attingeret* اختتن وختن ابنه اسمعيل *circumciſus fuit, et circumcidit filium ſuum Ismaelem:* p. 73, وختن لسحق في اليوم الثامن, *et circumciſus est Iſaacus die octavo:* et p. 110, امر الله يوشع ابن نون ان يعمل سكاكين من حجارة الصوان ويختن بها بني اسرايل *jusſit Deus Joſuam cultros facere ex lapide duro, et circumcidere iis filios Israëlis.* Quo exemplo

Tsipporae factum illuftratur, quae tali quoque cultro ex *lapide duro*, ex *filice*, confecto, ufa fuit. Qui *cultri* una cum Josua mortuo fepulti dicuntur in monte *Gilead* p. 117. ختانة dicitur *mulier* exercens circumcidendi artem, Abu'l-Feda *vita Moham. cap.* XXXI. Sed redeamus ad locum nostrum: ibi חתן דמים vulgo redditur *fponfus fanguinum*. Nempe ex monftrato fonte profluxit *fponfi* notio *Jef.* LXII: 5. 1 *Sam.* XXII: 14. Sed quae huic loco non convenit, fi vera fint quae modo de phrafi *tangere pedes* disputavi, Tsippora non maritum, fed fupplex his verbis Angelum Jehovae alloquitur; eum appellat *foederatum*, foedere conjunctum (g). Senfus verborum *foederatus cruentus tu mihi!* huc redire videtur, *foedus tecum initum conftat mihi fanguine;* refpicit ad foedus cum Abrahamo initum *Gen.* XVII. cujus fignum et criterium erat *circumcifio;* hoc foedus, inquit, a te nobiscum initum conftat fanguine, non nifi fanguinis effufione fancitur; nullus enim mas ejus focius, nifi circumcidatur ejus praeputium, non fine fufione fanguinis: quod fi fiat tenello infanti, matri hoc est durum, et vix ferendum! nec tamen fine majori fanguinis effufione ef-

(g) Simul hac voce *circumcifionis* notionem complectitur, defignatque foederatum, talem per *circumcifionem* factum. Est aliquid ambigui in his vocibus, quae etiam denotare posfunt *circumcidentem cruentum.* Quae ambiguitas data opera captata videtur.

effugiendum: nam propter omisſum hunc ritum gladio in maritum irruis, illum occiſurus! at parce nobis, ritu enim circumciſionis peracto, tu noſter foederatus patronus et amicus es! indignabaris jure tuum foedus a nobis negligi et contemni, filio vero nunc circumciſo foedus reparatum est, te tanquam patronum nostrum Dominum et Deum, arctisſimo foedere conjunctum, complectimur; Oro, ut nos tanquam tuos tractes foederatos, nec me marito orbes. Quo etiam ſpectat vox דמים, pasſim de *caede* adhiberi ſolita; quaſi diceret: tu ſane *foederatus cruentus*, niſi enim ſanguis filii per circumſionem effundatur, te mariti ſanguinem fuſurum, illumque occiſurum esſe, minaris (*b*). Haec non dixit irata, abſit! neque Mo-

(*b*) Fieri etiam potest, ut epitheton חתן רבים *foederatus ſanguinis*, apud antiquisſimos jam Orientales uſitatum fuerit; non tantum quia ſolenniora foedera caeſis animalibus, illorumque ſanguine effuſo, confirmarentur; ſed et effuſione ſanguinis ipſorum foederatorum ſancirentur. De *Arabibus* veteribus id memoriae prodidit HERODOTUS l. III. novae edit. p. 196. His verbis, σέβονται δὲ Ἀράβιοι πίςις ἀνθρώπων ὅμοια τοῖσι μάλιςα· ποιεῦνται δὲ αὐτὰς τρόπῳ τοιῷδε· τῶν βουλομένων τὰ πιςὰ ποιέεσθαι, ἄλλος ἀνὴρ ἀμφοτέρων αὐτῶν ἐν μέσῳ ἑςεὼς, λίθῳ ὀξέϊ τὸ ἔσω τῶν χειρῶν παρὰ τοὺς δακτύλους τοὺς μεγάλους ἐπιτάμνει τῶν ποιευμένων τὰς πίςις· καὶ ἔπειτα λαβὼν ἐκ τοῦ ἱματίου ἑκατέρου κροκύδα, ἀλείφει τῷ αἵματι ἐν μέσῳ κειμένους λίθους ἑπτά. κ. τ. λ. *Servant autem foedera Arabes inter homines ut qui maxime, quae hunc*

M o s e n neque Angelum Jehovae appellavit *ſponſum caedis*, ſive *homicidam*, minus ipſum puerum

hunc in modum paciſcuntur: quoties foedus inire volunt, alius vir medius inter utroſque ſtans, acuto lapide ſecat volam juxta majores digitos eorum, qui foedus ineunt. Deinde ſumpto flocco ex utriuſque veſtimento, inungit eo ſanguine ſeptem lapides in medio poſitos, etc. Affine est, quod de *Scythis* narrat l. IV. p. 312. ὅρκια δὲ ποιεῦνται Σκύθαι ὧδε —— ἐς κύλικα μεγάλην κεραμίνην οἶνον ἐγχέαντες, αἷμα συμμίσγουσι τῶν τὰ ὅρκια ταμνομένων, τύψαντες ὑπέατι ἢ ἐπιταμόντες μαχαίρῃ σμικρὸν τοῦ σώματος·— καὶ ἔπειτα ἀποπίνουσι αὐτοί τε οἱ τὸ ὅρκιον ποιεύμενοι, καὶ τῶν ἑπομένων οἱ πλεῖστου ἄξιοι· *Foedera Scythae hoc modo ineunt: infuſo in grandem calicem fictilem vino, commiſcent eorum ſanguinem qui feriunt foedus, percutientes cultello aut incidentes gladio paululum corporis, et poſtea epotant non modo ei, qui foedus faciunt, ſed etiam comitum ii, qui ſunt maximae dignitatis.* Conſulendus ad hunc locum Cl. V a l c k e n a r i u s, ubi quoque illud Melae de *Scythis* profert. *ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem ubi permiſcuere deguſtant.* Forte huc quoque reſpexit Tsippora, quaſi diceret, tu ſane mihi foederatus ſanguinis, foedus non habens ratum ſine ſanguinis effuſione, at quaeſo contentus eſto ſanguine leviter fuſo, facta pueruli circumciſione, nec ad caedem mariti progredere. Cum itaque videret Angelum circumciſionis ſanguine eſſe contentum, gaudio perfuſa exclamat, *finivit ſanguinis effuſionem circumciſione, propter illam*, jam placatus, a mariti caede abſtinet.

rum circumcidendum appellavit *ſponſum ſanguinis* metaphorice, Deo quaſi deſponſandum, eundem enim, cujus pedes tetigit, hoc epitheto inſignivit, ſed ſupplex, vehementibus tamen doloris et commiſerationis affectibus commota. Non dubitandum, quin Angelum Jehovae noverit, ſive ex ipſis Angeli, ſive Mosis verbis, aliisque criteriis rebusque circumſtantibus. Particula כי hic vel est asſeverativa *certe*, *omnino*, *ſane;* vel tantum ſignum est orationis directae, uti ſaepe Gr. *ὅτι*. quare plerique veteres in verſione neglexerunt. In his acquiescere licet; clarior tamen foret oratio ſupplicis, Angelum Jehovae demiſſo animo precantis, ſi pro כי legeretur בי אדני, *quaeſo*, *obſecro Domine*, vel בי יהוה forte compendioſa ſcriptura בי ״, ſed ab incertis conjecturis abſtinemus. Animus ſupplex ſatis intelligitur ex corporis habitu. Abruptum ſermonis genus indicat animum affectibus vehementer commotum; in haec pauca tantum erumpit verba, ſed amplisſimi ſenſus: plura effari nequit.

§. IV. Angelus Jehovae his precibus motus et quaſi victus discesſit; et Mosen cum ſuis ſalvum ac incolumem reliquit, ut narratur vs. 26. *Deſtitit itaque ab ipſo, tunc dixit illa, finivit ſanguinem propter circumciſionem.* Deſtitit ſc. המלאך, *ὁ ἄγγελος*, ut habent nonnulla Mſcr. Gr., miramur illuſtrem Grotium hoc retulisſe ad Tsipporam, a marito discedentem. Genus ipſum verbi וירף masculinum eum erroris convincit, ut recte quoque obſervat Clericus, ſi haec ſcrip-

toris mens fuisſet, ſcripſisſet ותרף. Non hoc eruditisſimo viro in mentem venisſet, niſi ex *cap.* XVIII. conſtaret TSIPPORAM revera a MOSE discesſisſe cum filiis ad Patrem, cujus discesſus tamen nulla facta fuisſet mentio, niſi hic; at vero plura minoris momenti, in brevi hac relatione, omisſa fuerunt. Imo MOSES in ipſo illo loco *Exod.* XVIII: 2. haud obſcure indicare videtur, ſe nullibi hunc discesſum memorasſe, dicit enim ibi, *asſumſit Jethro ſocer Moſis Tſipporam, uxorem Moſis*, אחר שלוחיה *postquam eam remiſerat*; quibus verbis opus non erat, ſi jam antea distincta hujus rei facta fuisſet mentio (*i*). Praete-

(*i*) Forte hic ſingularis caſus, atque metus et conſternatio, qua tum perculſa fuit TSIPPORA, eam ad discedendum cum liberis, patriosque lares repetendos, permovit, forte fuit quoque Angeli Jehovae propoſitum, eam ad id compellere, MOSENQUE incitare, hoc injecto terrore, ad officium alacrius obeundum. Uxor enim cum liberis ipſi impedimento fuisſet, et ipſe aegre hoc onus ſuſcipiens ſtimulo indigebat. Conſulatur THEODORETUS in *Quaeſt.* in *Exod.* IV. interr. XIV. Dignus quoque, qui hic legatur, EPHRAIM SYRUS; qui phraſin quoque ותגע לרגליו optime reddidit ܘܐܚܕܬ ܠܪ̈ܓܠܘܗܝ ܕܡܠܐܟܐ *prehendit pedes angeli.* Tandem, quod etiam non neglexit hic Reverend. Pater, valde nobis veriſimile videtur uxorem marito, apparitionem ſibi factam, et divinitus impoſitum legationis munus, narranti vix fidem habuisſe, hoc ſingulari ve-

terea ipſa indoles verbi רפה hunc ſenſum vix admittere videtur, non illud ſimpliciter ſignificat *diſcedere*, ſed potius *omittere*, *ſinere aliquem;* uſurpari ſolet de eo, qui ab aliquo opere deſiſtit; praeſertim de aggresſore, qui deſinit alicui moleſtias creare, eumque diſcedere ſinit. *Deut.* IX: 14. *Jud.* XI: 37. 1 *Sam.* XI: 3. 2 *Sam.* XXIV: 16. 2 *Reg.* IV: 27. *Pſ.* XXXVII: 8. in orig. valet *flaccidus* et *laxus*, hinc *remisſus* fuit, vid. Cl. A. SCHULT. in *clavi dialectorum* p. 244. *flaccida remisſio* opponitur praecedenti *contentioni*. Noſtris itaque verbis ſignificatur, Angelum Jehovae de impetu ſuo in MOSEN deſtitisſe, et remiſisſe; poſt circumciſionem filii et TSIPPORAE preces MOSI non amplius fuisſe moleſtum, ſed cum eo reconciliatum eum ſivisſe, libereque diſcedere ipſi permiſisſe (*k*).

§. V. Ita a metu liberata, et maritum ſalvum evaſisſe videns TSIPPORA, laeta dixit, *finivit ſanguinem propter circumciſionem*, ſanguinis fuſioni impoſuit finem propter circumciſionem filii. Ante omnia ſciendum eſt, nos exiſtimare lectionem חתן hic

vero eventu perſuaſam, et terrore ad officium compulſam fuisſe.

(*k*) Vix neceſſe eſt, ut moneam, voces וירף ממנו et *deſtitit ab illo* non referendas esſe ad MOSEN, quaſi ſenſus esſet, *deſiit Moſes orare, ut Deus ſe dedat leto.* Quod ſi enim vera ſint, quae disputavi de verbis ויבקש המיתו, hoc ſua ſponte corruit.

hic corruptam, ejusque loco reponendum esse חתם. Quae sententia his innititur rationibus 1. quia LXX interpr. hic habent ἔστη τὸ αἷμα κ. τ. λ. *constitit sanguis* etc. quae versio non ex lectione חתן, sed חתם, oriri potuit. cum itaque discrimen non magnum sit inter haec verba, librarii hic scripserunt חתן דמים, quia hoc praecesserat praecedente vs. חתם correxerunt in חתן, quia putabant TSIPPORAM hic iisdem prorsus uti vocibus, quibns paulo ante usa fuerat. 2. in *Basileensi codice membranaceo*, quem MONTEFALCONIUS seculo decimo scriptum judicabat, legebantur haec verba, in SIXTINO jam exemplo edita, ὅδε Ἑβραῖος· ἐσφράγισε τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς. Vid. MONTEFALCON. ad *Hexapla Origen.* 1, 9. *Quae verba*, ut recte dicit J. F. FISCHERUS in *Prolusionibus de versionibus Graecis librorum V. T.* p. 12. a quocunque etiam profecta, tamen declarant satis, auctorem eorum invenisse in libris suis חתם, non חתן. 3. lectio חתם sensum dat commodissimum, חתן vero hic repetitum ineptam sapit tautologiam, ac vix ullum tolerabilem sensum admittit. Non sine gravi itaque ratione dicunt eruditi *Lipsienses* in *novis actis eruditorum mensis Junii anni* MDCCLXXIV. p. 251. *mirandum profecto est hujus varietatis, et antiquae et facilis, in codd. a Kennicotto collatis nullum plane reperiri vestigium.*

§. VI. Inspiciamus jam genuinam indolem verbi חתם, quae nostrae sententiae haud leve pondus addet. Hebr. חתם Arab. خَتَمَ propr. signif.

gnif. *ſignare*, *obſignare* ſigillo impreſſo. v. gr. *literas obſignare*, quae notio propria occurrit apud EUTYCHIUM in *annal.* ubi dicit p. 285. de ALEXANDRO M. وامر بختم الكتاب *tum juſſit ſignari literas*, nempe ſcriptas ad matrem OLYMPIADEM. Ita quoque in verſione *Arab.* *Matth.* XXVII: 66. وختموا الحجر, καὶ ἐσφράγισαν τὸν λίθον, *et obſignarunt lapidem.* Hinc oritur *Hebr.* חתם *ſigillum*, et *annulus ſignatorius*, quales annulos geſtabant veteres, ornatos gemmis eleganter ſculptis et inciſis; quos quia valde aeſtimabant, et ſollicite cuſtodiebant, proverbiali phraſi dixerunt, *ponere aliquem tanquam* חתם *annulum ſignatorium;* hoc eſt, aliquem *valde diligere* et *inſtar pretioſi* κειμηλίου *cuſtodire*, *Canticor.* VIII: 6. *Jer.* XXII: 24. *Hagg.* II: 23. *Arabic.* quoque خاتم eſt *ſigillum*, et *annulus ſignatorius.* figurate MUHAMMEDES dicitur خاتم النبيين *ſigillum Prophetarum*, *Alcor.* *Sur.* XXXIII: 40. id eſt, *Prophetarum ultimus*, coronis, κορυφαῖος, hunc ordinem claudens, et obſignans, ita ut nullus novus exſpectandus ſit, confer. Cl. SCHULT. ad *Harir.* *confeſſ.* 1. p. 8. qui honoris titulus ipſi quoque datur ab AHMEDE ARABSIADE in *praefat.* *vitae* TIMURI. Simili خاتم الرسل *ſigillum legatorum*, ſeu apoſtolorum, ornatur a NUWEIRIO de *imperio Joctanidarum* in excerptis a Cl. SCHULTENSIO editis p. 62. Ex eodem fonte profluxit notio *finiendi*, *finem imponendi*, quando enim aliquid *obſignatur*, tunc finis ei impo-

ponitur. Quae notio apud Arab. ſatis vulgaris est, adhibetur de omnibus, quae quocunque modo finiuntur et terminantur. Ipſis uſitatae ſunt phraſes ختم الشي *abſolvit rem*, ختم الكتاب *abſolvit librum* ختم الكلام *abſolvit ſermonem.* Conſulendus est Eruditisſ. F. Tsepregi de *authentia ſelectiorum Cethibim* in *Sylloge Disſert.* t. 1. p. 172.

§. VII Noſtri itaque enunciati vera interpretatio esſe videtur, *finivit ſanguinem propter circumciſionem*, vel *in circumciſione*; hoc est, *finem ſanguinis effuſioni impoſuit Angelus Jehovae propter filii mei circumciſionem.* Voce דמים *ſanguis* cum reſpicit ad ſanguinem filii *circumciſione* effuſum, tum ad *caedem* mariti, quam ei intentaverat Angelus Jehovae. Sanguinis fuſio inchoata erat in circumciſione, illaque peracta mox finita, cum Angelus Jehovae propter illam Mosi parceret, nec ejus ſanguinem per caedem funderet, ut minatus erat. Nempe nunc placatus erat, cum videret ſignum et ſigillum foederis, cum Abrahamo initi, in Mosis filio, animum quoque ſupplicem in ejus uxore, quae omisſae circumciſionis praecipua, ut videtur, erat cauſa. Gaudio perfuſa Tsippora grato animo celebrat Angeli Jehovae clementiam. Senſus hic ſua ſe commendat ſimplicitate, facilitare et claritate. Elegans praeterea alluſio et paronomaſia, quam Veteres Orientales adeo in deliciis habebant, captatur in vocibus חתן et חתם, ſono affinibus, ſed ſignificatione multum discrepantibus. Hac verborum ſimilitudine factum est, ut in verſi-

ſione LXX interpr. bis vs. 25, et 26. legatur ἔςη τὸ ἅιμα, quaſi iſti interpretes utrobique legisſent חתם; ſed ſive interpretum, ſive librariorum culpa duo verba, quod ad ſonum et ſcripturam ſimilia, confuſa ſunt; et verſio adornata, quaſi in utroque loco legeretur חתם. Idem vitium commiſerunt codicum Hebraeorum deſcriptores, qui contra utrobique vocem חתן exararunt, cum priore loco ſcribere debuisſent חתן, posteriore vero חתם. LXX autem interpr. verb. חתם reddentes ἔςη *conſtitit* intranſitive, magis ſenſus, quam formae Grammaticae, rationem habuerunt. Dederunt itaque, *ſtetit ſanguis*, qua phraſi utitur PLINIUS; eodem modo dixit LUCAS in *Euang. Cap.* VIII: 44. ἔςη ἡ ῥύσις τοῦ ἅιματος αὐτῆς. Tempore ORIGENIS jam eadem lectio, quae nunc, inveniebatur in textu Graeco et Hebraeo. Is enim contra CELSUM l. V. p. ed. SPENC. 263 hunc eventum his verbis enarrat. ἐν οἷς ὁ ἄγγελος πρὸ μὲν τῆς περιτομῆς τοῦ 'Ελιάζαρ, ἐνεργεῖν ἐδύνατο κατὰ Μωϋσέως· περιτμηθέντος δ' αὐτοῦ οὐδὲν ἴσχυσε· καὶ τοιαῦτά γε μαθοῦσα ἡ Σεπφώρα, λαβοῦσα ψῆφον, περιέτεμε τὸ παιδίον ἑαυτῆς· Κατὰ μὲν τὰ κοινὰ τῶν ἀντιγράφων λέγειν ἀναγεγραμμένη τὸ, ἔςη τὸ ἅιμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου· κατὰ δὲ τὸ 'Εβραϊκὸν, αὐτὸ, Νυμφίος αἱμάτων σύ μοι. κ. τ. λ. Vid. Cl. FISCHERUS, modo citatus, in eleganti *proluſionum de verſ. Gr.* libro p. 15. At vero TSIPPORA unum tantum filium circumcidisſe legitur; veriſimile itaque videtur alterum jam antea, juxta foederis legem, octavo a nativitate die, praeputio pri-

privatum fuisse; forte haec ratio est numeri pluralis in voce למולות, utriusque circumcisionis habita ratione (*l*). Fieri potuit, ut Tsippora, mollis mater, prioris infantis dolore absterrita, non nisi graviore hoc metu perterrita, ad repetitionem hujus ritus in filio altero permoveri potuerit; et maritum, quo minus faceret, coercuerit. Cujus tamen erat magis Deo, quam uxori, obedire; duro huic nodo durum Angelus adhibet cuneum, et utrumque ad Divini foederis observationem compellit, hoc maxime tempore, quo Moses Dei legatus et legislator mittebatur ad Israëlitas.

CAPUT III.

Locus 1 *Sam.* III: 13. *exponitur.*

Et indicavi ipsi, me judicaturum esse domum ejus usque in tempus obsignatum, propter iniqui-

(*l*) Pro בנה, *filii sui*, legendum suspicatur Houbig. בניה *filiorum suorum*, utrumque itaque filium nunc demum circumcidit Tsippora, hactenus a cruento hoc ritu prorsus abhorruit, nec ad illum compelli potuit. Utique nullibi Moses circumcisionis filii natu majoris fecit mentionem, si vel maxime haec esset genuina lectio, nullum tamen inde detrimentum accipiet sententia nostra.

quitatem quam novit, כי מקללים להם בניו, ולא כהה בם quae ſecundum veram lectionem ſic reddenda putaverim, *quod maledicant Numini filii ejus, nec tamen retuderit eos.* Cenſent vulgo interpretes, hunc locum pertinere ad XVIII illa, in quibus תקין סופרים, *correctio ſcribarum;* nimirum ſcribere debuiſſet auctor, מקללים לי הם בניו *maledicunt mihi illi filii ejus. Deo* vero *maledicere* cum crimen ſit enorme, ſatius putavit ſcribere להם *ſibi ipſis.* Nobis vero genuina lectio videtur אלהים, conſervata a LXX interpr., qui dederunt, *ὅτι κακολογοῦντες θεὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ.* Potuit autem facile ſive caſu fortuito, ſive data opera, una litera א a librario omitti, atque vitioſe pro אלהים exarari להם. Verb. קלל, Arab. قلّ ſignif. propr. *levem*, et hinc *vilem* eſſe, in Pih. *vilem habere*, *pro vili reputare*, *vilipendere;* nota phraſis קלל אביו ואמו, *patrem et matrem ſuam vilipendere*, *iis maledicere*, quod crimen capitali poena plectendum erat *Levit.* XX: 9. Phraſ. *vilipendere Numen ſuum*, aut *Deo ſuo maledicere*, occurrit *Levit.* XXIV: 15. כי יקלל אלהיו ubi LXX interpr. reddunt *καταράσηται θεὸν.* Commiſerant autem hoc crimen impii Pontificis Eli filii cultum publicum contemnendo et profanando, ut narratur cap. II. inde a vs 13. jam accuſatur hic Pater, quod quamvis probe noverit enormia filiorum crimina, contra Deum ipſum commiſſa, tamen לא כהה בם Hebraei verbi כהה vis hic vulgo non ſatis accurate exprimitur,

tur, plerumque reddunt, *non admonuit*, *non objurgavit eos.* Sic LXX, οὐκ ἐνουθέτει αὐτούς. AQUILA et THEODOTION magis propr., sed invita lingua Graeca, verterunt οὐκ ἠμαύρωσεν ἐν αὐτοις; nempe habet verb. כהה *caligandi* notionem. Prope accedunt nostrates, *soo en heeft hyse niet eens suer aengesien.* Vix haec conciliantur cum iis, quae habentur cap. II: 23 et seq. neque genuinam phraseos indolem exhibent. Verb כהה propr. notat *tundere*, *retundere*, aut passive *tundi*, *retundi*, ut recte quoque observavit Vener. NANNINGA in *Dissert. inaug.* ad *Jes.* XLII: 3. p. 38. quae primaria notio variis modis transfertur, sic adhibetur de luce, cujus acies retusa sit, exiguum emittente splendorem: quem usum in illo loco habet; de *acie oculorum obtusa*, atque ita invaluit *caligandi* notio; ita de ELI in nostro cap. vs. 2. ועינו החלו כהות לא יוכל לראות *et oculi ejus incipiebant obtundi*, obtusi fiebant, *non poterat videre*, secundum propr. *non capax erat ad videndum.* Eleganter quoque corporis vulneri tribuitur *acies*, quae retundi et hebetari dicitur, quando illa acrimonia mitigatur, et morbus vel vulnus incipit sanari, ita *Levit.* XIII: 6. והנה כהה הנגע, *et ecce plaga obtusa*, id est *ejus acrimonia mitigata*; ita quoque *Nahumi* III: 19. אין -- כהה לשברך, *non est mitigatio fracturae tuae.* Hinc jam porro significat, alicujus fastum, arrogantiam, audaciam, *retundere*, aliquem *cobibere*, *in officio continere*, impedire, ne effreni impetu in peccata ruat.

ruat. Proxime convenit Syriac. ܟܐܐ, quod passim in versione Syriaca N. T. obvium, habet usum *vetandi*, *increpando cohibendi*, *reprimendi*, *coercendi* etc. conf. FISCHERUS in *prolus. de vers. Gr* p. 119; vehementius *coercendi* et *reprimendi* usum habet *Matth.* VIII: 26 ܗܝܕܝܢ ܩܡ ܘܟܐܐ ܒܪܘܚܐ ܘܒܝܡܐ *tunc surrexit et repressit ventos et mare*, et loco parall *Luc.* VIII: 24. IX: 42. ܘܟܐܐ ܝܫܘܥ ܒܪܘܚܐ *et repressit*, *retudit*, *Jesus illum Spiritum.* Revertamur jam ad locum nostrum ולא כהה בם, id est *et non retudit*, *represit*, *coercuit eos.* Nimirum ELI Patris et Pontificis erat filios, cultum Divinum vilipendentes et profanantes, primum admonere, ad officium adhortari, quod fecerat; dein immorigeros *coercere*, *reprimere*, *retundere*, severioribus remediis in ordinem redigere, et ad officium adstringere: hoc neglexerat; hinc Numinis in ipsum indignatio.

CAPUT IV.

In verum sensum et lectionem loci 1 *Samuel.* IV: 13. *inquiritur.*

In *Samuele* quoniam versamur coronidis loco pauca addamus de *Cap.* IV: 13. ubi HELI sedisse legitur in sella יך דרך; uti in textu He-

 braeo

braeo in nostris editionibus habetur, *ſedens ſuper ſella percutiebat viam ſpeculans*, vel *ſpeculantis*. Quae ſane phraſis *percutere viam* inſolens est, et hic nullum commodum admittit ſenſum. Omnino itaque praeferenda videtur lectio, a Maſoretis in margine annotata, יד *latus*, ſedebat *ad latus viae*. Quae lectio marginalis non est criticorum Hebraeorum conjectura, ſed antiquorum codicum lectio, in quamplurimis codicibus *Kennicotianis* obvia. Hac ratione ſenſus est facilis et planus. Heli annis gravis, de arca praeliique eventu *ſollicitus*, non quidem, ut videtur, domo egresſus ſedit juxta urbis portam, aut extra urbem ad viae latus, ſed domi juxta portam ejus, ut facilius rumores obſervaret et citius nuncium de praelio exciperet. Habitabat autem in palatio amplo et capaci, hunc in uſum ſtructo, ut tabernaculum comprehenderet, et Pontifex cum ſuis ibi habitaret, uti liquet ex *Cap.* III. ubi Heli et Samuël cubuisſe leguntur בהיכל יהוה אשר שם ארון אלהים *in palatio Jehovae, ubi arca Dei*, quod ſane palatium quilibet intelligit non fuisſe ipſum tabernaculum, ſed palatium ambitu ſuo tabernaculum comprehendens, ſimul quoque Pontificis domicilium. Quod ampla inſtructum erat porta, cujus valvas quolibet mane Samuël, tanquam Pontificis miniſter, aperire ſolebat vs. 15. Juxta has valvas ad latus viae ſedisſe videtur ſenex. Quae ſententia inſigne robur mutuatur ex

Cap.

Cap. I: 9. ubi etiam Heli *ſedisſe* legitur *ſuper ſella*, ſc. honoratiore, *juxta poſtem palatii Jehovae.* Hoc modo intelligitur, qui fieri potuerit, ut rumor de clade prius in urbe percrebuerit, quam ad Pontificem perveniret: non a veriſimilitudine abhorret, aedificium hoc in media urbe fuisſe. Confirmantur haec ex vs. 18. conſternatione perculſus decrepitus ſenex *cecidit de ſella retrorſum* בעד יד השער *ad latus portae.* Inde LXX interpr. in loco nostro dederunt, ἰδοὺ Ἡλὶ ἐπὶ τοῦ δίφρου παρὰ τὴν πύλην, σκοπεύων τὴν ὁδὸν: *Ecce Heli ſuper ſellam juxta portam ſpeculans viam.* Genuinam Codicis Hebr. lectionem recte expresſit Syrus ܥܠ ܝܕ ܐܘܪܚܐ *ad latus viae; vel juxta viam.* Quae eadem phrafis obvia est in N. T. Syriaco *Matth.* XX: 30. duo coeci ſedebant ܥܠ ܝܕ ܐܘܪܚܐ *ad latus viae.* Sic dicitur ܥܠ ܝܕ ܝܡܐ *ad latus maris, juxta mare, Marci* IV: 1. et ibid. vs. 4. ܥܠ ܝܕ ܐܘܪܚܐ. Est autem יד ſecund. propriet. *ſpatium extenſum.* Verb. ידה propr. valet *tendere, protendere, extendere*, in Hiph. הודה *oſtendere*, in publico *oſtentare, laudare.* De hoc et verbis vicinis conſulatur Cl. Scheidius in *Disſ. in Cantic. Hisk.* Noſtrum יד propr. *manus extenſa;* porro *columna extenſa* 1 *Sam.* XV: 12. 2 *Sam.* XVIII: 18. יד אבשלום *columna Abſolomi*; *ſpatium extenſum*, ſeu *protenſum*, latius ſe porrigens, *Deut.* XXIII: 13. *Jeſ.* XXII: 18. *Jer.* VI: 3. In noſtro loco itaque legendum est, *et ecce Heli*

 ſe-

ſedebat ſuper ſella מצפה יד דרך *ad latus viae*, vel *juxta viam*, *ſpeculans*. Errore librariorum, linea litterae ד nimis extenſa, orta fuit vitioſa illa lectio יך. Quae ſemel recepta, et ab aliis deſcripta, deinceps, ut fieri ſolet, ſuperſtitioſe conſervata fuit. Novimus equidem Cl. J. J. SCHULTENS in ſpecimine erudito, ſed iuvenili, *de utilitate Dialector. Oriental.* quod proſtat in *Sylloge Disſert. Philol. Exegeticar.* lectionem יך defendere conatum fuisſe. Sed liceat, ſalva reverentia, qua tanti viri memoriam proſequimur, hic modeſte disſentire. Integrum locum ſic reddidit SCHULTENSIUS. *Et advenit* nuntius, *et ecce Heli inſidens ſedi quatiebat viam ſpeculator*, vel *ſpeculantium*, *nam cor ejus trepidabat ſuper arca*. Quae phraſis *quatiebat viam ſpeculator*, in poeta Orientali facile ferenda, in ſimplicisſima narratione hiſtorica ſtatim aures offendit; maxime adhibita de ſene decrepito, ſellae ſuae affixo, qui vix ſe movere poterat. Scilicet Arabibus nota phraſis ضرب في الارض *quatere in terra*, quae abſolute invaluit pro *exire*, *proficiſci*, *peragrare terram*, *regiones*, ſive *victus quaerendi et exercendae mercaturae*, ſive etiam *explorandi et cognoſcendi cauſa*, ita in Alcorano. Convenit Phraſ. affinis نفض المكان *quatere locum*, id eſt, tanquam obſervatorem *explorare*. Conferri quoque poteſt alia affinis phraſ. رمى الفجاج *jacere*, *projicere*, *jaculari fisſuras montium*, in *Hamaſa* p.

390.

39ς. pro *eas penetrare instar teli*, ut explicat Cl. A. Schultensius. Nostra itaque Phras. reddenda foret, *celerrime viam speculando percurrebat.* At vero Phras. Arab. propr. de pedibus usurpatur, significat celeriter terram pedibus percurrere; oportet itaque ut a *pedibus* transferatur ad *oculos*; oculorum vero acies in Heli erat *obtusa*, ab *oculis* ergo ad *aures*, auribus rumorem percepturus erat. Quae translationes vix ferendae videntur. Dicitur tamen in textu מצפה *speculans*, licet prae senectute fere caecus esset, ubi *speculari* nihil aliud est, quam quocunque modo *observare*, in quo nihil, quod offendat. Praeterea in phrasi Arab. prorsus aliud verb. adhibetur ضرب, non نكي Hebr. נכה, nulloque exemplo probari potest verb. נכה, aut Arab. نكي, hunc habuisse usum. Tandem, si vel maxime phrasis haec bona esset, apta quidem foret stylo sublimiori et elegantiori, non tali simplici relationi historicae, qualis haec est, omnibus istiusmodi phrasibus elegantioribus et ornamentis destitutae.

CONIECTURAE CRITICAE

De variis N. T. locis.

MATTH.

Cap. I: 18. ἐκ πνεύματος ἁγίου] licet aliqua ratione defendi posſit, cum non ſit JOSEPHI, ſed MATTHAEI oratio, tamen vix dubito, quin ſit gloſſa. VENEMA (*a*).

Cap. II: 6. γῆ Ἰούδα] gloſſa. VEN. *Hist. Eccl.* t. III, pag. 12. (*b*).

Cap.

(*a*) Hoc additamentum incommodam omnino in narratione habet ſedem; ſi enim JOSEPHUS cognovisſet, priusquam ſolemni nuptiarum ritu domum duxisſet MARIAM, ipſam divina virtute gravidam esſe, eam demittendi nulla ipſi fuisſet cauſa. Hoc animadvertens BEZA, per πρόληψιν haec narrata esſe dixit, quod durum videtur. Haud dubito, quin e. v. 20. huc translatum ſit. L.

(*b*) Praeferre potius videtur VENEMA *l.* c. quorundam codicum lectionem τῆς ἰουδαίας, a GRIESBACHIO

Cap. III: 4. ὁ Ἰωάννης] glossa. VEN.

Cap. XII: 7, 8. Forte ordine mutato rectius sic legitur; *κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου· Εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν· Ἔλεον θέλω καὶ ου θυσίαν, οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους· Καὶ μεταβὰς κ. τ. λ.* VEN.

Cap. XVII: 21. *νηστείᾳ,*] legendum videtur *πίστει*, ut ex vs. 20. colligitur, sic preces et fides copulantur cap. XXI: 22. (*c*).

Cap. XIX: 4. Distinctionis signo transposito, et vocula una inserta, legendum videtur, *ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ, ἐποίησεν αὐτοὺς ἕν·* collato *Gen.* I: 27. et *Cap.* II: 24. VEN. (*d*).

— Vs.

CHIO aliisque improbatam, natam forte e comm. 1 et 5, unde et aliam, *γῆ ἰουδαίας*, manasse puto. Recte GROTIUS observat, *γῆ ἰούδα* loquendi usu esse *urbem Judae*, vid. cap. 10: 15. conf. ALBERTIUS, *observat. philol.* pag. 80. L.

(*c*) Desideratur hoc comma in quibusdam *recensionis Alexandrinae* codd. et versionibus; suspicatus est MILLIUS huc e *Marc.* 9: 29. esse invectum, quod parum probabile videtur GRIESBACHIO, *commentar. critic. in textum gr. N. T.*, pag. 146. VENEMAE emendationem praecedenti orationi melius convenire quam lectionem receptam, equidem, nullus ut opinor, negabit; at vel sic tamen vellem potius legere *ἐν πίστει καὶ προσευχῇ*, nec aliter in laudato MARCI loco. L.

(*d*) Etiam ὁ πάνυ BROESIUS (praeceptor et amicus quondam optimus, cuius viri, insigniter de me meriti,

 dum

— Vs. 20. ἐκ νεότητός μου] ὧν νεὰν, eu ὁ ὧν νεὰν, VEN. *Redenvoer.* over *Matth.* 18, 19, 20. *pt.* 2. *pag.* 53. coll. *pag.* 3.

Cap. XX: 23. οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς] — potius δοῦναι ἄλλοις ἢ οἷς ἡτάμασται. VEN. (*e*).

Cap. XXIII: 4. τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά.] Mallem legere θίξαι αὐτά, vel τὸν δὲ δακτύλον κινῆσαι εἰς αὐτά. VEN. (*f*).

Cap.

dum vivam semper meminero.) vitium quoddam hic latere putabat, sic tollendum: οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ἐξ αὐτοῦ, vel, ἐποίησεν αὐτοὺς ἀφ' ἑνὸς, vid. eius *Instit. Theol. theor. pag.* 104 et 105 in *not.* Ut verum fatear, nullum ego odorari possum vitium, sed omnia sana sunt. Argumenti, quo CHRISTUS usus est, vis posita est eo, quod Deus, qui matrimonium instituit, unum marem et unam feminam creaverit, unde porro infert, coniugii vinculum pro arbitrio non esse discindendum, vs. 5 et 6. Consulendus est MICHAËLIS in vers. ad h. l. Ceterum, pronomen relativum αὐτούς abundare docet STORRIUS, *observat. ad analog. et syntax. Hebr.* pag. 296; multis exemplis id saepius fieri probat KYPKIUS, *observat. S.* pag. 53 et 54. L.

(*e*) Omnia bene se habent, nec VENEMAE indigemus coniectura, quippe ἀλλὰ, si aliqua praecedat negatio reddi debet per *nisi*, vid. VIGERUS, *de idiotism. dict. gr. pag.* 370, edit. HOOGEVEENII, et KYPKIUS, l. c. T. I. *pag.* 105 et 106. Sensus CHRISTI sic exprimendus: *non mei officii est dare aliis nisi illis, quibus paratum est a patre meo.* L.

(*f*) Huius emendationis quae sit necessitas, plane non as-

Cap. XXVI: 31. πατάξω] πατάξον, quemadmodum legitur *Zachar.* XIII: 7. הַךְ et in verf. τῶν ὁ πατάξατε. VEN.

Cap. XXVIII: 17. προσεκύνησαν αὐτῷ,] rectius οἱ μὲν προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίςασαν. VEN. Locum hunc excusfit, et erudite illustravit L. C. VALCKENAAR in *adnot. Crit.* pag. 350. (*g*).

MARC.

Cap. II: 26. ἐπὶ Ἀβιαθὰρ τοῦ Ἀρχιερέως] glossa. VEN. *Hist. Eccl.* t. I. p. 433.

Cap.

asfequor, nec ullum corruptelae vestigium apprehendo. L

(*g*) Sive vulgarem fequaris fententiam, dubitantes, quorum meminit MATTHAEUS, non ex Apoftolorum fed ceterorum discipulorum fuisfe numero; five dicas ipfos respici Apostolos, ante id tempus, quo haec acciderint, addubitantes, quae GROTII est fententia; five denique putas, MATTHAEUM referre, quae in GALILAEA contigerunt, quorfum ex ipfius CHRISTI mandato migrandum fuit discipulis, THOMAS autem, ceteris iam credentibus, proficisci recufavit, quia dubitare perfeverabat, (vid. GREVE *de Brieven van den Apostel* PAULUS etc:, vol. 2. pag. 389.) textus est fanus. Etenim voculae οἱ δὲ etiamfi non praecedat οἱ μὲν nonnunquam pofitae reperiuntur pro τινὲς δὲ, ut *Matth.* 26: 67. *Luc.* 5: 33. *Joh.* 19: 29. Conf. L. BOSSII *obfervat. philol.* pag. 13. ALBERTIUS, l. c. pag. 163, et KYPKIUS, l. c. T. 1, pag. 147.

Cap. V: 23. ἵνα] ναὶ, *quaeso!* VEN. (*h*).

Cap. VI: 20. πολλὰ ἐποίει,] rectius ἠπόρει. VEN. — ibid. καὶ ἡδέως αὐτοῦ] καὶ ἡδέως πᾶς αὐτοῦ ἤκουε VEN. Senſus non est, HERODEM aliqua JOANNIS reverentia et amore fuiſſe ductum, ſed eum metuiſſe, quod ſciret eum pro viro ſancto haberi, et multum poſſe apud populum, quare eum in vincula conjecit, ne populus, ab ejus ore pendens ad ſeditionem incitaretur. Etenim cum audiviſſet eum concionantem multum haeſitabat, ad angustias detruſus inexplicabiles, animoque erat ancipite, ſcelerumque conſcientia ſaucio, eo magis, quia quilibet, populus omnis, libenter eum audiebat, conf. *Matth.* XIV. et *Luc.* III. *Luc.* IX: 7: alia occaſione de nostro HERODE dicitur διηπόρει. Secundum lectionem vulgatam, ipſe his non

(*h*) Receptam huius loci lectionem veram esſe, aegre perſuaderi mihi patiar. Inſignis illa diverſarum lectionum copia, cuius ſimile exemplum difficulter invenitur, aperte docet textum vulgarem esſe depravatum. Est autem eius e codd. emendatio res, ut ita dicam, desperata fere. Cui rei quisque artis criticae peritisſimus ſuffragari haud dubitabit. Nihilominus ego odorari non destiti, donec lectionem ſi non germanam, attamen germanae proximam deprehenderim. Ea haec est quam Vulgatus exhibet: Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πόλλα, λέγων· ὅτι τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως, ἔχει ἐλθὲ ἐπίθες αὐτῇ τὰς χεῖρας, ἵνα σωθῇ καὶ ζήσῃ· L.

non obstantibus libenter inter ejus auditores erat, quod vix fidem meretur, quare VENEMA inserendum putat πῶς. Posset etiam alicui in mentem venire, MARCUM scripsisse οὐκ ἡδέως, vel οὐκ ἄνευ δέους αὐτοῦ ἤκουε. *Non libenter*, vel *non sine metu ipsum audiebat*. Reprehensio propter HERODIADA alte in regis et hujus mulieris animam penetraverat, haec JOANNI carceris et supplicii capitalis causa. Ita SOTADES PTOLEMAEUM PHILADELPHUM increpans, quod sororem ARSIODEM domum duxisset, in carcerem detrusus fuit, ut narrat PLUTARCHUS *de liberorum educatione op*, t. II. p. 11. VERSCHUIR (*i*).

Cap. VII: 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας] pro πυγμῇ legendum esse πυκνὰ *crebro* recte coniecit ERASMUS. (*k*) Ibid. Κρατοῦντες] οἱ κρατοῦντες. VEN.

— Vs.

(*i*) Si haec emendatio, quam codd. B et L, et *Copt.* versio habent, admittatur, comma ponendum est post πολλὰ; sed recepta lectio non sollicitanda videtur. L.

(*k*) Imo ERASMUS suspicabatur *Vulgatam* πύκνῇ legisse; sorte quoque *Syrus*. —— Plerique interpretes, hos secuti, vertunt πυγμῇ *sedulo*, *frequenter*; fatendum tamen exemplum huic simile deesse; nam quod SCHLEUSNERUS, in *Lex.* ad. h. v. ex EPIPHANIO adfert, ut mihi quidem videtur, nihil probat, quippe EPIPHANIUS aperte ad hunc locum alludit. Graeci hoc sensu adhibere solent πυκνὸν, πυκνὰ, πυκνῶς· Quidni vertamus:

la-

— Vs. 14. ἀκούετε μου πάντες] legendum πάλιν vel πάντως· Ven.

Cap. VIII: 1. παμπόλλου] vera lectio est πάλιν πολλοῦ Ven. (*l*).

Cap.

lavant manus a cubito? ſive, lavant manus ad cubitum usque? est enim πυγμὴ menſura octodecim digitorum a cubito usque ad digitos concluſos, ſeu illa brachii pars, quae est a cubito ad compaginem eam, qua connectitur manus cum brachio, quae pars carpus dicitur, conf. Jul. Pollucis *Onom.* 2, 4. *Sect.* 147. —— Liceat mihi hac occaſione quaedam adnotare ad verſum proxime praecedentem ſecundum. Ludolphus Kusterus in *praefat.* N. T. *Milliano* praemiſſa, cum citasſet h. l. *pag.* 5, ſcribit: „ verba postrema τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις „ ſcholion redolere, et ex margine in textum irrepſisſe, „ quilibet naris paulo emunctioris facile ſentit." Sed Valckenarius obſervat, l. c. pag. 357. Judaeum more gentis adhibentem vocem κοινὸς, de *polluto*, vel *inquinato*, postrema illa verba neutiquam additurum fuisſe. Mirari igitur ſubit, qui ſcribere potuerit Klosius, (*emendat. in N. T. a Valckenario propoſitar examen, pag.* 21) Valckenarium offendisſe voc. κοιναῖς; quo poſito virum ſummum refutare conatus ſit. Qui ſtupor! et tamen Klosius cenſorem agit, imo, eius cenſura laudibus eſt ornata inter Germanos! Eichhornius V. Cl. (*Allg. Bibl. der bibl. Literat. vol.* 3. *pag.* 79. et ſeqq.) palam profiteri haud dubitavit, ſe ex omni parte cum Klosio adverſus Valckenarium facere L.

(*l*) Conf. Valckenarius l. c. pag. 357, et *Diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias*,

pag.

Cap. IX: 29. προσευχῇ καὶ νηστείᾳ] πίστει Ven.

Cap X: 17. Διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ποιήσω] potius τί ἀγαθὸν ποιήσω· Ven.

— Vs. 30. Ἐὰν] ὃς ἄν·

— Vs. 40. ἀλλ' οἷς] ἄλλοις ἤ· Ven.

Cap. XI: 13. οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων] glossa est. Toupius in Suid p. 86. glossema putidissimum vocat, quod ad marginem sui codicis allevèrit, nescio quis, qui sibi sapere visus esset. Vel legendum εὔκαιρος, aut εὔκαρπος, *non erat apta ferendis ficubus*. Ven. *H. E.* t. III. p. 73. (*m*).

Cap.

pag. 272, not. Hanc lectionem praefert quoque Millius, *Proleg.* sect. 1400; Griesbachius vero eam vulgari judicat inferiorem; puto aequalem prorsus cum vulgari habere auctoritatem. L.

(*m*) Hoc loco nullus in Marci Evangelio a Criticis saepius vehementiusque jactatus; quorum conjecturas si recensere instituerem, nauseam aliis crearem. Dicam, quod prae ceteris arridet. Harwodus nempe in not. huic loco subjecta, ad N. T. edit. quae prodiit *Londini* an. 1776, memorat et probat interpretationem Lardneri (*History of the Evangelists and Apostles*, *vol.* I. pag. 205. *second edition*) quae haec est: *nondum erat ficuum messis*; unde Jesus ficus in arbore inventurus videbatur. Sane καιρὸς aliquando significat tempus colligendis fructibus opportunum, sic *Matth.* 21: 34. Et Wassenberghius, v. cl. collega optimus, mihi significavit, posse nos in hac Lardneri exegesi acquiscere, ac simul, pro ea, qua est humanitate, mecum

com-

Cap. XIV: 72. καὶ ἐπιβαλὼν, ἔκλαε] ἐπιβαλὼν partim est *ad animum revocans*, ad ſe reverſus, partim ſe *proripiens*, VENEMA *H. E.* t. III. p. 84. Non posſum, quin adſcribam ingenioſam conjecturam P. CONRADI, viri docti et ingenioſi, VENEMAE discipuli, dein collega, nostrique amici, quam in amicorum circulo nobiscum communicavit. Suspicabatur legendum esſe pro ἐπιβαλῶν, ἔτι λαλῶν, adhuc loquenti et magistrum abneganti jam lachrimae ex oculis erumpebant. Quae verba divitem habent ſenſum, indicant PETRUM galli cantu, Servatoris nutu, indeque orta recordatione ejus praedictionis, adeo vehementer et inopinato fuisſe commotum, ut ipſi, adhuc in Christi abnegatione occupato, jam lachrimae ex oculis eruperint. VERSCHUIR (*n*).

LUC.

communicavit eximium hunc locum ATHENAEI, *Lib.* 2. 24. *pag.* 65: ἁλίσκονται δὲ ἆυται (intelligit συκαλλίδες) τῷ τᾶν συκῶν καιρῷ· — Addere placet, verborum transpoſitione orationem fieri planiorem, legatur verſus in hunc modum καὶ ἰδὼν συκῆν ἀπὸ μακρόθεν, ἔχουσαν φύλλα, ἦλθεν, ἐι ἄρα ἐυρήσει τὶ ἐν ἀυτῇ, ὀυ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων· Καὶ ἐλθὼν ἐπ᾽ ἀυτὴν, ὀυδὲν ἑυρεν, ἐι μὴ φύλλα. Et aliis locis ſynchyſis obſervatur, ut cap. 12: 12. 16: 3, 4. vid. GLASSIUS *Philol. S.* Tom. I. pag. 664. *edit.* DATHII. L.

(*n*) Hic locus, quantopere interpretum ingenia torſerit, ex illorum annotationibus cognoscere licet. Equidem cenſeo ſatis planam esſe interpretationem CASAU-

BO-

L U C.

Cap. I: 78. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους] ὡς ἀνατολὴ' VEN.

Cap. II: 2. olim conjiciebam legendum: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη' [ἤβ, id est, ἡ δευτέρα] ἐγένετο κ. τ. λ. Nunc non dubito esse glossam marginalem. VEN. Priorem conjecturam clarum eruditione Theologum, VENEMAM nempe, secum communicasse scribit VALCK. in *Adn.* ad ist. l. VERSCHUIR.

Cap. II: 14. verba hac ratione distinguenda et legenda videntur, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς, εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας' Ad membrum prius conferendum *Ps.* CXLVIII. vs. 1. הללוהו, במרומים, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τοῖς ὑψίστοις· Sensus primi et secundi membri, per particulam καὶ conjunc-

BONI, dubitanter a BEZA jam propositam, sed dein ornatam a WESSELINGIO, ad DIODOR. *Sicul.* vol. 2. pag. 888. WETSTENIO, ad h. l. RHOERIO *Feriae Daventr.* p. 56, aliis: his igitur ἐπιβαλὼν idem est quod ἐννοήσας, h. e. *re animadversa, penitus apud se expensa, ubi mentem intendisset.* Obstare in hac interpretatione videtur ABRESCHIO v. cl. (*Paraphr. epist. ad Hebraeos, pag.* 146.) inprimis antecedens ἀνεμνήσθη: nec tamen ea admissa tautologiam oriri puto, est namque sensus hic: „ tunc PETRUS recordatus eo„ rum, quae ipsi dixerat JESUS, et animum in id in„ tendens, lacrymatus est." L.

juncti, huc redit, Dei gloria, illustri modo in Servatoris nativitate conſpicua, celebrabitur in coelo et terra. Fructus autem hujus nativitatis erit εἰρήνη ἐν ανθρώποις εὐδοκίας, *integritas, felicitas*, et *pax in hominibus benevolentiae*, vel *beneplaciti*, legendum εὐδοκίας. Sic *terra*, חפץ, γῆ εὐδοκίας *Malach.* III: 12. עת רצון, καιρὸς εὐδοκίας, *Jeſ* XLIX: 8. εὐδοκίας legit etiam CYRILLUS *Hieroſ.* Adprobat et recte explicat BEAUSOBRE. Sed EPHRAIM SYR. legit εὐδοκία, op. t. III: p. 434. VEN. etiam in *comm.* ad *Malach.* p. 455. Quae conjectura olim mihi quoque arridebat, nunc vero, ob codicum Graecorum conſenſum, aliasque rationes a WETSTENIO prolatas, malim lectionem vulgatam εὐδοκία retinere, et ſic distinguere, δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς, εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις, εὐδοκία; *Gloria ſit Deo in coelis et terra*, εἰρήνη *in hominibus*, *haec voluntas*, *hoc decretum* Numinis. Complectitur autem εἰρήνη ad exemplum Hebr. שלום, *integritatem*, *pacem* et *omnigenam felicitatem*; quidquid facit ad hominem in integrum, convenienter ejus naturae, ac creationis fini, reſtituendum. VERSCHUIR (*o*).

— Vs.

(*o*) Et VALCKENARIUS ſolebat in ſcholis lectionem εὐδοκίας probare; placuit quoque ALEX. MORO, HAMMONDO, SIMONI, nuperrime N. S. F. MORO (*Praelect. in Luc. Euang. pag.* 46.) et NOESSELTO) *Exercitat. ad ſacr. ſcriptur. interpretat.* pag. 174. ſeq.) BEZA quoque huc propendebat; MILLIUS,

— Vs. 26. τὸν χιςὸν κυρίου] κυρίον coll. vs. 11. ὅς ἐςι χριςὸς κύριος. Act II: 36. ὅτι κύριον καὶ χριςὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε· Ven.

Cap.

lius, *proleg. art.* 675. eam defendit, aliter vero judicat in not. ad h. l. Concedimus, fubftantivum fecundo cafu pofitum alteri fubftantivo additum, vim adiectivi habere, fic *Rom.* 9: 23, 2 *Theff.* 1: 7. 2: 13. *Jacob.* 1. 18, 25; Graeci dicerent ἄνθρωποι ἐνδόκιμοι. Neque diffiteor vel fic oriri fenfum fatis bonum; nec tamen ullam video caufam, quare ab lectione recepta recedatur. Totus locus ad laudes divinas, quarum argumentum est nativitas Christi, pertinet; itaque fubftantiva δόξα, εἰρήνη, εὐδοκία, quod doxologiae requirit ratio, ad Deum funt referenda. Est igitur in posterioribus fectionibus fubintelligendum Θεῷ ἔςω adeoque verto: laudetur Deus in coelo! celebretur in terris! delectetur hominibus! Dicitur autem hoc loco: θεῷ ἔςω εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις ut *Pf.* 149: 4, qui locus nostro plane fimilis est, ὅτι εὐδοκεῖ κύριος ἐν λαῷ αὐτοῦ. Conferri posfunt, etfi carmen paululum aliter interpretati funt Albertius, in *Obfer.* ad. h. l. Segaarius, *Obfervat. Philol. et Theol. in Evangel. Lucae Capita* XI. *priora*, *pag.* 102, et Tittmannus, *Opuscul. Theol.* pag. 185. Wassenberghius v. cl., putat cantilenae fenfum esfe, ac fi fcripfisfet Lucas:

Ὡσαννὰ Θεῷ ἐν ὑψίςοις καὶ ἐπὶ γῆς,
Ὡσαννὰ
Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

fed haec fufficiant; fuo quisque fruatur iudicio. L.

Cap. III: 23. in ultimo membro hoc modo distinguendum, parentheseos ſigno transpoſito, ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλί. Ven.

Cap. VI: 38. σεσαλευμένον] legendum σεσωρευμένον· Ven. Meo judicio lectio vulgata retineri potest, σεσαλευμένον hic idem est ac σεσαλάσσομενον, deſignatur μέτρον plenum, modius v. gr. *bene concusſus*, ut plenus ſit. Verschuir.

Cap. VII: 44. βλέπεις] rectius βλέπε εἰς ταύτην τὴν γυναῖκα, *intuere in hanc feminam*, ſc. ut, quod modo de debitoribus dixi, intelligas, et in hoc muliere verum esſe ſentias. Ven. (*p*).

Cap. XI: 12. σκορπίον] σκορπίου ᾠὸν· Ven.

— Vs. 36. ἔσαι φωτεινὸν ὅλον] ὅλως Ven. (*q*).

Cap.

(*p*) Nulla opus est mutatione; norunt omnes interrogationes ſaepe adfirmativam habere vim; compara ſimilem locum, 2 *Sam.* 15: 27. Senſum optime, ut opinor, exponunt Maldonatus et Lucas Brugensis. L.

(*q*) Semper huius loci ſtructura offendor; (quae leguntur vs. 34 – 36, temere huc, ubi vix aptam habere videntur ſedem, aliunde translata ſuspicari liceat,) deſideratur enim apodoſis vs. 36, est namque in apodoſi idem quod in protaſi. Hinc, quia in codicibus nullum est praeſidium, Maldonatus *Comment pag.* 1050, de coniectura legendum putat ὄμμα, quae correctio etiam Erasmo (in *Paraphraſ.*) ut videtur, in mentem venerat. Verum et hac ratione nihil proficitur; nihil enim vs. 36. ſic dictum reperitur, quod non dic-

Cap. XII: 11. προσφέρωσιν, praeferenda lectio εἰσφέρουσιν, vel εἰσφέρωσιν Ven. vid. quoque Valcken. in *adn.* p. 363.

Vs.

dictum fuerat vs. 34. Michaëlis (*introd.* T. I. pag. 739) legendum ſuadet vel ἔσται φωτεινὸν τὸ ὅλον, vel ὁλοὸν; mihi, ut verum fatear, neutra lectio placet: illi obſtat, quod, cum ex eius ſententia corpus et animus ſit intelligendus, idem verbum in una eademque comparatione modo proprie, modo improprie adhibetur; huic vero, quod nulla confirmari poſſit auctoritate ὁλοὸς ſignificare mentem ſ. rationem. Michaëlis quidem hanc potestatem Suidae auctoritate planam facere autumat; ſed frustra: habet enim Suidas nil niſi hoc: ὁλοὸς, ὁ φρόνιμος καὶ ὑγιής. Ergone hinc ſequetur τὸ ὁλοὸν eſſe mentem? — Vogelius, (*commentar. de coniectur. uſu in criſi N. T. pag.* 37.) interpunctationis mutatione locum ſe mederi poſſe putat ita: εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον, φωτεινὸν μὴ ἔχον τὶ μέρος, σκοτεινὸν, ἔσται. φωτεινὸν ὅλον. Sed, ne dicam, impeditam ſic fieri conſtructionem, maxime hoc, quod in ceteris quoque animadverti interpretationibus, obſtat, ſic idem dici per idem. Mihi, hunc locum ſaepe multumque conſideranti, ſuſpicio oborta est, verba φωτεινὸν ὅλον temere repetita eſſe e praecedentibus, adeoque e textu tollenda eſſe: qua correctione admiſſa, oratio plana est, dummodo ab initio legas: εἰ δὲ, vel, quod mihi magnopere placet, transponas vs. 35 et 36. Sin vero aliquis est cui haec nostra coniectatio non placuerit, habet is occaſionem quaerendae melioris. L.

Vs. 58. Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα] ὑπαρχων ἔτι, coll. Matth. V: 25. *H. E.* t. II. p. 522. Ven. (*r*).

Cap. XVIII: 7. μακροθυμῶν] μὴ μακροθυμῶν, coll. *Sirach* XXXII: 18. Ven. Alio modo Valck. hunc locum expedit, l c. pag. 363.

Cap. XIX: 38. εἰρήνη ἐν οὐρανῷ] ἐξ οὐρανοῦ *Pf.* LXXXV: 12. Ven. conf. Valck. qui legit ἐν ἀνθρώποις· p. 365.

Cap. XXIV: 32. καιομένη] varians lectio κεκαλυμμένη praeferenda est, ratio enim redditur, quare ipfum non cognoverint in itinere, collat. *Marc.* VI: 52. Cap. VIII: 17. Ven. Lactantius alia occafione dicit, *aperuit corda* eorum, et fcripturas interpretatus est; *de mort. perfecut. Cap* II. Verschuir.

JOANN.

Cap. VI: 8. Pro εἷς alii legunt ἄλλος, vel ἔτι εἷς, quia Philippus aeque ac Andreas Christi erat disfcipulus Conficit Venema ante Ἀνδρέας excidisfe καὶ, *dixit ei unus discipulorum et Andreas.* Sed malim lectionem vulgatam retinere, hoc

(*r*) Quo iure vir fagacisfimus mendum hic fibi deprehendisfe vifus fit, divinare non posfum. Correctio vero quam commendat, ea, intolerabili tautologia, frigidam facit orationem. L.

hoc ſenſu, *dixit ei unus discipulorum*, ſcilicet ANDREAS. VERSCHUIR.

— 17 ἤρχοντο πέραν κ. τ. λ.] ἦγοντο VEN.

Cap. VI: 3. ἵνα καὶ οἱ μαθηταί κ. τ. λ.] legendum ἵνα καὶ ἐκεῖ, *ut et illic* discipuli tui videant opera tua. VEN.

— 38. Pro ὁ πιςεύων legendum ſine articulo πιςεύων, ac praecedentibus conſtruendum hac ratione: καὶ πινέτω πιςεύων εἰς ἐμὲ, quod conferend. cum Jeſ. LV: 1. Reſpicitur in vocibus, *ut ſcriptura dicit* ad *Joël* III. (*s*). VEN.

Cap. XII: 47. οὐ γὰρ ἦλθον ἵνα κρίνω τὸν κόσμον] οὐ γὰρ νῦν ἦλθον κ. τ. λ. VEN.

Cap XIII: 20. Hic vs. loco motus, et vs. 17. ſubjungendus eſt. Admonitus et attentus lector facile intelligit, ſic Chriſti ratiocinationem aptius cohaerere, quod ut in oculos incurrat, textum hoc ordine deſcribam. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἔςι δοῦλος μείζων, τοῦ κυρίου αὐτοῦ, οὐδὲ ἀπόςολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν· Εἰ ταῦτα οἴδατε, μακά-

(*s*) Placuit VALCKENARIO, l. c. pag. 388, haec emendatio; eam vero Graecorum conſuetudini non ſatis accommodatam et a conſilio Johannis alienam esſe, vere dixit NOESSELTUS, *Opuscul. Faſcic.* 1. *pag.* 55, apposite conferens locum huic plane ſimilem, *Job.* 14: 12. De uſu nominativi abſoluti legantur, quae egregie monuerunt HOOGEVENIUS ad VIGERUM, pag. 41 et 42, HOMBERGIUS, *Parerg.* S. pag. 164, et PERIZONIUS ad AELIANI *var. Hiſt. Lib.* 2. c. 11, *pag.* 90. L.

ἄριοι ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὁ λαμβάνων ἐάν τινα, πέμψω, ἐμὲ λαμβάνει· ὁ δὲ ἐμὲ λαμβάνων, λαμβάνει τὸν πέμψαντά με· Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω· κ· τ· λ· VEN. (*t*).

Cap. XIII: 34. Ἐντολὴν καινὴν] forte rectius κοινὴν, *praeceptum commune*, vobis et mihi commune. Habemus κοινὴν πίστιν *Tit.* I: 4. et κοινὴν σωτηρίαν *Jud.* vs. 3. Mandatum hoc etiam κοινωνίαν Christi et Apostolorum ſecum invicem efficit firmam. Novo mandato hic nullus est locus. VENEMA. Conjectura haec aliquando viro ſummo venerat in mentem, ſed dein forte deſeruit, quia alibi annotata ſuo loco in margine N. T. inter caeteras emendationes non comparet. Prima quidem ſpecie valde arridet, et auctoris ingenio digna est; non tamen eam probare auſim. Praeceptum amoris talis inter Apostolos omnesque Christianos, quali ipſe Servator eos proſecutus fuit, plane *novum*, ejusque erat indolis, ut nullum ſimile exemplum, aut lex, antea exſtiterit. Amor mu-

(*t*) Verſum 20 gloſſam esſe ſuspicatus est LANGIUS (vid. *Neuestes Theol. Journ.* von GABLER, in an. 1800. *vol.* 4, *pt.* 2. *pag.* 109); displicet hoc TINGAE, v. cl., ſed revocat ut VENEMA, post verſum 17. (*Verſtrooide gedachten* pt. 2. pag. 43). STORRIUS vero probare conatus est verſum de loco non esſe movendum, quippe probabilem omnino cum praecedentibus habet connexionem (vid. FLATT. *Magazin für christl. Dogmat. und Moral*, pt. 7, pag. 67). L.

mutuus inter veri nominis Christianos, et amicitia, talis est, ut nulla alia inter homines amicitia cum ea comparari posſit. Mallem itaqne in tanto codicum et interpretum veterum conſenſu lectionem vulgatam retinere. Ad quam alludere videtur *Joann* ep II c. I: 5, qui idem praeceptum, ſed tunc *non novum*, quippe quod ἀπ' ἀρχῆς ab Euangelii initio, ab ipſo Servatore, habebant, denuo inculcat, coll. 1 *Joann*. II: 7, 8. Ἀδελφοὶ οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν κ. τ. λ. VERSCHUIR (*u*).

Cap XIV: 2. Post εἰσιν inſerendum videtur ὡς οἴδατε, *ſicut nostis*. VEN. Vere CLEMENS *Alex. Strom.* IV. εἰσι γὰρ παρὰ κυρίῳ καὶ μισθοὶ καὶ μοναὶ πλείονες κατὰ ἀναλογίαν βίων· VERSCHUIR.

Cap, XVI: 25. Suspicor ordinem hic turbatum, et verſiculo 24. annectendum vs. 26, 27, 28, 25, 29. ſic omnia rectius cohaerent. VEN.

Cap. XVIII: 14. inter vs. 14 et 15 inſerendus est vs. 24, male loco motus, ita ut legatur, Ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας τοῖς Ἰουδαίοις ὅτι συμφέρει, ἕνα ἄνθρωπον ἀπολέσθαι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ. Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα· VEN.

— Vs. 15. ὁ ἄλλος] ἄλλος demto articulo. VEN.

Cap.

(*u*) Christus praeceptum mutui amoris *novum* appellans, ſignificat, id adhuc a ſe traditum non fuiſſe; ſic interpretatus est hunc locum KNAPPIUS, v. cl., in egregie *commentat. de novo praecepto Christi* ad *loc.* Jo. 13: 34, et 15: 12, 17, inſert. eius *ſcript. varii argument.* pag. 369. v. ſeqq.

Cap. XIX: 11. δεδομένον ἄνωθεν] δεδομένος ἄλλοθεν *aliunde*, *ab alio*, *alia de causa traditus*. VEN. (*v*).

— Vs. 14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη·] Haec ab aliena manu margini adſcripta, et postea in textum intruſa, interrumpunt narrationis ſeriem, nec quid huc faciunt apparet. VEN. (*w*).

— Vs. 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου] glosſa marginalis. VEN. (*x*).

— Vs. 35. κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει] legendum οἴδαμεν, *et novimus illum vera loqui*, coll. c. XXI: 24. Καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐςιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ; Est enim, οἶδεν *novit!* prorſus, ut videtur, ſuperfluum, cum modo dixerat, eum vidisſe, et verum esſe ejus testimonium. VEN. *H. E.* t. III. p. 289.

Cap. XIX: 39. Φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν] ſuspicor legendum ὡσεὶ λίτρας ε, *litras quinque*, et pro ἑκατόν, ἐκεινοι, quod jungendum vs. 40. ἐκεινοι ἔλαβον κ' τ' λ' VEN. Recte SALMASIUS in *exercit. Plin.* t. II. p. 745 ἑκατόν, *pondus aromatum nimis magnum est*, *certe* 3 *aut* 4. *ad ſummum libras*, *aromatum condien-*

(*v*) Coniectura conſilio Christi repugnat, quod planum fit collatione *Actor.* 4: 27, 28. L.

(*w*) Potius parentheſi includenda ſunt. L.

(*x*) Neque hoc loco nulla est nota, quae glosſema prodit; bene interpretes Belgae verba unciis incluſere. L.

diendo uni funeri impensas legimus apud Aëtium, ubi alvus ecenterata odoribus farcienda erat. Digna quoque est, quae hic legatur P. CONRADI conjectura ingeniosa, qui conjectavit, JOANNEM scripsisse ὡσεὶ λίτραν ἕκαστος, singuli λίτραν adferebant, adeoque *libras duas.* VERSCHUIR. (*y*).

Cap. XX: 2. καὶ οὐκ οἴδαμεν] οἶδα μὲν, coll. vs. 13. οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. VEN.

Cap. XXI: 20. ἀκολουθοῦντα] vera lectio videtur μὴ vel οὐκ ἀκολουθοῦντα. VEN. Utique series et scopus exigit, JOANNEM cum PETRO non fuisse secutum. Hinc Jesus dicit vs. 22. Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; σὺ ἀκολούθει μοι coll. *Marc.* IX: 38. *Luc.* IX: 49. VERSCHUIR.

A C T.

Cap. I: 2. Forte voces διὰ πνεύματος ἁγίου] loco motae, et versui primo annectendae sunt hoc mo-

(*y*) Locus celebris varie a criticis tentatus. Ego, veteris scripturae vestigiis insistens, liquido confirmare ausim JOHANNEM scripsisse ΛΙΤΡΑΣ Π, i. e. litras quinque. Quid vero facilius ob ductuum similitudinem, quam quod vitio quis pro Π legeret Η, quae est nota centum? Ita mendi originem perspicuam esse, artis criticae peritissimos libenter mihi concessuros esse haud dubito. L.

modo, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν διὰ πνεύματος ἁγίου, ἄχρι κ' τ' λ' VEN.

— Vs. 4. συναλιζόμενος] ex emendatione T. HEMSTERHUSII legendum συναλιζόμενοις, prae cepit Christus congregatis Apostolis, vid vs. 6. *Luc.* XXIV: 33. VEN. Verbum συναλιζεῖν hoc sensu satis est usitatum, sic HEROD. c. VII. p. 387, ὁ δὲ περσέων συναλίσας τοὺς καὶ πρότερον συνέλεξε. Idem c. VII. p. 421. ἁλίης συλλεγομένης· CHRYS. *Hom* IV. in *Act. Ap. op.* t. III. p. 88 habet, Christus συνηλίζετο αὐτοῖς, et mox etiam συναλιζόμενος. Sed *auctor serm.* II. in *adscens. Christi* inter spuria CHRYS. t. I I. ed. nov. συναυλιζόμενος. Συναλίζεσθαι autem nusquam sensu activo significat *congregare* Magnus tamen HEMSTERHUSII discipulus lectionem vulgatam defendit, in *adnotationibus criticis in loca quaedam S. N. F.* existimans, scriptores Christianos veteres id accepisse pro *familiariter cum aliquo vivere, ejusdem mensae participem; salem simul edere.* Ita interpretatur CHRYSOSTOMUS t. III. p. 88. συναλιζόμενος, τραπέζης κοινωνῶν· Quod alias vocat ἁλῶν καὶ τραπέζης μεταλαβεῖν, VERSCHUIR (z).

— Vs.

(z) Memini WYTTENBACHIUM, v. cl. in scholis de hoc loco disserentem dicere, posse in utramque lectionem probabiliter disputari. VALCKENARII disputationi haud contemnendum accedere praesidium ab interprete *vulgato*, vertenti: *una vescens*, quem sensum Syra quoque versio expressit, monere haud supervacaneum.

— Vs. 25. πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον ἀΐδιον.] VENEMA. Hunc designavit VALCK. in *Adnot. adh. l.*, dicens, *amico cuidam meo venit olim in mentem scribendum* τὸν ἀΐδιον. *Tobit* c. III: 6. dicit εἰς τὸν αἰώνιον τόπον. Voces ἴδιος et ἀΐδιος aliquando inter se fuisse permutatas observat LENNEPIUS ad *Phalaridis epist.* p. 214. cujus viri nomen et memoriam grato animo prosequor, eo enim juvenis Groningae per quinquennium usus sum praeceptore et amico, dein per breve tempus *Franequerae* collega, ejus ingenium philosophicum et criticum, summam Graecae linguae omnisque antiquitatis peritiam, humanitatem, politos mores, et bene de discipulis merendi studium admirabar, ejus diuturnos morbos et immaturam mortem dolebam. Sed in viam redeamus, in *Sap. Salom.* c. II: 23. legitur ὁ Θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος, potius ἀϊδιότητος. Potest tamen lectio vulgata in nostro loco cum VALCKENARIO defendi, existimante locum proditori Judae debitum modeste vocari τὸν τόπον τὸν ἴδιον quem veteres τὸν τόπον, τὸν οἰκεῖον vocassent vid. Adnot. ad h. l. VERSCHUIR (*a*).

Cap.

neum puto. Potest tamen qua LUCAS usus est phrasis ad verbum reddi: *postquam convenerat cum illis*. L.

(*a*) Multa sunt, quae emendationi VENEMAE obstant; non Lucae erat consilium quidquam de Judae post mor-

Cap. II: 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν] τὰς ἡμέρας. VEN.

— Vs. 5. Ἰουδαῖοι, ἄνδρες εὐλαβεῖς] legendum καὶ ἄνδρες εὐλαβεῖς· VEN.

— vs. 6. ὅτι ἤκουον κ. τ. λ.] ὅτε ἤκουον· VEN.

— Vs. 9. Ἰουδαίαν,] ejus loco adſcripſit VENEMA ſuo exemplari βιθυνίαν coll. 1 *Petr.* I: 1, ſcripſit hic Apostolus epiſtolam ſuam ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας· Quae certisſima emendatio ex magni T. HEMSTERHUSII ingenio profecta videtur, teste quoque VALCKENARIO in adnot. critic. p. 372. ubi ex veterum auctorum locis oſtendit, has regiones conjungi ſolere. VERSCHUIR. (*b*).

— Vs.

mortem tradere ſtatu, quippe ſoli Deo noto; neque congruit in precibus ad Deum, de ſorte Judae aut quidquam adfirmare aut negare. Id. VALCKENARIUS perſpiciens, egregie, ut ſolet, monuit, Apostolos in hac re nihil definire; et ego in hac acquiescerem exegeſi, modo conſtaret, LUCAM de fortuna Judae post mortem dixisſe. Ne aliorum, quas WOLFIUS in curis ad h. l. adfert interpretationes, memorem, verbo dicam me facile adſentiri interpretibus iis, OECUMENIO, HOMBERGIO, aliisque, qui phraſin πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον de ſucceſſore Judae explicant, eamque reddunt: *ut locum ſuum occupat*, conf. praeter auctores a WOLFIO l. HEUMANNUM ad. h. l. KYPKIUM l. c. Tom. 2. pag. 9. L.

(*b*) Speciofa est HEMSTERHUSII coniectura; nec tamen

— Vs. 45. καθότι] καθ' ὅ, τὶ· VEN.

Cap. IV: 5. συναχθῆναι αὐτῶν τοὺς ἄρχοντας] legendam ἐπὶ τὸ αὐτὸ, uti vs. 26. οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ· VEN.

— Vs. 19. Εἰ δίκαιον ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ κρίνατέ· Mihi temperare nequeo, quo minus adſcribam verba SOCRATIS in ſua apol. teste PLATONE judices ſic alloquentis, ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς ὦ ἄνδρες 'Αθηναῖοι ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν· Καὶ ἕως περ ἂν ἐμπνέω καὶ οἷος τε ὦ, οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν, κ. τ. λ. SOCRATES quoque *Deo parere malebat, quam hominibus*, quam ſuis judicibus, etſi ob hoc ſuum ſtudium capitali afficiendus erat ſupplicio; ipſa nequidem vita, ipſi ſatis magnum erat praemium, quo a Numinis obedientia et veritatis ac virtutis profesſione avelli ſe pateretur. Vid. PLATO in *apologia* SOCRATIS *op.* t. I. p. 68. ed. *Bip.* VERSCHUIR.

Cap. V: 12. Ordo videtur turbatus, forte ſic legendum est. Καὶ ἦσαν ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος· Διὰ δὲ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τῷ λαῷ πολλά· Ὥστε κατὰ τὰς πλατειας ἐκφέρειν τοὺς ἀσθενεῖς καὶ τιθέναι ἐπὶ κλινῶν καὶ κραββάτων, ἵνα ἐρχομένου πέτρου κἂν

ἡ

men ſpreverim aliam, e ERASMI SCHMIDII ingenio profectam, quam WYTTENBACHIUS, v. c. in ſcholis probare ſolebat, ea autem haec est 'Ιδουμαίαν quae GREVIUS noster legendum putat: Γορδυαια, ſive Γορδυαια, regio quaedam Armeniae. L.

ἢ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν· Τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς κ' τ' λ' VEN. (c).

Cap. VI: 9. λιβερτίνων] λιβυστίνων legentibus adsentitur VENEMA, uti etiam VALCKENARIUS in *Adnot* pag. 376. (d).

Cap. VIII: 37. τὸν Ἰησοῦν καὶ χριστόν legendum videtur, inserta vocula καὶ. Credebat nempe *Jesum esse filium Dei et Christum*, seu *Messiam* promissum. Licet totus hic versus desit in aliquot exemplaribus et Syriaca versione, tamen non cum MILLIO, aliisque, rejiciendus est, nam major pars codicum, et Patres eum habent. Ipse MILLIUS errorem suum correxit in *proleg.* §. 371. Vs hunc insigni literarum tenuitate exhibuerunt in versione *Syriaca* nonnulli editores, quos recte castigavit MICHAËLIS *Cur. in vers. Syr.* p. 100. VENEMA. GRIESBACHIUS ex editionis suae contextu semotum in marginem rejecit cum GROTIO, WETSTENIO et BENGELIO, rejicit quoque VALCKENARIUS, et ab optimis codicibus, mi-

(c) Assentior SCHERLOCKIO, ordinem paululum aliter constituenti, ut videre est apud BOWYERUM, *conjectures on the New Testament*, edit. 3. L.

(d) Nulla opus est emendatione; sunt enim *Libertini* Judaei, incolae et cives *Liberti*, oppidi, sive regionis Africae propriae, sive Carthageniensis, quae et proconsularis dicitur; conf. *Miscellan. Groning.* T. 1. *Fascic.* 3, pag. 529, et SCHLEUSNERI *Lexic.* v. λιβερτῖνοι. L.

minimum triginta, abesse affirmat. VERSCHUIR (e).

Cap. IX: 20. ἐκήρυσσε τὸν χριςὸν] vera esse videtur lectio τὸν Ἰησοῦν, quae in nonnullis codicibus et versionibus antiquis reperitur. Forte legendum τὸν Ἰησοῦν, ὅτι οὗτος ἐςιν ὁ χριςὸς, ὁ ὑιὸς τοῦ Θεοῦ· VERSCHUIR.

Cap. X: 43. τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν·] Suspicari liceat Lucam scripsisse non πάντες, sed πάντως· VEN. (f).

Cap.

(e) Si quid valeant rationes criticae, versus hic genuinus esse nequit. Adscribere placet, quae HWIDIUS, *Libell. critic. de indole codicis M. S. gr. N T. Bibliothecae Caesareo Windobonensis Lambecii* XXXIV, pag. 16. monuit; cujus verba haec sunt: „ Mirari „ eo magis licet scholion hoc, quod certe ad Haereticos „ convincendos ab eruditulo est assutum, magna fidu„ cia frequenter explicari ab iis, qui commentarios in „ N. T. et versiones conficiunt. Sed eorum plurimi „ aut non id vident, aut eos a veteris librarii per fere „ omnes codices deinceps propagato errore corrigendo „ deterruit, quae multis interpretibus et criticis, insede„ bat olim, et nostris vel etiam in temporibus in tanta „ litterarum luce insidet textus religio, non minus for„ tasse damnanda, quam aliorum est inconsiderata in cor„ rigendo temeritas " L.

(f) Excogitata videtur haec emendatio, ut occurratur dicenti: non in omnibus omnino prophetis hanc reperiri propositionem: credentes in Christum peccatorum accipere remissionem. Sed ea ideirco est damnan-

Cap. XII: 12. Συνιδών τε ἦλθεν κ. τ. λ.] Σπεύδων τε ἦλθεν, uti Cap. XIV: 6. Συνιδόντες κατέφυγον, Σπεύδοντες κατέφυγον· VEN.

Cap. XIII: 18. ἐτροποφόρησεν] ſuſpicor legendum ἐτροφοφόρησεν, quod verb. ſignificat *ad modum nutricis geſtare, tractare, educare.* Talem ſe Deus Israëlitis praeſtitit educatotem Num. XI: 12. ita legisſe videtur Syrus, qui reddit ܐܬܪܒܝ *nutrivit*, quod BEZA jam obſervavit. VEN. (g).

— Vs. 48. καὶ ἐπίςευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι; εἰς ζωὴν αἰώνιον·] Distinctionis ſigna hac ratione, ut hic exaravi, mutanda ſunt, et ἐπίςεύσαν conſtruendum cum vocibus εἰς ζωὴν αἰώνιον· Ita 1 *Tim.* I: 16. πιςεύειν ἐπ αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον· Dicitur autem τεταγμένος *in aliqua ſtatione collocatus*, *ordinatus.* EPICTETUS in *Enchirid.* c. 29. *quae optima videbantur ſic teneto*, ὡς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένος εἰς ταύτην τὴν τάξιν. Ibid. c. 16 Φιλοσόφου ἰδιώτου, τάξιν dicit. Ita quoque POLYB. τέταγμένοι C. V. p. 508. οἱ ἐπὶ τῆς τῶν λαφύρων οἰκονομίας τεταγμένοι· *Qui in illo ordine collocati ſunt, cui demandatum est administrare praedam. Homo* τεταγμένος a DION. CHRYS. Orat. 3. p. 45. vocatur *homo compoſitus* et *aptus*, ut fieri velit, quod na-

nanda; quid enim fieret criſi, ſi dogmatica ut dicitur eius regeret fines. L.

(g) Verisſimam esſe hanc lectionem, a GRIESBACHIO nuper in textu receptam, nullus est, qui dubitet. L.

naturae conducit. Vid. et M. ANTON. *rerum suarum* C. XI. §. 13. Eundem usum quoque habet apud Alexandr. Interpr. vid. J. C. BIEL *N. Thes.* In loco nostro absolute τεταγμένοι dicuntur, ut equidem opinor, homines bene constituti, dispositi, apti, ad classem hominum ἀξίων τῆς αἰωνίου ζωῆς pertinentes, coll. vs. 46, qui alios εὔθετοι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ dicuntur *Luc.* IX: 62. Qui bene ordinati, dociles, veritatis et virtutis amantes erant, *hi credebant in vitam aeternam*, id est *in doctrinam de vita aeterna*, quam animo amplectebantur. VERSCHUIR.

Cap. XIV: 26 ὅθεν ἦσαν κ. τ. λ.] cum HEMSTERHUSIO legendum ᾔεσαν, et sic distinguendam, ὅθεν ᾔεσαν, παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν; *iverant* construendum cum εἰς τὸ ἔργον, eodem modo, Cap XV: 38. συνελθόντα εἰς τὸ ἔργον. VER. (*h*).

Cap.

(*h*) KLOSIUS, l. c. pag. 62, hunc locum sic iuvare studet, ut παραδίδοσθαι τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ significare velit: *bene dicendo dimittere*; sed nullum prorsus adfert exemplum, quod isti significationi confirmandae sit aptum. Praeterea, e. cap. 13 vs. 1-5. patet, PAULLUM et BARNABAM Deo ita iubente praefectos fuisse negotio instituendorum hominum a religione christiana alienorum, atque hoc est, quod LUCAS intendit; ergo structura haec est: παραδεδομένοι εἰς τὸ ἔργον τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ. Quare KLOSIO, siquidem HEMSTERHUSIUM contrastare voluisset, omnino probandum erat phrasin παραδεδομένοι εἰς τὸ

Cap. XV: 4. ἀνήγγειλάν τε ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ' ἀυτῶν] αὐτῶν ὢν, quae vocula facile excidere potuit, quia eaedem literae proxime praecedunt. VEN.

Cap. XVIII: 9, 10. Forte hic est verus verborum ordo, Μὴ Φοβοῦ διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ, καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. Ἀλλα λάλει καὶ μὴ σιωπήσης, διότι λαὸς ἐςί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταυτῃ. VEN. Alio modo verba transponenda censent HEMST. et VALCKEN. in *Adnot.* p. 397. Mutata tantum interpunctione haec adjuvanda putavit LENNEPIUS ad *Phalar. ep.* p. 3 5. VERSCH.

— Vs. 25. ἐδίδασκεν ἀκριβῶς] legend. videtur ἀφόβως, uti *Phil.* I: 14, postea enim ab AQUILA instructus est ἀκριβέςερον, ut vs. 26. habetur. VEN. *H. E.* t. III. p. 193.

— Vs. 27. συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιςευκόσι διὰ τῆς χάριτος,] διὰ λόγου τῆς χάριτος, λόγου excidisse videtur. Sic c. XIV: 3. διέτριψαν παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ κυρίῳ τῷ μαρτυροῦντι, τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτου. *Luc.* IV: 22, ἐθαυμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος· VEN.

Cap. XIX: 4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας,] pro μὲν reponendum μόνον· VEN.

Cap. XX: 4. Δερβαῖος καὶ Τιμόθεος·] Δερβαῖος δὲ

τι-

τὸ ἔργον alio posse et debere accipi sensu, non vero invita verborum structura disputandum de sensu π. τ. χ. τ. ϑ. Hoc est velitari, non rerum argumenta ponderare. L.

Τιμόθεος· *Derbaeus* fuit Timotheus; Ven. Consulatur Valckenarius in *adnot.* p. 397, qui memorat Adr. Heringam, tanquam hujus felicis emendationis auctorem. Verschuir.

Cap XXIII: 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάςασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα·] Potius ἢ πνεῦμα· Sic vs. 9. εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, ἢ ἄγγελος· Ven. Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα· Praecedunt tria, sed ἀμφότερα non nisi duobus respondet. Sed recte observavit Lennepius ἄγγελον et πνεῦμα idem fere notare, ejusdem esse generis, ut patet ex vs. 9. adeoque nihil difficultatis esse in voce ἀμφότερα, quod *Phalaridis* loco illustrat ep. 1. σὺ ἀμφότερα, καὶ μήτηρ αὐτῷ καὶ τροφὸς, καὶ πατὴρ ἐγένου, ubi μήτηρ et τροφὸς, *mater et altrix*, tanquam vicinae significationis nomina arctius conjunguntur. Quae *duo* non *tria* vocantur ab auctore, non tam verba, quam sensum spectante. Consulendus hic quoque Valckenarius in *adnot.* Marklandum castigans. Verschuir.

— Vs. 15. Νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ σὺν τῷ συνεδρίῳ ὅπως αὔριον αὐτον καταγάγε πρὸς ὑμᾶς,] duplex in his mendum esse videtur, pro σὺν legendum ἐν, et ὅπως alieno positum loco. Auctor, mea sententia, sic scripsit. Νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ, ὅπως ἐν τῷ συνεδρίῳ αὔριον· αὐτον καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, Ven.

— Vs. 30. Μηνυθείσης δὲ μοι ἐπιβουλῆς εἰς τὸν ἄνδρα μέλλειν ἔσεσθαι ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων] legamus ἢ μέλλει ἔσεσθαι ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων· Porro ἐξ αὐτῆς

ἔπεμψα, excidisse putaverim vocem αὐτὸν; ἐξ αὐτῆς αὐτὸν ἔπεμψα πρὸς σε· VEN.

Cap. XXIV: 4. παρακαλῶ ἀκοῦσαι σε ἡμῶν συντόμως] συντόνως *attente*, sic jam correxit T. HEMSTERHUSIUS. VEN.

Cap. XXV: 9. ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ] ἢ ἐπ' ἐμοῦ, VEN.

Cap. XXVI: 29. καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ] ἐν ὅλῳ VEN. (*i*).

Cap. XXVII: 33. τεσσαρεσκαιδεκάτην σήμερον ἡμέραν,] excidisse videtur τὴν, quia τὴν proxime praecedit. Legamus τεσσαρεσκαιδεκάτην τὴν σήμερον ἡμέραν, VEN. Ita quoque MARKLAND. VERSCHUIR.

EP. AD ROM.

Cap. I: 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν,] εἰς ζωὴν, quod confirmatur verbis ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, et Cap. V. VEN. (*k*).

— Vs.

(*i*) Nihil prorsus mutandum; sensus est egregius, quem tamen, si dicere liceat, interpretes haud assecuti videntur. Cum AGRIPPA dixerat: brevi me persuadeas ut Christi cultor evadam, tum PAULLUS: Deum inquit, precari velim, ut, et tu, et vos omnes, sive brevi sive multo (i. e. seu tempore exiguo opus fuerit, seu multo), tales evadatis, qualis ego sum. *L.*

(*k*) Cum ζωὴ, felicitas, a δικαιοσύνης notione haud ab-

— Vs. 20. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης· Haec parentheseos signis includenda, cohaerent enim ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους VEN.

— Vs. 29. πορνείᾳ, delendum. VEN.

Cap. IV: 17. ὡς ὄντα] εἰς ὄντα· VEN. Ita quoque T. MANGEY in *Philon.* de *Creat. princ.* p. 367. VERSCH.

Cap. V: 7. Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τὶς ἀποθανεῖται· ὑπὲρ ἀδίκου κ. τ. λ. Versio Syr. probante H. GROTIO, S MARKLANDO, T. BEZA, VENEMA. (*l*).

— Vs.

absit, equidem, ut opinor, auctoris nostri emendatio non habet, quo tueri se possit; neque indiget locus medicina, modo hebraicum loquendi usum teneas, quem bene interpretatus est KOPPIUS ad. h. l. L.

(*l*) Mirari subit placere potuisse viris summis Interpretis Syri versionem, qua omnis loci venustas perit. Refutatur cum praecedente μόλις, *aegre*, *vix*; quis enim pro malefico et iniusto mortem oppeteret? tum oppositione quae habetur comm. 8., hic namque Jesus dicitur tale quid fecisse, quod inter homines prorsus sit inauditum, conf. KOPPIUS ad. h. l. idem bene quoque disputat contra SEMLERUM, dicentem, totum versum glossema esse; praeiverat ex parte TANAQUILLUS FABERUS, *Epistolar. Lib.* 2. *pag.* 44. seqq., is enim putabat, alterum huius versus membrum esse interpretamentum prioris; vereor autem ut disputata ab illo recte se habeant, vid. MOSHEMIUS *observat. sacrar. pag.* 89.

— Vs. 16. ἁμαρτήσαντος] praeferenda lectio ἁμαρτήματος· Ven.

Cap. VII: 14. Οἴδαμεν] legendum οἶδα μὲν, *novi quidem*. Qualis vero sit πνευματικός, qualis σαρκικός, vel σαρκινός, docet Ignat. *ep. ad Eph.* §. VIII. Verschuir.

— Vs. 18. τοῦτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου] Hasce voces glossae vicem in margine primum tenuisse, dein in textum irrepsisse dicerem, si variantis lectionis alibi exstaret vestigium. Ven. Not. ad S. de Brais *Analys. paraphras epist. ad Roman.* pag. 289. (*m*).

— Vs. 24, 25, Cap. VIII: 1. Haec, ordine et

Mihi locus videtur sanus, et bene explicatus e vulgari Judaeorum loquendi consuetudine; a Gatakero, *Miscell. Advers.* Lib. 2. c 9. Vitringa *de Synagoga Vetere* pag. 798, et Koppio quae vero disputat Hombergius l. c. pag. 203, ut evincat, verba reddi posse: *pro potente celeriter etiam quis audebit mori*, sic comparata mihi videntur, ut nulla remaneat loci venustas, et orationis vis infringatur. Accedit et quod τάχα opposite ad μόλις nunquam valet *cito, celeriter*. Non possum quin adscribam, quae mecum communicare voluit Wassenberghius v. cl. collega honoratissimus: „ Lambertum Bossium, dubitasse, an non pro ἀγαθὸν „ legendum sit ἀγαπητον, *dilectum*, quod primo de „ more per compendium scriptum mox mutatum fuerit „ in ἄγαθον· L."

(*m*) Ipsis verbis glossae indicium inesse videtur; etenim nihil, quod omnes norunt, grammaticis, scriptores antiquos interpretantibus, usitatius est formula ista τοῦτ' ἔστι L.

et interpunctione mutatis, ſic legenda videntur, Ἆρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοΐ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ· Τῇ δὲ σαρκὶ, νόμῳ ἁμαρτιας· Ταλαίπορος ἐγὼ ἄνθρωπος· Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; Εὐχαριςῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριςοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν χριςῷ Ἰησοῦ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα· VEN. (*n*).

Cap. VIII: 2, ἠλευθέρωσέ με] ἡμᾶς· VEN.

— Vs. 28. Κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν] κατὰ πρόθεσιν χάριτος υἱοις κλητοῖς οὖσιν· Coll. 2 *Tim.* I: 9. *Rom.* XI: 5. c. IX: 26. 1 *Joann.* III: 1. οὖσιν ἁγίοις AMBROS. *Hexaem.* l. VI. p. 131. VEN.

— Vs. 30. οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε]. ἐκάλεσε υἱους. VEN.

Cap. IX: 11. Hic vs. parentheſeos ſignis includendus est. VEN.

— Vs. 3. ηὐχόμεν γὰρ,] εὐχόιμεν ἂν, *optaverim.* VEN.

— Vs. 24. Οὖε] υἱοὺς. VEN.

Cap. XII: 3. Τῷ ὄντι] ὄντι τι· VEN. Ad hunc loc. in Adnot. ita ſcribit VALCKENARIUS: „ ſpe-

(*n*) Inveni a VERSCHUIRIO notatum, virum eruditisſimum S. H. MANGERUM ſuspicasſe vs. 2. cap. 8. cohaerere cum vs. 25. h. c. ut adeo legitimus ordo hic ſit: ἐυχαριςῶ τῳ Θεῷ διὰ I. X. τοῦ κυρίου ἡμῶν· ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν X. I. ἠλευθερωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου· οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκρίμα τοῖς ἐν X. I. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, κ. τ. λ. L.

„ speciosa mihi fuit olim visa conjectura amicis„ simi Theologi legentis sillaba repetita, τῷ ὄντι „ τὶ ἐν ὑμῖν· Sed his in libris, qui sibi esse vi„ dentur *aliquid*, dicuntur etiam οἱ ὄντες· quod „ recte LENNEPIUS animadvertit in *epist.* „ PHALAR. p. 241." Quem usum ibi probat vir praeclarus ex THUCYD. l. I. p. 23. qui τοὺς ὄντας vocat τοὺς ἰσχύοντας· Ibi enim scholiast. τῶν νῦν ὄντων, τοῦτ' ἐςι, τῶν νῦν ἰσχυόντων· Sunt οἱ ὄντες in his, iidem fere qui alias ab Atticis dicuntur εἶναί τι· PAULUS 1 *Cor.* I: 28. habet τὰ ὄντα et τὰ μὴ ὄντα; Sed in ep. ad *Gal.* VI: 3 usus est phrasi εἶναί τι, dicit enim εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναι τι, μηδεν ὢν, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ· Vicina phr. est τὰ πάντα εἶναι v. gr. apud LUCIAN. in *Peregr.* et apud JOSEPH. de *bello* jud. l I. c. 24. CLEM. R. in *ep.* ἐκάλεσεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας et §. 2. Καλέσας ἡμᾶς ἤδη ἀπολλυμένους. Apud PLATON. quoque *de Republ.* l. 1. p. 180. ed. Bip. ὁ ὢν idem est, ac κρείτων vel ἄρχων· De phrasi τὶ εἶναι vid. VALCKENAAR ad *Eurip. Phoeniss.* vs. 601. VERSCHUIR.

— Vs 6. τῆς πίςεως] χαριτος vs. 3. VEN.

— Vs. 11. τῷ κυρίῳ δουλεύοντες] restituenda est vera lectio τῷ καιρῷ δουλεύοντες, *tempori servientes.* Serviendum est tempori, omnia opportuno tempore agere, commodam rei gerendae occasionem captare, nihil importuno tempore movere, ad tempus se accommodare oportet, suo quoque exemplo id egregie docuit PAULUS Ap. Haec vera est sapientia et prudentia. Graeci id vocant καιροσκοπεῖν,

πεῖν, καιροτηρεῖν· Καιρὸν εὐλαβοῦμενος dicit EURIP. *Orest.* vs. 698. Pluribus jam placuit haec lectio, VENEMAE etiam in *Disſ.* ad *Gen* XLIX p 386, et a GRIESBACHIO in textum recepta est, altera tamen κυρίῳ minusculis literis quoque adſcripta. Recte HILARIUS: *in Graecis dicunt quidam, ſic haberi: Domino Servientes; quod nec loco competit, quid enim opus erat ſummam hanc ponere devotionis, quando ſingula membra, quae ad obſequia et ſervitia Dei perirent, memorat?* Vid. WETSTEN. PLUTARCHUS probat quoque hanc in *Arato* §. XLIII, ὁρῶν τὸν καῖρον, ᾧ δουλεύουσιν οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. In loco nostro tanquam temperamentum ſuperiori praecepto additur; ne ζῆλος Christianorum ſit nimius aut intempestivus. VERSCHUIR (*o*).

Cap.

(*o*) E *Miscellaneis Lipſienſib.* Tom. 5. pag. 67, didici, ſanctum illum, quem vocant, HIERONYMUM, *in epist. ad* MARCELLUM, pro ea qua fuit humanitate, *aſellos bipedes* vocasſe: qui lectionem verisſimam, τῷ καιρῷ δ. admittunt, „ revertemur, inquit, ad nostros bipedes „ aſellos, et illorum in aure buccina magis, quam cythara concrepamus. Illi legant: ſpe gaudentes, tempori „ ſervientes; nos legamus: ſpe gaudentes, Domino ſervientes." Qui ſtupor! quae inſicetiae! Sed non miramur, ita locutum esſe HIERONYMUM, quippe virum literarum et eruditionis expertem, cuius quidem rei ſi argumenta deſiderentur, adeundus est CLERICUS' *Quaestiones* HIERONYMIANAE. L.

Cap. XIV: 21. μηδὲ πιεῖν οἶνον, μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει,] legendum μηδὲ τὶ ποιεῖν ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει· Excidit ποιεῖν per praecedens πιεῖν· VEN. Posset etiam legi μηδὲ ποιεῖν ἓν, ἐν ᾧ κ. τ. λ. vel ἐν abolito, μηδὲ ποιεῖν ἓν, ᾧ ὁ ἀδελφός, σου προσκόπτει, quod ἓν placuit quoque ANONYMO apud auctorem novae edit. N. T. *Oxon.* 1763. VERSCHUIR.

Cap. XV: 15. ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν χάριν κ. τ. λ.] διὰ delendum videtur, forte ejus loco reponendum ἰδίαν *privam gratiam*, vel ἰδίᾳ *seorsum* mihi datam, ut 1 *Cor.* XII: 11. VEN.

Cap. XVI: 7. συναιχμαλώτους] cum PAULUS hoc tempore non fuerit in vinculis, adeoque ANDRONICUS et JUNIAS, appellari non possint συναιχμαλῶται ejus, nisi ad praecedentia quaedam vincula respiciatur, quam significationem vox haec vix fert, rectius forte legeretur συνηλικιώτας, quod occurrit *Gal.* I: 14. VENEMA *Hist. Eccl.* T. III. p. 265.

Ibid ἐν τοῖς ἀποστόλοις] sc. ἐκκλησιῶν, collat. 2 *Cor.* VIII: 23. VEN.

1. C O R.

Cap. II: 4. οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, pro voce non Graeca πειθοῖς legendum πειθανοῖς vel πιθανοῖς. πειθανοῖς habet CHRYSOST. *Hom.* III. de *Lazaro* op. t. I. p. 740. et *Hom.* IV. de PAULO op. t. II. p. 495. VENEMA. Cui adsen-

ſentitur VALCKENARIUS in *Adnot.* p. 405. Non tamen ſpecie deſtituitur ALBERTI conjectura, quam propoſuit in addendis ad notata in *Gloſſ. Gr. in libros N. F.*, conjicientis veram lectionem esſe πειθοῖ, οὐκ ἐν πειθοῖ (καὶ) ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις· πειθὼ est *ſuada*, *perſuadendi vis.* Vox ἀνθρωπίνης in optimis Codd. non reperitur, quae ſi non adſit, facile librarius pro πειθοῖ ſcribere potuit πειθοῖς, cum ſequens vox σοφίας a litera σ inchoetur. Πειθοῖ διὰ λόγων dixit PLATO *de Rep* l. III. p. 411. ed. *Bip.* Priorem tamen emendationem praetulerim. VERSCHUIR. (*p*).

— Vs.

(*p*) Quae a SALMASIO *de Lingua Helleniſt.* pag. 86, et a KYPKIO, l. c. pag. 193, pro tuenda voce πειθὸς dicta ſunt, nihil omnino probare, dudum obſervarunt eruditi. Inſignis horum verborum lectionis diverſitas, certum textus interpolati indicium haberi poſſe, quis dubitat? De lectione autem conſtituenda diſſentiunt critici. Certe, vel ea propter vocem πειθὸς ſpuriam iudicare, quod Graecis est inſolita, mihi quidem nimis audax videtur, ſi quidem multa in PAULLI epistolis occurrunt, Graecis inuſitata. Ut autem alia mittam, ſemper ſpecioſa mihi viſa est coniectura KUHNII, in *Comment. exeget. et crit. ad locum* 1 *Cor.* 2: 1-5, *Lipſiae* 1784, is igitur KUHNIUS ſuspicatus ſcribendi compendio ΠΙΘΟΙΣ pro ΠΙΘΑΝΟΙΣ ſcriptum fuisſe. Ceterum, praeter WETSTENIUM conſulendi ſunt GREVIUS noster, *de Brieven van* PAULUS, etc. T. 2. *pag.* 155, et F. A. G. KRAUSIUS *Pauli ad Corinthios epiſtol. illustrat. vol.* 1. *pag.* 21. L.

— V. 13. οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου,] ἀλλ' ἐν διδακτοῖς σοφίας πνεύματός ἁγίου· VEN.

Cap. III: 13. ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται] lego cum *Bos*. ὅτε ἐν κ' τ' λ· VEN.

Cap. IV: 4. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα] οὐδὲν μὲν γὰρ κ· τ· λ· VEN.

— Vs. 13. ὡς περικαθάρματα] ὥσπερ καθάρματα· *Tanquam*, *veluti*, *homines vilissimi*, *abjectissimi*. VEN. (*q*).

Cap. V: 3. τὸν οὕτω τοῦτο κατεργασάμενον] τὸν αὐτὸ, vel αὐτὸν· VEN.

Cap. VI: 2. οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι] eodem ſenſu *Sirach*. Cap. IV: 15. qui ſapientiae auſcultat κρινεῖ ἔθνη· VEN.

— Vs. 15. Ἄρας] ἄρα οὖν, *an igitur?* BOS, (*r*) *Exercitat. Philol. pag.* 136, quod probo. VEN.

— Vs.

(*q*) Non dubito quin PAULUS ſcripſerit: ὡσπερεὶ καθάρματα, quam lectionem exhibent Cod. G. ſive BOERNERIANUS, 37, ſive *Leiceſtrenſis*, et lectionaria quaedam a GRIESBACHIO et MATTHAEO collata; haec facile depravari potuit vocibus male ſeparatis in ὡς περικάθάρματα· ſi vero quis dicat, vocem istam ὡσπερεὶ, etſi Graecis conſuetam, PAULLO tamen non uſitatam eſſe, is reſpiciat, 1 *Cor*. 15: 8. L.

(*r*) BOSSII correctio, post obitum viri optimi, nonnullis codd. est confirmata, et a L. KUSTERO in notis ad editionem N. T. MILLIAN. probata; item a GREVIO l. c. pag. 158, eam et ego adopto, quia lectio

— Vs. 19. Καὶ οὐκ ἐϛε ἑαυτῶν] καὶ ὅτι οὐκ ἐϛε ἑαυτῶν· Ven.

Cap. VII: 6. τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην] ἐμὴν γνωμὴν, porro οὐ κατ' ἐπιταγήν ſc. κυρίου coll. vs. 25 et 40. Ven.

— Vs. 7. Θέλω γὰρ] Θέλω δὲ· Ven.

— Vs. 26. ὅτι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι] ὅτε καλὸν κ' τ' λ' Ven.

— Vs. 31. ὡς μὴ καταχρώμενοι] ὡς μηκέτι χρώμενοι. Legit auctor homil. de parabola villici etc, inter ſpuria Chrysost. t. X. p. 844. παραχρώμενοι· Ven. (s).

— Vs.

tio vulgaris ἄρας nullum fundit ſenſum, et quia alterum illud οὖν frequenter a Paullo iungitur ἄρα in concluſionibus, locis a Bossio citatis addantur haec, *Rom.* 5: 18, 7: 25, 8: 12. 9: 16. et 14: 12 et 19. L.

(s) Non erat Paullus is, qui homini christiano omnem voluptatum interdiceret uſum, imo hortabatur ſubinde eos, ut grato erga Deum animo, uterentur, quae eius liberalitas ipſis concedit. Non probo itaque emendationem a Venema tentatam, quippe ingenio et doctrinae Apostoli contrariam. Est vero καταχρᾶσθαι, quod bene obſervatum video a Koehlero, *Obſer. Philol.* pag. 78, perinde ac *abuti*, non tantum *male uti*, ſed et in bonam partem *largius* et *immodice uti*, conf. Aeliani *var. biſtor. Tom.* I. pag. 223 et 585, edit *Periz.* Krebsius *Obſerv Flav.* pag. 291. Senſus igitur est: utamur huius vitae bonis, modo non abutamur; praeſens enim rerum ſtatus continuis agitatur fluctibus." L.

— Vs. 34. ἵνα ἡ ἁγία] ἁγνὴ coll. 2 *Cor.* XI: 2. VEN.

Cap. VIII: 1. οἴδαμεν ὅτι παντες γνῶσιν ἔχομεν] οἴδαμεν πάντως οἱ γνῶσιν ἔχομεν· VEN.

Cap. IX: 9. μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ] excidisse videtur μόνον, Μὴ τῶν βοῶν μόνον μέλει τῷ Θεῷ; Ἢ δὶ ἡμᾶς, potius Ἢ καὶ δὶ ἡμᾶς παντως λέγει; *an boum tantum curam habet Deus? an etiam propter nos omnino dicit?* VEN.

Cap. X: 2. Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο κ' τ' λ.] οἱς τὸν Θεὸν καὶ Μωσῆν ἐβαπτίσαντο — coll. *Exod.* XIV: 31 VEN.

— Vs. 17. ὅτι εἷς ἄρτος] ὅτι ὡς εἷς ἄρτος· VEN.

— Vs. 28. εἰδωλόθυτον] rectius ἱερόθυτον, loquitur enim gentilis. VEN. Dissentit tamen WETSTENIUS. VERSCHUIR.

Cap. XI: 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους] Legendum videtur, Διὰ τοῦτο οὐκ ὀφείλει γυνὴ κ' τ' λ' vel post γυνὴ addendum ὑπὸ, ita ut legatur, Διὰ τοῦτο ὀφειλείλει ἡ γυνὴ, ὑπ' ἐξουσίαν [sc. οὖσα] ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς· *Propter hoc debet mulier, sub potestate* (existens) *habere in capite* velamen; διὰ τοὺς ἀγγελους potius διὰ τοὺς ἁγίους *propter sanctos* id est, *credentes*. VEN. Hanc emendationem mihi non arridere, diffiteri nequeo. Sed in loco difficili et obscuro omnia tentanda. Innumeris fere locus hic ornatus dicam, an oneratus, fuit conjecturis. Prae caeteris ingeniosa est illa TOUPII in *emend. ad* SUID. p I. p. 21. ἡ γυνὴ ἐξιοῦσα, *mulier foras prodiens* debet velamen in capite habere, διὰ

τοὺς

τοὺς ὄχλους, potius ἄνδρας· Antiquisſimis temporibus mulieres nuptae frontis velamine ab innuptis distinguebantur. Nunc omnes orientalium mulieres et virgines, in publicum prodeuntes, faciem vela tegunt. Sed hic agitur de muliere, viro minore, et marito ſuo ſubjecta tanquam capiti aut domino ſuo. Posſet itaque alicui in mentem venire legendum esſe, Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν παρέχειν ἔτι τῇ κεφαλῇ, *hinc est, quod mulier adhuc potestatem viro tradere debeat*, quando nubit; ſive per *nuncios*, ministros ultro citroque commeantes ad connubii pactum perficiendum, ſive per *Euangelii ministros*, quando nubit. Κεφαλὴ δὲ γυναικὸς, ὁ ἀνήρ· vs. 3. Mulieres viro nubentes, ſive verbis, ſive aliquo ritu aut ſigno mariti potestatem, ſuamque ſubjectionem, agnoscebant, atque ſolenniter potestatem, deinceps in ſe exercendum, viro exhibebant. Verb. παρέχειν hunc habere uſum nemo Graece doctus dubitat. Sic v. gr. PISISTRATUS in *epiſtola* ad SOLONEM ἀνέλαβον γὰρ ἐγὼ, ἃ ὀμόσαντες Ἀθηναῖοι παρέξειν Κόδρῳ τε καὶ τῷ ἐκείνου γένει ὠφείλοντο apud DIOG. LAERT. l. I. in *Solone* p. 32. τὴν ἀρχὴν παρέχειν, τὴν εὐδαιμονίαν παρέχειν reperias apud HERODIANUM l. II. c. 14. p. 114. Ἄγγελοι vel ſunt *vulgares nuncii* vel ut in *Apocal.* ἄγγελοι τῶν ἐκκλησιῶν *doctores, ministri Eccleſiarum.* Ita jam juvenis, ante L. fere annos, conjectabam, nec poenitet, neque exiſtimaverim hanc conjecturam indignam, quae hic legatur. Quod vero ad phraſin attinet κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, elliptica est, plena v. gr.

oc-

occurrit apud PLUTARCH. in *Apopht.* Op. t. I. p. 2. p. 288. SCIPIO *Alexandriae* ambulabat κατὰ τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ ἱμάτιον· VERSCHUIR (*t*).

Cap.

(*t*) Hic locus acuit Criticorum ingenia. CLERICUS emendat διὰ τὸν ἄνδρας, GOTHOFREDUS ἐξουβίαν, quam emendationem vindicare conatus est adversus SALMASIUM, qui eam oppugnaverat in epist. ad CALOVIUM pag. 694. seq., vid. ZORNII *Biblioth.* T. I. pag. 158. TOUPII correctionem admitti non posse, probavit ABRESCHIUS, v. cl., *Bedenkingen over 's Heilands verzoeking in de Woestyne*, pag. 58. Anonymus quidam (*Auserlesene Abhandl. über wichtige und angenehme Materien theolog. Inhats*, pag. 250.) legendum coniecit διὰ τῶν ἀγκαλῶν· Inter VERSCHUIRII schedas et hoc inveni: „ legi posset: οφ· ἡ· γ' „ εξ· εχ' ἐπὶ τ' κ' διαγγελλοῦσα, i. e. *debet mulier ha-* „ *bere in capite velum, annuncians, proclamans potesta-* „ *tem viri*; dubito tamen an ἐξουσία absolute posita no- „ tat potestatem viri in uxorem." Mitto aliorum vel emendationes vel interpretationes: forte legendum: διὰ τοῦτο οὐκ ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, i. e. *quapropter uxor non debet potestatem exercere in maritum.* Scilicet, ἐξουσίαν ἔχειν mihi idem est ac ἐξουσιάζειν, quod cum genitivo constructum, est, *potestatem habere, exercere*, 1 *Cor.* 7: 4. Porro, inserui particulam οὐκ, quia orationis contextus id videtur requirere; inde enim, quod mulier creata erat in mariti solatium, vs. 9, Apostolus infert, haud licere uxori domi-

Cap. XII: 31. καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν κ. τ. λ.] καὶ εἴς τι. VEN.

Cap. XIII: 12. βλέπομεν] βλέπω μὲν, omnia haec in singulari num. enunciantur. Ita quoque legit THEODORET ad *Cant. Cant. op* t. I. p. 1018 et p. 1027, ubi μὲν omittit. VEN. Ita quoque VALCKENARIUS in *Adnot. Crit.* p. 405. VERSCHUIR.

Cap. XIV: 7. ὅμως] ὁμῶς vel ὁμοίως. VEN.

Cap. XV: 7. εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν.] Cum supra vs. 5. dixisset, CHRISTUM apparuisse τοῖς δώδεκα; qua ratione hic dicere queat, eum apostolis omnibus apparuisse, difficulter explicatur. Vidit id quidem BEZA, sed nodum non solvit. Mihi videtur pro πᾶσιν legendum πάλιν, sic *Joann.* c. XXI: 1. Μετὰ ταῦτα ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν πάλιν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς τιβεριάδος. VEN. Hanc emendationem probat. VALCKENARIUS in *Adnot.* pag. 406, his verbis: „*suspicabatur Clariss. Theologus, vocem ultimam πᾶσιν in πάλιν esse convertendam: quae mihi*

minare in maritum. — Denique ultima verba, quae adeo interpretes torserunt, mihi spuria videntur, et glossam redolere. Forte quis vitio oculorum deceptus, e versu praecedenti repetiit: διὰ τὸν ἄνδρα, mox, quippe huc plane ineptum, in διὰ τοὺς ἀγγέλους mutatum; nec mirum sane, cum opinio de geniis, qui rebus humanis adesse crederentur, et inde a condita societate christiana vulgaris, huic emendationi viam quasi monstraret. L.

hi quidem egregia ſemper viſa fuit hujus loci emendatio." VERSCHUIR (*u*).

— Vs. 45. οὕτω καὶ] καθὼς γάρ. VEN.

— Vs. 55. ποῦ σου κ. τ. λ.] vera lectio videtur ποῦ σου, θάνατε, τὸ νῖκος, ποῦ σου, ᾅδη, τὸ κέντρον; ſic verborum ordo convenit cum textu Hebr. et Gr. τῶν ο, nititur praeterea lectio haec auctoritate haud paucorum Codicum Graecorum et vulgati interpretis, uti jam obſervavit BEZA. Probat eam quoque MANGERUS in *Comm. in Hoſeam* p. 640. Gentiles ſpem Christianorum de reſurrectione corporum irritam reddere conantes, martyrum cadavera cremabant, et cinerem in fluvios ſpargebant, dicentes: νῦν ἴδωμεν εἰ ἀναςήσονται, καὶ εἰ δύναται βοηθῆσαι αὐτοῖς ὁ Θεὸς αὐτῶν, καὶ ἐξελέσθαι ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν. *Videamus nunc an ſint reſurrecturi, et utrum adesſe ipſis Deus ſuus, ac de manibus nostris ipſos eripere valeat?* ita in *ep. Vienn. et Lugdun.* apud EUSEB. *H. E.* l. V. c.

(*u*) Locus est ſanus; neque ullam cum vs. 5. apprehendere posſum repugnantiam. Saepe enim Apostolorum collegium dicitur οἱ δώδεκα, quia eo numero erat conſtitutum; huic collegio apparuisſe CHRISTUM narrat PAULLUS vs. 5, licet unus et alter, ut THOMAS, non aderat. Commate vero 7. aliam CHRISTI redivivi apparitionem, quum nullus Apostolorum aberat, intendit. Neque haerendum in numero definito, ſiquidem JUDA mortuo, et antequam in eius locum ſuffectus erat MATTHIAS, undecim tantum conſtabat Apostolorum collegium. L.

c. 1. p. 210. Sed miseri illi resurrectionis mysterium, hic a PAULO traditum, haud intelligebant; nec mirum, cum nequidem Christiani multi intelligant, σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν Θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται, vs. 50. VERSCHUIR (v).

Cap. XVI: 9. ἐνεργὴς] ἐναργὴς. VEN.

— Vs. 15, 16. οἴδατε κ. τ. λ] usque ad vs. 16. parenthesi includenda. VEN.

II. COR.

Cap. I: 17. ἵνα ᾖ] legend. ἵνα μὴ ᾖ, uti MUSCUL. apud auctorem novae edit. N. T. *Oxon.* VEN.

Cap. II: 3. ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω ἀφ' ὧν ἔδει με χαίρειν] ἐφ' ὧν ἔδει με χαίρειν. *Super* vel *de quibus* oportet me gaudere. Ut recte versio *Vulgata* habet. VEN. (*w*).

— Vs. 16. Καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός;] τίς οὕτως ἱκανος; VEN. (*x*).

Cap.

(*v*) Consulendus omnino est GREVIUS, noster, l. c. pag. 290. seq., suspicans, lectionem germanam hanc esse, ποῦ τὸ κέντρον σου, θάνατε; ποῦ σου ᾅδη ἡ δίνη· L.

(*w*) KUSTERO docente, ad edit N. F. MILLII, cod. *Boerner.* hanc exhibet lectionem, quam non indicarunt WETSTENIUS et GRIESBACHIUS. L.

(*x*) Sequitur VENEMA *Versionem Vulgatam*, cuius

lec-

Cap. III: 2. Καρδίαις ἡμῶν] ὑμῶν. VEN. (y).

Cap. IV: 3. ἐςι κεκαλυμμένον] ἔτι. VEN.

Cap. IV: 4. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος.] *Deus hujus seculi* est, qui ab hoc feculo habetur pro Deo. ORIGEN. *Com. in Matth.* interpretatur ὁ θεοποτηθεὶς ἀπὸ τῶν υἱῶν τοῦ αἰῶνος τούτου. Sic idem est, qui *Joann.* XVI: 11. dicitur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου. Rectius tamen hic pro ὁ θεὸς legeretur ὁ σκότος τοῦ αἰῶνος τούτου, collato 1 *Joh.* II: 11. ἡ σκοτία ἐτύφλωσε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. et *Ephes.* V: 11. μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους. VEN.

—— ibid εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι] vel διαυγάσαι, CYR. *Hieros.* legit διαυγάσαι τὸν φωτισμὸν τῆς δόξης τοῦ εὐαγγελίου. VEN.

Cap. V: 6. καὶ εἰδότες] καίπερ εἰδότες. VEN.

— Vs. 9. εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες εὐάρεςοι αὐτῷ εἶναι] excidisse videtur, εὑρεθησόμεθα, legend. εἴτε ἐδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες εὑρεθησόμεθα εὐάρεςοι· coll. vs. 3. *Sive vivi, sive mortui, inveniemur, id studeamus, ut Christo simus accepti.*

In-

lectionem PAULLO restituendam esse putat MILLIUS, (Proleg. 469. seqq.) refragante tamen, ut solet, WHITBIO, *Exam. pag.* 65. Placet ERASMI coniectura, particulam *tam* inde natam, quod olim scriptum fuerit *quisnam*. Prolixe disputat de lectionis veritate WOLFIUS in *Cur. ad.* h. l. L.

(y) Est quorundam codd. lectio, quam GREVIUS l. c. pag. 112, probat. L.

Inhabitantes in corpore, ſunt *vivi*, exhabitantes ex corpore *mortui*. Hinc mors appellatur μεταβολὴ καὶ μετοίκησις vid. GAT. ad *Marc. Ant.* l. VI. §. 47. corpus σκῆνος vocatur a DEMOCRITO apud STOBAEUM de *virtute* ſerm. I. p. 4. Hic vs. 1. ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους. VEN.

— Vs. 10. τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν] forte rectius πρὸς ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν, *Eph.* VI: 8. ATHENAG. *de reſurr. mort.* §. XVI. habet, ἵνα ἕκαστος κομίσηται δικαίως ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν. ATHANAS. *de incarnat. verbi* p. 110. πρὸς ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν. VEN.

Vs. 11. ἀνθρώπους πείθομεν,] οὐκ ἀνθρώπους πείθομεν, *Galat.* I: 10. 1 *Theſſ.* II: 4. VEN. ita jam emendavit HARE. Senſus hic est, non adulamur, non adblandimur hominibus, non malis artibus eos nobis conciliare ſtudemus, VERSCHUIR (z).

Cap.

(z) Hic locus e vulgari conſuetudine ſatis pie, vereor autem an recte explicetur. Si πείθειν τινα, ut MORUS adfirmat ad *Act.* 12: 20, nunquam valeret *aliquem perſuadere*, ſed contra *alicuius gratiam colligere*, interpretes non disſentirent. CLERICUS in not. ad HAMMONDUM cum ad n. l. cum ad *Gal.* 1: 10, in eo ſuum poſuit ſtudium, ut probaret nunquam πείθειν habere *conciliandi* notionem. Utrumque errare patet ex iis, quae disputata ſunt ab ABRESCHIO in *Miſc. obſ. nov.* Tom. 3, pag. 8. VALCKENARIO ad *Euripid. Hippol.* pag. 272. et BORGERO, v. d. *Interpretat. epist. ad Galat.*

Cap. VII: 10. ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη] eodem modo ἀγάπη κατὰ Θεὸν apud IGNAT. *ep. ad Magnes.* §. 1. VERSCHUIR.

Cap VIII: 2. ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς,] χάριτος. VEN.

Cap. XI: 29. Forte ordine mutato vs. 32 et 33. annectendi ſunt verſui 29, ita ut hoc ordine legatur, τίς σκανδαλίζεται, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι; ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν Δαμασκηνῶν πόλιν, πιάσαι με θέλων, καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, τὰ τῆς ἀσθενείας μου καυχήσομαι. ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι. Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. VEN.

GA-

lat. pag. 92. —— Notionem, *perſuadendo aliquem trahere in ſuam ſententiam*, quam multi ſequuntur, mihi quidem orationis nexui parum convenire videtur; cui contra egregie reſpondit illa conciliandi. Senſus hoc fere modo conſtituendus videtur: Scio, CHRISTUM futurum esse iudicem meum, praemia et poenas ipſe „ aliquando retribuet mihi, hunc igitur ſolum timendum; „ attamen hominum nobis conciliare ſtudemus favorem; „ ſatis quidem est ſi judici meo probatus ſum, at vel „ ſic tamen volo illorum mihi acquirere benevolentiam, „ Deo ſumus probati, novit ille me meique animi ſenſa, „ testis mihi est, me boni doctoris officio ſatisfacere; „ confido autem et vos quoque iudicaturos esſe, me „ omnem dare operam, ut boni doctoris partes tuear."

L.

GALAT.

Cap. I: 1. ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ Θεοῦ πατρὸς] legend. καὶ ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς. VEN. Ita quoque ARTEMONIUS et CLERICUS ad HAMMOND. VERSCHUIR.

Cap. II: 2 κατ' ἰδίαν δε τοῖς δοκοῦσι, μή πως κ. τ. λ.] δοκοῦσι τὶ, μὴ ὥς. VEN. SOCRATES, apud PLATON. in *apol.* ἦλθον ἐπὶ τίνα τῶν δοκούντων σόφων εἶναι, ὡς ἐνταῦθα, εἴπερ που, ἐλέγξω τὸ μαντεῖον. p. 49. ed. Bip. Hic plene vs. 6. ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναι τι. VERSCHUIR.

Cap. IV: 5. ἵνα τοὺς ὑπο νόμον ἐξαγοράσῃ] ἵνα ἡμᾶς τους κ. τ. λ. VEN.

Cap V: 17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος] Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ μὲν κατὰ. κ. τ. λ. VEN.

Cap. VI: 4. Pro μόνον, quod hic tanquam incongruum maluit expungendum BEZA, lege μενὸν, et elegantem habebis ſenſum. VEN.

Vs. 16. καὶ ἐπὶ τὸν κ. τ. λ. lege ὡς καὶ ἐπὶ VEN.

EPHES.

Epistolam hanc non ad *Epheſios* ſcriptam fuiſſe erudite demonſtravit C. VITRINGA F. in *Diſſ.* p. 247. et ſeq. H. VENEMA autem, telam hanc,

immatura tanti viri morte abruptam, pertexens, conjicit ſcriptam eſſe *ad Laodicenos*, et eandem eſſe, cujus mentio fit *Coloſ.* IV: 16. J. B. KOPPE in *proleg. ad hanc ep.* exiſtimat eſſe encyclicam, non ad Eccleſiam unam ſingularem, ſed Eccleſias plures miſſam, quem, diverſas ſententias recenſentem, nullam VITRINGAE aut VENEMAE, qui quaestionem hanc tam accurate, tanto cum judicio, et eruditione tractarunt, feciſſe mentionem, equidem miror. VERSCHUIR.

Cap. II: 1. καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι, κ. τ. λ.] locum hunc, vulgo male intellectum, recte explicaſſe videtur *Anonymus* in de *Vaderl. Letteroefen.* anni 1791. N. 14. in *miscellan.* p. 585. VERSCHUIR. (*a*).

— Vs. 3. Ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς πάντες] πάντως VEN. (*b*).

— Vs.

(*a*) Veriſſima mihi videtur STORRII, *Opusc. Acad.* vol. 1. pag. 173 ſeqq., emendatio, qua verborum ſtructura ordiatur a clauſula capitis primi, hoc modo: τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, καὶ ὑμᾶς κ. τ. λ. L.

(*b*) Divinare non poſſum, quid impulerit auctorem ut lectionem certiſſimam mutaret, eaque emendatione elegantem tollat oppoſitionem ad vs. proxime praecedentem. PAULLO, docente CRAMERO in comment. ad *h. l.* nihil uſitatius uſu primae perſonae, quum de *Judaeis* oppoſite ad Gentes loquitur. L.

— Vs. 15. δόγμασι] δικαιώμασι *Hebr.* IX. VEN.

— Vs. 17. καὶ τοῖς ἐγγύς] καὶ ἡμῖν τοῖς ἐγγύς. VEN.

Cap. III: 9. Κοινωνία, praeferenda videtur alia lectio οἰκονομία. VEN. (*c*).

Cap. IV: 14. ἐν τῇ κυβείᾳ, vox κυβεία in hoc loco aptam non habere ſedem videtur. Quid enim *aleae* commune cum fluctibus, vento, tempestate. Si *astutiam*, *verſutiam* intelligas, ea ſequente πανουργίᾳ exprimitur. Si ἐν τρικυμίᾳ legeretur eadem maneret metaphora. Elegans haec est VALCKENARII conjectura. Voce hac uſus est CHRYSOST. op. t. I. p. 236. p. 292. et op. t. II. p. 367. t. XI. p. 161. δαιμονων τρικυμίας habet THEODORET. *Quaest.* 31. ad II *Reg.*, ſic et ἐναντιων τρικυμίας ad *Col.* I: 11. et ſaepe alias. In ep. 86. et ep. 98. τρικυμίας et κλύδωνας conjungit. VEN. (*d*).

— Vs.

(*c*) Hanc GRIESBACHIUS *Alexandr.* et *Occident.* recenſionis auctoritate in textum recepit; ſecutus est KOPPIUS, quem adiſis. L.

(*d*) MORUS, in altera d. h. l. disputatione, inſ. Opusc. vol. 2. pag. 224, argumentorum inductione planum fecit, κυβείαν h. l. esſe inconſtantiam ac mutabilitatem in docendo, quae nec ipſa conſiſtit in certa ſententia, nec alios conſiſtere ſinat. SUICERUS, *Theſ. Eccleſ. vol.* 2; pag. 181, WETSTENIUS in *not.* et dudum ante STEPHANUS in *Theſ. Ling. Gr.* multa e Patrum ſcriptis congesſerunt loca, quibus illa inconſtantiae no-

— Vs. 21. Καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ.] Haec parentheseos notis includendae, atque hac ratione legendum, καὶ ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, (καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ,) ἀποθέσθαι ὑμᾶς, κ. τ. λ. Ven.

— Vs. 24. ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας.] Vera lectio est καὶ ἀληθεια; ὁσιότης autem, justitiae juncta, est *pietas* in Deum, eximie *sanctitas* dicta. Sic Philo de Abrahamo ὁσιότης μὲν πρὸς Θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἀνθρώπους θεωρεῖται. Τὸ ὅσιον Platoni est τὸ θεοφιλὲς. Simplic. ad Epictet. p. 250, ὁμοίωσις δὲ πρὸς Θεὸν, δίκαιον καὶ ὅσιον μέτα φρονήσεως γινέσθαι. Marc. Anton. l. VII. § 66, δίκαιος τὰ πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ὅσιος τὰ πρὸς θεοὺς· ἀληθεία hic est *sinceritas* in omni vita ac convictu, virtutis et vitii respectu, cui opponitur ψεῦδος et ὑπόκρισις. Δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διάγειν dicuntur homines probi, justitia in homines, et pietate in Deum conspicui. Verschuir.

Cap. V: 19. ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ] legend. ἐκ τῆς καρδίας. Ven.

— Vs. 26. ἐν ῥήματι] πνεύματι coll. Act. XI: 16. vel αἵματι. Ven. (*e*).

Cap.

tio confirmatur. Edidit Matthaeus, vir graece doctissimus, scholion aliquod in h. l. (in edit huius epist. pag. 182.) quod veram Paulli mentem exprimit, hoc est: κυβεία] ἐν τῇ ἀστάτῳ περιφορᾷ, ὡς νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ ἐκεῖνο διδάσκειν· Sed omnino adeundus est Morus, qui omnium optime hunc locum interpretatus est. L.

(*e*) Hoc ἐν ῥήματι torsit admodum interpretes. Semler

Cap. VI: 5. ὡς τῷ χριςῷ] ὡς ἐν τῷ χριςῷ, vel ὡς τοῦ χριςοῦ sc. δοῦλοι. Vulgata tamen lectio fit verisimilior ex *Colos.* III: 23. ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, ὡς τῷ κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις. VEN.

PHILIPP.

Cap. I: 4. (πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος.) Locus hic hac ratione interpungendus et emendandus est, ut videtur, (πάντοτε, ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ παντων, ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν μνείαν ποιούμενος) VEN.

— Vs.

LERO spurium videtur, dubito tamen cum KOPPIO, an quemquam habebit sibi consentientem. Speciosa quidem videtur VENEMAE coniectura, nescio tamen an plane emendatione nihil opus sit. Etenim primo verba illa, καθαρίσας τῷ λυτρῷ τοῦ ὕδατος parenthesi includenda sunt. Dein, ἐν ῥήματι, ut mihi videtur positum pro κατὰ τὸ ῥῆμα, reddendum, *ut promissum est.* Cum enim nullibi Christus dicatur homines expiare per doctrinam suam, omnino durum est, hanc notionem huc admittere. Sin vero alicui offendat, insolens illa locutio λυτροῦ τοῦ ὕδατος, equidem non valde repugnarem si legendum putaret αἵματος, ut sensus esset: „ adeo CHRISTUS „ suum dilexit coetum, ut morti ipse se tradit pro illo, „ quo illum, ut promissum erat, a peccatis immunem „ reddit, (eum namque expiavit sanguinis (sui) pretio), „ ut societatem sibi sisteret, omni labe carentem." L.

— Vs. 11. πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησου χριϛοῦ] legend. τῆς διὰ Ἰησου χριϛοῦ, coll. Cap. III: 19. VEN.

— Vs. 21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, χριϛός] Quilibet ſentit phraſin hanc aliquid duri habere, forte vera lectio est χρηϛὸν, ſic accurata est inter hanc praeſentem et futuram vitam oppoſitio. Illa quidem *utilis*, ut Christi regno inſervire posſet δι' ὑμᾶς, ut dicit vs. 24, haec autem κέρδος *lucrum* ipſi Apostolo. Futura vita potius χριϛός dicenda erat; cupiebat enim disſolvi ſive migrare *ex hac vita*, καὶ σὺν χριϛῷ εἶναι. Incommode ergo dicit, vitam hanc praeſentem ſibi jam esſe χριϛόν. Porro τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, et τὸ μὴ ζῆν ἐν σαρκὶ τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, haec perfecte conveniunt. Utilitatem autem vitae ſuae in hac terra exhibet vs. 25. et ſeq. ἀναλῦσαι vs. 23. non adeo est *disſolvi*, quam *decedere*, quod Latini abſolute ponunt pro *mori*, et quaſi decedere de hac terra et ſtatione mortali. Vid. PERIZON. ad AELIAN. *V. H. l.* IV. c. 23. p. 355. His jam ſcriptis vidi emendationem hanc, non omni auctoritate destitutam, placuisſe quoque BAULACRE. VERSCHUIR. (*f*).

— Vs.

(*f*) Est ſane paulo difficilis horum verborum interpretatio, dubito tamen an ea, quam VERSCHUIRIUS confirmare conatus est vera ſit. Etenim primo, lectionem χρηϛὸν, expresſam in *Verſ. Arab. Polygl.*, ortam, ut MICHAËLI (*Eileit.* §. 40, 45.) videtur ex *Itacismo*, prodere correctoris manum, dubium non est; qui tamen non

— Vs. 22. Εἰ δὲ τὸ ζῆν] τὸ μὴ ζῆν, ita legendum esse et VENEMAE et mihi videtur. VERSCHUIR.

Cap.

non animadvertit, emendatione sua omnem orationis elegantiam perire, et idem bis dici. Dein, obstat illi interpretationi sententia commatis praecedentis, 20; dixerat ibi PAULLUS; se hanc alere spem, fore, ut CHRISTUS, i. e. eius religio caperet incrementa, idque sive vivere pergeret, sive moriturus esset. — Porro, χριστὸς, docente ERNESTIO, *Neue Tb. Bibl.* pt. 3, pag. 634, neutiquam CHRISTI personam, sed eius religionem designat. - Adhuc, initium com. 22. arcte nexum praecedenti τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, quod bene observatum video cum a STORRIO et HEINRICHSIO, tum a rever. HASELAARIO, in egreg. *diss.* de *nonnullis Actuum Apost. et Epist. Paulian. locis*, pag. 158; nova autem sententia incipit a verbis: καὶ τι αἱρήσομαι, quae omnino verti debeant: *sane! quod eligam nescio; urgeor enim ab utraque parte*, etc. — Denique, hoc posito, intellectu facile est, τὸ ζῆν et τὸ ἀποθανεῖν esse subiecta antitheta, quorum praedicata sunt χριστὸς et κέρδος, eaque illustrari vs. 23 et 24. Sensus igitur, ut puto, hic est; *vita mea Christi religioni tuendae et propagandae dicata est; mors vero mihi lucro futura est, quamquam haec vita operae* (provinciae legati) *fructum affert. Profecto, quid eligam, nescio;* etc. Consul. l. HASELAARII *disp.* pag. 155, a cuius interpretatione his tantum discedo, quod εἰ verto *quamquam*, et com. 23. ordiendum puto a verbis καὶ τι αἱρήσομαι. L.

Cap. II: 21. οἱ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ τοῦ χριστοῦ Ἰησοῦ] ſc. μόνον. VEN.

Cap. III: 15. ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν] τὸ αὐτὸ φρονῶμεν. VEN. Haud dubie vera lectio est, ſed ſcribendum ταὐτὸ, ſic una tantum litera differt a vulgata lectione. φρονεῖν ταὐτο est *idem ſentire*, eadem esſe ſententia *Rom.* XV: 5. τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ χριστὸν Ἰησοῦν. Eodem modo τὸ αὐτὸ λέγειν 1 *Cor.* I: 10. Quae phraſes ſignificant *mutuam concordiam* et *amicitiam colere.* Ita AGELAUS NAUPACTIUS apud POLYB. l. v. c. 104, Graecos ad concordiam adhortans, dicit eos debere ἓν καὶ ταὐτο πάντας λέγειν, καὶ συμπλέκειν τὰς χεῖρας. VERSCHUIR (*g*).

— Vs. 17. σκοπεῖτε τοὺς οὕτω περιπατοῦντας] ὄντως περιπατοῦντας. VEN.

Cap. IV: 16. ὅτι] ὄντι. VEN. Nimirum hoc modo legendum, εἰ μὴ ὑμεις μόνοι ὄντι ἐν Θεσσαλονίκῃ, καὶ deleto, VERSCHUIR.

CO-

(*g*) BEZA in notis ad h. l. ſic legendum iam coniecit; mihi vero a conſilio PAULLI repugnare videtur haec emendatio, ſiquidem omnis eius ſententia in eo verſatur, ut Christianos horterur, ſic animatos esſe, ut neglectis illis a Judaeis tantopere laudatis, contendant ad praemia ipſis propoſita. Conf. NOESSELTUS *Opusc. Faſ.* 2. *pag.* 223, et HEINRICHSIUS ad h. l. L.

COLOSC.

Cap. I: 18. ὅς ἐςιν ἀρχὴ] ἀπαρχή. VEN.

— Vs. 19. κατοικῆσαι] κατοικίσαι. Quae verba ſaepe confunduntur, ut exemplis probavit WESSELINGIUS ad DIOD. *Sic.* p. 32. et p. 272. VEN. Ita quoque HEMSTERHUSIUS apud SEGAAR *act. ſoc. Traj.* p. I. p. 92. VERSCHUIR (*b*).

— Vs. 20. καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν] αὑτόν. VEN. Ita jam alii plures, GRIESBACHIUS hanc lectionem in textum recepit. VERSCHUIR.

Cap. II: 3. ἀπόκρυφοι,] οἱ ἀπόκρυφοι, coll. 1 *Cor.* II: 7. VEN.

— 14. δόγμασιν,] δικαιώμασιν, *Hebr.* IX. VEN.

— Vs. 21 et 22.] vs. 21. et initium vs. 22. parentheſeos ſignis includantur, (Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, ἅ ἐςι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει).

— Vs.

(*b*) Nullus dubitarem viris ſine exemplo maximis accedere, modo conſtaret τὸ πλήρωμα tribuendam esſe ſignificationem pasſivam, adeoque indicare id, quod imbuatur; ſed nullus plane est locus, qui pasſivam confirmat notionem, imo temere ab interpretibus eam esſe ſumtam, egregie docuit STORRIUS, disſ. *de voce* πλήρωμα, in *Opusc. Acad. vol.* 1. *pag.* 144. coll. *pag.* 164. ſeqq. ubi de h. l. disſerit. L.

— Vs. 23. ἐν ἐθελοθρησκείᾳ], ἀγγελοθρησκείᾳ coll. vs. 18. Ven. (*i*).

Ibid. ἐν τιμῇ τινι ſc. τοῦ νοὸς, vs. 18. Ven.

Cap. III: 16. ἐν τῇ καρδίᾳ,] ἐκ τῆς καρδίας. Ven.

I. THESS.

Cap. II: 13. ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμων, τοῦ Θεοῦ.] Non dubito, quin τοῦ Θεοῦ gloſſa ſit. Ven.

Cap. III: 13. τῷ μηδένα σαίνεσθαι ἐν ταῖς θλίψεσι ταύταις. Mallem legere μηδὲν ἀσαινεσθαι, ſi verbum uſitatius esſet. ἀσαίνων interprete Hesychio ὑβρὶζων, λυπῶν. Sic ἀσᾶν apud Herodot. Theocrit. et Theognid. vid. D'Arnaud *Animadv.* c. 29. foret itaque uſitatius ἀσᾶσθαι Ven. μηδένα σαίνεσθαι emendavit etiam Reiskius in μηδὲν ἀσαίνεσθαι, hoc ſenſu, *ne taedium* et *impatientia doloris atque molestiae vestros capiat animos.* Quae ingenioſe excogitata emendatio, qua ne litera quidem mutatur, placuit Valckenario, magis quam alia ejusdem Reis-

(*i*) Si quis animo volvat, quae erudite ad h. l. disputavit Noesseltus, *Exercit.* pag. 239 ſeqq., non dubito, quin fateatur, incommodam esſe auctoris emendationem. Legatur quoque Rever. *van* Bemmelen diſſ. *de epistol. Paul. ad Epheſ. et Coloſſ. inter ſe collatis*, pag. 121.

REISKII correctio, qua σαλεύεσθαι mutavit in σιαίνεσθαι *taedio, molestia, aegritudine affici*; quamvis REISKIUS posteriorem hanc priori praeferat. ἀσαίνεσθαι autem idem denotare ac ἀσᾶσθαι observat VALCKEN. qui verbum hoc illustrat in *Adnot. Crit. in l. q. N. F.* p. 339. et seq. VERSCHUIR (*k*).

Cap. V: 5. πάντες] πάντως. VEN.

II. THESS.

Cap. I: 10. ὅτι ἐπιςεύθη κ. τ. λ.] ὅτε. VEN.

Cap. II: 4. ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν] legendum ἐπι

(*k*) Nulla hic locus, quippe sanus, indiget medicina. Est utique σαίνεσθαι verbum auctoribus sacris inusitatum; eius autem generis alia quam plurima in PAULLI reperiri scriptis nullus est, qui nesciat. Si autem ratio, hinc, desumta staret, VALCKENARIUS certe non substituere poterat aliud verbum iisdem scriptoribus plane incognitum, quod recte adfirmatum video a KLOSIO l. c. pag. 84. Σαίνω, quod non differt a σείω, utrumque enim est a σίω, est proprie *quatio*, dein *moveo*, *turbo* etc.; quae propria notio, ut intelligens quisque vidit, huic nostro loco est aptissima, conf. KOPPIUS ad. h. l.; vellem tamen ne dixisset σαίνειν proprie dici *de motu caudae in canibus*, etsi enim et hanc verbi potestatem agnosco, (vid. VALCKENARIUS *Not. ad.* EURIPIDIS *Hipp.* pag. 256) tamen non est prima et propria, unde ceterae derivantur notiones. Eundem errorem commissum video a SCHLEUSNERO. L.

ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον θεῖον. VENEMA, etiam in *Comm. ad Dan.* Praeterea pro *αὐτὸν* rectius legitur *ἀυτον*; *καθίσαι* autem est *collocare*; *ὥςε ἀυτον εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι*, *adeo ut se ipsum in templo Dei ut Deum collocet*. VERSCHUIR.

— Vs. 16, 17. *καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν, καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι, παρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας.*] Interpunctione mutata legendum est: *καὶ δοὺς παράκλησιν ἀιωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι παρακαλέσαι ὑμῶν, τὰς καρδίας*, 2 Cor. XII: 9. Voces *ἐν χάριτι* conjungendae sunt cum *παρακαλέσαι*, adeo ut petat Apostolus, eos consolationem per gratiam Dei et Christi, ipsis adplicatam, consequi, uti 2 Cor. XII. *gratia mea tibi sufficit*. VEN.

I. TIMOTH.

Cap. III: 11. *Γυναῖκας*,] sc. *διακόνων*. VEN.

Cap. V: 16. *Εἴ τις πιςὸς ἢ πιςὴ ἔχει χήρας*] legendum videtur, *Εἴ τις πιςὴ (χήρα) χρείας ἔχει*, W. VEN.

Cap. VI: 3. *Ἔι τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριςοῦ κ. τ. λ.*] pro *προσέρχεται* legendum videtur *προσέχεται* VENEMA. Ita jam legit R. BENTLEIUS *προσέχεται* vel *προσέχει*, quod VENEMA in annot. manuscriptis memorare non neglexit. Potest tamen vulgata lectio defendi, quam habet IRENAEUS, vid. PFAFFIUS in *Not. ad fragm.* IRENAEI, p. 8. Nec phrasis haec insolita est, *τῇ ἀρετῇ προσέρχεσθαι* dixit CHRYSOST. ad Ps. VII.

Op.

Op. t. v. p. 65. Lectio haec magnum habet defensorem P. Wesselingium in epistola ad amicum suum H. Venemam *de* Aquilae in *scriptis* Philonis *Jud. fragmentis*, cujus verba, cum haud unam ob rationem notatu digna sint, hic describam, p. 13. ita loquitur; „ Pari, haud „ paullo tamen tolerabiliore, audacia idem Cl. „ Th. Mangey in Paullina ad *Timotheum* „ *priore* Cap. VI. vs. 3. εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ καὶ „ μὴ ΠΡΟΣΕΧΕΤΑΙ ὑγιαίνουσι λόγοις refingit, popula„ rem suum, quem laudare oblitus est, R. Bent„ leium secutus. Atque hic non dubito, quin „ eorum in memoriam jucundissimam redeas, mihi „ certe eorum recordatio periucunda est, Prae„ stantissime Venema, quae ante hos XVI „ annos in eruditissimorum virorum, quorum ami„ citia ambo gloriamur, consessu de *Bentleiana* „ conjectura ultro citroque, ut egregius tum in „ alma *Franequerana* mos ferebat, fuerunt jactata. „ Equidem ne quid detrimenti vulgatum προσέρχεται „ caperet, ad haec Philonis de bonis pravisque „ studiis provocare solebam: καὶ ἔμπαλιν ἐκείνοις „ μὲν προσέρχεσθαι, τούτων δὲ ὑπερίζειν. Nec desinam „ hoc patrono, tametsi eum ab hac causa aliena„ re vir doctissimus sit adnisus, in posterum uti; „ intercedunt illius enim consilio et manu exarati „ libri, et plura ejusdem Philonis: uno, ne „ longum faciam, defungar Μυρίοι γὰρ, inquit, „ ἀνόθως καὶ ἀκολακεύτως προσελθόντες ἀρετῇ κατὰ τὸ „ γνήσιον αὐτῆς &c. Tale enim videtur, ut citra „ manifestam vim atque injuriam isti causae eripi

 „ non

„ non queat.” Hactenus praeclarus WESSELINGIUS. Mihi quidem, si sententiam dicere liceat, phrasis προσέρχεσθαι λόγοις bona videtur, facile aliis adhuc exemplis confirmanda, nec ullo modo in hujus ep. auctore culpanda; praetulerim tamen *Bentleianam* emendationem, quae vix emunctae naris criticis displicere potest. Aliud est *accedere* ad sanos sermones, eos recipere, aliud firmiter et constanter iis *adhaerere*; prius in hac sermonis serie, mea sententia, languet; agitur enim de doctoribus, qui dudum receperant veram euangelii doctrinam, sed ab ea deflectebant, aliam doctrinam Religionis docebant, nec verae constanter adhaerebant, superbo novitatis studio acti. Nihil tamen temere in tanto codicum consensu definire ausim. VERSCHUIR (*l*).

— Vs. 19. ἀποθησαυρίζοντες ἑαυτοῖς θεμέλιον] jam olim suspicabar, legendum esse κειμήλιον. Laetus dein vidi et alios idem conjectasse. VERSCHUIR (*m*).

2 TI-

(*l*) MOSHEMIUS quoque l. c. pag. 93. receptam lectionem defendit. Recte se habent, quae VERSCHUIRIUS dixit; neque ullus, quantum quidem scio, est locus, qui *adhaerendi* notionem, quam h. l. habet v. προσέρχεται, confirmat; quare et ego BENTLEII emendationem verissimam esse puto. L.

(*m*) CLERICUS sic legendum coniecit. LAMBERTUS autem BOSSIUS l. c. pag. 229, potius legeret: θέμα λίαν καλόν, *depositum valde bonum*; ita quoque G. WAKEFIELDIUS, *Sylv. Crit. pt.* 1, pag. 20. Addit

Bos-

2 TIMOTH.

Cap. II: 2. καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων] forte rectius legitur μαρτύριων, qua voce hic designantur demonstrationes, convictiones, persuasiones, confirmationes. Quem usum μαρτύριον habet, *Matth.* VIII: 4: et μαρτυρεῖν est βεβαιοῦν *Hebr.* II: 4. coll. *Marc.* XVI: 2. VENEMA. Simile vitium est apud ARIST. *Politic.* II: 12.

BOSSIUS: „ vel potius nihil mutando dixerim θεμέλιον „ hic idem significare quod θέμα." Consentientem habet SCHLEUSNERUM in *Lex. ad h. v.* Potest duplici modo receptam lectionem explicare, vel, ut cum FLEISCHMANNO, *Interpret. Epistol. Paul. ad Timoth.* et *Tit. vol.* I. *pag.* 353, dicamus, „ abstractum θεμέλιον „ pro concretum τεθεμελιωμένον, tanto aptius, quo clarius „ refertur ad vs. 17, ubi etiam scripserat ἀδηλότητι πλ. „ pro ἀδήλῳ. Verba igitur ita resolvenda sunt: καὶ ἀποθησαυρίζειν ἑαυτοῖς πλοῦτον καλῶς τεθεμελιωμένον, h. e. μὴ „ ἄδηλον", vel cum STORRIO, *Opusc. Acad. vol.* 3, pag. 337, dicendum, θεμέλιον καλὸν appositione elliptica esse pro ἀποθησαυρίζοντας θησαυρον, θεμέλιον καλόν. Haec autem appositio vim habere videtur, ut substantivum alterum in *adiectivi* loco numerandum, et sic fere vertendum sit: „ in illud tempus, quo divitiis praesentibus de„ ficientur, colligentes sibi thesaurum praeclare funda„ tum, opes fundatas et optime constitutas, bona stabi„ lia et fixa permanentia, non incerta et caduca." Similis est locus *Sirac.* 1: 15. — STORRIUM secutus est ROSENMULLERUS in novissima *schol.* edit. L.

12. Χαρώνδου ἴδιον μὲν οὐδέν ἐςιν, πλὴν αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτύρων. Pro ψευδομαρτύρων ſcribendum, inquit ſummus criticus BENTLEIUS, ψευδομαρτυρίων: quia δίκη jungi ſolet nominibus rerum, et non perſonarum; ut δίκη ἀσεβείας, ἀγαμίου, ὀψιγαμίου cet. non δικη ἀσεβῶν, ἀγάμων, ὀψιγάμων. Idem vitium occurrit in orationibus DEMOSTHENIS et alibi. vid. R. BENTLEII *Reſp. ad. C.* BOYL. de *legibus Charondae*, quam Latine vertit et edidit J. D. a LENNEP, p. 206. VERSCHUIR.

— Vs. 7, 8. Voces ἐν πᾶσι] referendae videntur ad vs 8, atque legendum, δῴη γαρ σοι ὁ κύριος σύνεσιν vs. 8. Ἐν πᾶσι μνημόνευε Ἰησοῦν Χριςὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν κ. τ. λ. vid: BATTIERIUS in *Muſeo Brem.* Vol. II. p. 2. p. 185. VEN.

— Vs. 15. ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθειας,] Forte legendum, ὀρθοποδοῦντα πρὸς τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *Galat.* II: 14. vel, ſi quis lectionem vulgatam retinere velit, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, per ellips. praep. πρὸς, ſignif. *recte incedere ſecundum verbum veritatis*, idem quod ὀρθοποδεῖν, *ſecare viam*, pro ire notum est. Phraſ. ἵνα ὀρθοτομῇ τὰς ὁδούς σου, occurrit Prov III: 6. in verſ. Alex. VEN. Non equidem exiſtimem verb. ὀρθοτομεῖν abſolute poſitum, ſine voce ὁδὸς, unquam hunc uſum habere. Romani quoque dicunt, ſecare *viam*, ſic Graeci τέμνειν πέλαγος HOM. Oduſſ. γ. vs. 174 et 175. Praetulerim itaque ὀρθοποδοῦντα πρὸς κ. τ. λ. Sed potest vulgata lectio retineri et commode explicari, ita ut ſignificet ſermonem veritatis recte distinguere, intelligere, et tradere. VERSCHUIR.

TIT.

Cap. II: 15. Καὶ ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς] ἐπιστασεως. VEN.

PHILEM.

— Vs. 4. et 5. Mutata interpunctione ſic legendum est: εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου πάντοτε, μνείαν σοῦ ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. — Vs. 5. Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις. VEN.

— 6. ἐνεργὴς] legendum ἐναργὴς *evidens*, BEZA, MILL. VEN. (*n*). Κοινωνία vero est communicatio fidei, officia benignitatis in ſanctos complexa. BEZA.

AD HEBR.

Cap. I: 6. Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ κ. τ. λ.] ὅταν δὲ πάλαι. VEN. (*o*).

Cap.

(*n*) Haud ſcio an ἐναργης ſit vera lectio; imo prodit correctionem, quam nec ipſe HIERONYMUS probavit. Altera vero, quae recepta est, recte utique ſe habet. L.

(*o*) E toto orationis nexu, maxime e commate praecedenti, ut opinor, apertum est, et h. l. vulgarem retinendam esſe lectionem. Veram autem verborum ſtructuram hanc esſe: πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ, dudum obſervarunt interpretes. L.

Cap. II: 9. Δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου.] Varians hic est lectio χωρὶς Θεοῦ, et conjecit J. J REISKE pro γεύσηται legendum γένηται, vid. WETSTENIUS. Quibus admissis ante θανάτου inserendum διὰ vel ἐκ, et legendum, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, ὅπως, χωρὶς Θεοῦ, ὑπὲρ παντὸς γένηται διὰ vel ἐκ θανάτου. *Ut sine* Deo (solo Deo Patre excepto) *omnibus superior fieret per mortem*, vel *post*, aut *propter mortem*. Sic S. auctoris ratiocinium bene cohaeret et convenit cum 1 *Cor*. XV: 27: et *Philipp*. II: 6—12. Quae si displiceant, ordine et interpunctione mutatis, sic legi posset, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον χάριτι Θεοῦ. ὅπως ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Hoc sensu, videmus Jesum *gloria et honore coronatum gratia Dei, ut pro omnibus mortem gustaret*. Sed nihil temere definio, quisque suo utatur judicio. VEN (*p*).

—*Vs.*

(*p*) Verba διὰ τὸ π. τ. θ. ad utrumque membrum pertinent, ad prius ἠλαττόμενον, et ad posterius ἐστεφανωμένον; observetur dein διὰ cum accusativo nunquam significare *per* nisi quando denotatur aliquid beneficio alterius fieri, quod hic locum habet. Hinc apparere puto illud χάριτι θεοῦ nequaquam referri posse ad primum commatis membrum. Iam, quod attinet ad lectionem χωρὶς θεοῦ, etsi antiqua sit (vid. praeter MILLIUM, WETSTENIUM et GRIESBACHIUM, HENKEI *progr. codicis Uffenbachiani, qu. epist. ad Hebrae. fragmenta continet, recensus*, repetitum in *Syllog. commentat. theolog. edit.* a POTTIO et RUPERTIO, vol. 2. pag. 1. seqq.)

— Vs. 10. Poſtrema hujus vs. mutata interpunctione forte ſic legenda ſunt, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων, τελειῶσαι. VEN.

— Vs.

ſeqq.), et a BENGELIO, in *Gnom*, utpote alia difficilior probata; recte tamen MATTHAEI, v. cl. iudicat, eam prorſus esſe reiiciendam, quia nullum fundit ſenſum, auctoris conſilio convenientem, et quia istiusmodi ſubtilitates, quas haec ſpirat lectio, Apostolorum aevo abhorrent. Bene GRIESBACHIUS in nuperrima N. T. editione animadvertit: „ χωρὶς Θεοῦ eſſe ſcholion „ marginale, non ad h. l. ſed ad vs. 8. coll. 1 *Cor.* „ 15: 27. ſpectans, quod alieno loco in textum intulit „ librarius, ratus, marginalem notam esſe correctionem „ vocum χάριτι θεοῦ." Ceterum, non abs re erit, paucis obſervare; etſi concedamus, OECUMENIUM, T. 2. pag. 328. ſeqq. immerito *Nestorianos* inſimulare, quod τὸ χάριτι in χωρὶς mutaverint, quia dudum ante *Nestorianos* in codd. reperta erat, attamen certum videtur, eos cupidisſime hanc arripuisſe lectionem, vide *Bar-Hebraeum* in ASSEMANNI *Biblioth. Orient. Tom.* 2. *pag.* 543. Mirum igitur non est, eam in nonnullis irrepuisſe codd., *Syr.*, unde etiam in editionibus TREMELLII, *Pariſienſis Minor.* et *Hutteri* expresſa est. In aliis vero, quibus et SCHAAFIUS uſus est, reperitur alia, multum omnino ab hodierna distans, ſcilicet haec: οὗτος γὰρ Θεὸς χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς ἐγεύσατο θανάτου, quae in codd. ſyr. vetustisſima est; eam vero ab auctore huius epistolae profectam esſe, ut BOYSENIUS (*Kritiſche Erläuter. d. Grundtext, des N. T aus den Syr. Ueberſet.* pt. 2. pag. 92.) putat, vix mihi perſuaderi patiar. L.

— Vs 15. ὅσοι Φόβῳ θανάτου] — ὅσοι σὺν Φόβῳ θανάτου. VEN.

Cap. III: 1. Τῆς ὁμολογίας ἡμῶν,] τῆς ὁμολογίας τῆς ἐλπίδος ἡμων, coll. Cap. X: 23. Κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ· ὁμολογία hic est *spei* vitae aerernae professio, conf. H. E. t. III. p. 153. VEN. Ut mihi videtur, illa insertione carere possumus, quia ὁμολογία saepe habet notionem *pacti*, *foederis*, huic loco aptam v gr. apud HERODOT. l. VIII. p. 506. et p. 507. l. IX. p 511. POLYB. l. IV. c. 15. p. 394. VERSCHUIR.

— Vs 6. τόν οἶκον αὐτου] αὐτοῦ, quam BEZÆ conjecturam probat VEN. (*q*).

— Vs. 7. Διο] conjungendum cum Βλέπετε in initio Vs. 12. quae intersunt omnia parentheseos signis includenda sunt. VEN. (*r*).

Cap. IX: I. ἡ πρώτη σκηνή, legendum esse ἐκείνη, et cum cap. VIII 7. connecti debere, reliquis parenthesi inclusis, observavit MARKL. *ad Lys* p. 436. VENEMA. Addo quae VALCKENARIUS de hac emendatione adnotavit. „ Duo Angli, „ THOMAS MANGEY et JER. MARKLANDUS vi-

(*q*) Quae dicenda sunt pro lectione αὐτοῦ ea congessere SCHLICHTINGIUS atque PEIRCIUS. Recte ab ABRESCHIO, v. cl. observatum video, si legatur αὐτοῦ plus esse in apodosi quam in protasi; neque membra sibi invicem bene respondere. L.

(*r*) Dudum hoc observatum est a CALVINO, quem deinceps PISCATOR, GROTIUS, et ABRESCHIUS secuti sunt. L.

„ viderunt, manum Apostoli in voce vulgata „ ΣΚΗΝΗ latere, commutanda in ΕΚΕΙΝΗ. Markландus, occaſione ει et η permutatarum a libra- „ riis, locum profert, et multis monſtrat Theolo- „ gus eximius, *Foederis* illic *primi* mentionem re- „ quiri, *Conject.* in *Lyſiae Orat. ad pag. ed.* „ Taylori 28. l. 1. Forte fortuna evenit, ut, „ quod illi non viderant, ex Codd. collatis unus „ illud ipſum ἐκείνη cuſtodiverit." Est iſte Cod. in collat. Wetstenii 37. Ex hujus Codicis auctoritate non leve pondus huic ingenioſae accedit conjecturae, quae omnia verae lectionis criteria habere videtur. J. J. Griesbachius illud σκηνή e textu in marginem rejecit, nec tamen repoſuit ἐκείνη. Verschuir. (s).

— Vs. 2. ἡ προθεσις τῶν ἄρτων] pro quibus rectius legeretur τὸ θυσιαστήριον. Ven.

— Vs. 4. χρυσουν ἔχοῦσα θυμιατήριον] ſi legeretur ἱλαστήριον, res bene ſe haberet. Ven. Si quis θυμιατήριον contumaciter defendere vellet, non notio *arae ſuffitus* ei tribuenda, neque *thuribuli*, ſed potius *vaſis* plane diverſi, ſemper in intimo conclavi manentis, in quo portio S. ſuffitus, a *Moſe* parati, in perpetuam memoriam ſervabatur *Exod.* XXX:

(s) Etſi σκηνὴ vitio additum, adeoque e textu tollendum est, probabilis tamen est coniectura, ſcripſiſſe auctorem: ἡ πρώτη ἐκείνη, unde facile vitioſa oriri potuerat lectio; ſimile exemplum permutationis τοῦ E in Σ, notante Klosio l. c. pag. 87, est 1 *Joan.* 2: 28, quo in loco codd. quidam pro ἔχωμεν habent σχῶμεν. L.

XXX: 16: quod jam nonnulli suspicati sunt. Praetulerim tamen ἱλαςήριον. VERSCHUIR. (*t*).

— Vs. 9 Καθ' ὃν] ἥν. VEN. (*t**)

— Vs. 27. Καθ' ὅσον] Καθὼς. VEN. Ita jam H. GROTIUS. VERSCHUIR.

Cap. X: 15. μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι] forre rectius legeretur μετὰ τῇ πρωτῇ ἀπειρηκέναι, *postquam priori* διαθήκῃ *foederi* renunciasset, vid. cap. VIII: 9, 13. Occurrit ἀπειπεῖν eo sensu in N. T. et ἀπειρεῖν apud PHILON. Jud. cujus stylum hic scriptor imitatur. Vulgata lectio ferri nequit, cum desit quod dixerit, nec ex vs. 16. suppleri queat, sic quoque ellipsis vs. 17. minus dura sit. VEN. 2 *Cor.* IV: 2. Αλλ' ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχυνης, ab ἀπέπομαι, ἀπείπω. VERSCHUIR (*u*).

Vs. 27. Φοβερὰ] Φοβερᾶς coll. vs. 31. VEN.

Cap.

(*t*) In ornamentorum, quae in tabernaculo sancto reperiebantur enumeratione, auctor omisit aram *suffitus*, quae commemoratur *Exod.* 30, ommissa vero est *Exod.* 25; si igitur hic locus eius obversaretur animo, mirum non est eam praetermisisse. Quodsi hoc bene se habet, coniectura VENEMAE admitti nequit; sin vero contrarium est verum, utique inserendumopinor: τὸ θυσιαςήριον, quod facili ob similem fere literarum ductum librario effugi poterat. L.

(*t**) Praeferrem ὄν, refertur enim ad καιρὸν. L.

(*u*) Haud scio an emendatione opus sit. Verba: μετὰ γ. τ. π. nectuntur cum vs. 16, et commat. 17. subintelligendum: εἶτ' ἐπιλέγει, vis enim probandi hoc commat. inest. Conf. HEINRICHSIUS et ROSENMULLERUS. L.

Cap. XI: 20. Ἰακὼβ καὶ τὸν Ἠσαῦ] παρὰ τὸν Ἠσαῦ. VEN. *in H. Eccl. T. I. p.* 111.

Cap. XII: 21. Καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, Μωσῆς εἶπεν.] Legendum videtur, καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, ὡς Μωσῆς εἶπεν. VEN.

— Vs. 24. Vix dubito, quin pro παρὰ τὸν Ἄβελ legendum ſit παρὰ τὸ Ἔβαλ. Τὸ auctoritate non deſtitutum eſt, et pro Ἔβαλ librarius facile per errorem ſcribere potuit Ἄβελ. Fieri etiam potuit, ut conſilio ita ſcripſerit, lectionem Ἔβαλ emendaturus maxime quia Ἄβελ inter priſcos ſanctos tantis effertur laudibus cap. XI: 4. ubi etiam *mortuus adhuc* dicitur loqui. Genuina lectio, quae in codicibus antiquisſimis, qui ſuperſunt, et qui perierunt a Patribus lecti, reperitur, est λαλεῖ, non λαλεῖται, ut in plerisque editionibus male legitur. Quam lectionem eruditisſime, ut ſolet, defendit VALCKENARIUS in *Adnot. crit.* p. 325, et in textum recepit GRIESBACHIUS. Cum itaque ibi ABELUS etiam post mortem *adhuc loqui* dicatur, putavit forte ſciolus quidam hic apte et eleganter dici, *Jeſum ejusque ſanguinem loqui meliora, quam Abelum.* Quiquid ſit, ſive per errorem, ſive deliberato animi conſilio ita ſcripſerit librarius, lectio haec, ut fieri ſolet ex uno codice in alium tranſiit, donec plerosque vel omnes pervaſerit. Etſi autem, ſi res per ſe ſpectetur, vere dici queat, Jeſum ejusque ſanguinem meliora loqui, quam ABELUM ejusque ſanguinem, tamen in hoc ſermonis nexu et S. auctoris ratiocinatione, ubi vetus foedus rigidisſimum et hor-

horrendum, cum natione Israëlitica initum, miti foederi gratiae Euangelico opponitur, vix his locus concedi potest. Langueret, nisi omnia nos fallunt, haec comparatio, et parum ad rem faceret, cum ABELI sanguis ad foederis sanctionem non fuerit effusus. At vero in monte EBAL foedus Sinaiticum in summo rigore propositum, horrendisque exsecrationibus sancitum fuit *Deut.* XXVII. Ejus mentio itaque vix omitti poterat, ubi inter se comparantur *foedus vetus* cum Israëlitis pactum rigidum, severum, terribilibus signis minisque horrendum, et *novum Euangelicum* mite, placidum, amplissimis promissis jucundum, gratum, acceptumque. Recte ergo et opportune, ut equidem opinor, dicit vir S. *διαθήκης νέας μεσίτην ἰησοῦν, καὶ αἵμα ῥαντισμοῦ, κρείττονα λαλεῖν παρὰ τό Ἔβαλ*; Euangelii vocem esse meliorem, praestantiorem, jucundiorem, voce illa horrenda, quae olim ex monte *Ebal* audiebatur; non horrendas intentare et spirare minas, dirissimasque exsecrationes; sed clementiam, gratiam, benignitatem, hujus et praecipue futurae vitae bona maxima. Nemini tamen conjecturam hanc, hactenus nulla codicum aut antiquarum versionum auctoritate sustentatam, obtrudere velim, quisque suo utatur judicio, jam olim illa, a me cum orbe erudito communicata in *Diss. Crit.* ad *Deut.* XXVII: 4, quae reperitur inter *Diss. nostr. Phil. exegeticos*, eruditissimis criticis et liberalibus S. Codicis interpretibus, placuit; inprimis laudata est a magno et celebri illo critico JO. BAPT. CASP. d'ANSSE DE

VIL-

VILLOISON, *regiae inscriptionum Academiae Parisiensis*, *multarumque aliarum Academiarum socio*, vid. *ipsius epistolae Vinarienses*, et quidem *ep.* ad CL. WIELAND p. 55. Displicuit tamen etiam nonnullis, sed minorum gentium, Theologis, quorum consensus vel dissensus parum me movet, praesertim cum magis superstitione, quam s. literarum reverentia acti, omnes conjecturas improbent. Hi ex VALCKENARII *Adnot. crit.* in loca quaedam libri S. N. F. discant, nostros Belgas interpretes nonnullas virorum Doctorum conjecturas, nullo etiam codice confirmatas, in vernaculam nobis interpretationem recepisse. Ut auctoritate eorum, quae apud ipsos plus valet, quam optima argumenta, obmutescunt. VERSCHUIR (*v*).

Cap.

(*v*) Egregia profecto emendatio, quae et facilis est et orationis consilio apta. ERNESTUS autem, *Neueste* Th. Bib. Tom. 3, pag 357, monet duo ei maxime obstare, cum, quod oppositio ad αἷμα Ἰησοῦ postulare videtur, ut in altero membro personae fiat mentio, tum, quod manifeste alludatur ad *Gen.* 4: 10. Si recepta textus lectio reddatur: ,, sanguis Christi profusus melius ,, loquitur, quam Abel, effuso sanguine suo loquebatur", nihil certe in hac dicendi forma inest, quod a consuetudine scriptoris abhorreat, ut qui *Cap.* XI: 4. ipse dixerat, *Abelem* mortuum per fidem suam adhuc loqui. ,, Et ,, sane (sunt verba KNAPPII l. c. pag. 297.) illa ipsa ,, commemoratio Abelis c. XI. admonuisse Apostolum ,, videtur, ut eius hic denuo mentionem faceret, cum, ,, prae-

Cap. XII: 3. ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι.] Forte legendum ὡς καὶ αὐτοὶ παθόντες ἐν σώματι. Sic παθὼν ἐν σαρκι, 1 Petr. IV: 1. VEN.

— Vs. 9. Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε] potius Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ κεναῖς κ. τ. λ. VEN. (w)

JAC.

„ praesertim non modo ABEL et CHRISTUS cognomines essent, (uterque enim nomen δικαίου invenerat; vid. *Matth.* 23: 35. *Act.* 3: 14. 7: 52. 22: 14. 1 *Jo.* 2: 1.) sed etiam utriusque sanguis innocenter profusus apud Christianos crebris usurparetur sermonibus. Quemadmodum enim ABELIS a CAINO interfecti sanguis Deum quasi provocavit, (*Gen.* 4: 10.) ita etiam Deum Christi sanguis provocat; illius quidem ad ultionem et vindictam homicidii, huius vero ad veniam malefactorum, atque ad beneficia omnis generis in homines conferenda." Ad hunc modum NOESSELTUS quoque haec verba interpretatus est, *l. c. Fasci.* 2. *pag.* 101. L.

(w) Legendum esse h. l. παραφέρεσθαι indicarunt WETSTENIUS, MATTHAEUS, HEINRICHSIUS, alii; WESSELINGIUS quoque ad DIODOR. *Sic. Lib.* 18. pag. 285, meliorum codicum consensum urgens, eam probat. Praeterea, melius quoque haec lectio videtur conspirare cum ποικίλαις, uti ERASMO quoque visum est, licet ad alteram lectionem propensior est. GRIESBACHIUS παραφέρεσθαι in textum recepit. Idem verbum invenitur *Iudae.* vs. 12, quo in loco eadem permutatio particularum παρά et περὶ, quae in codd. satis frequens est, reperitur. L.

J A C.

Cap. I: 11. οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτου μαρανθήσεται.] Rectius legeretur, οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς ἐπιπρεπείαις. Conf. SUID. in voce W. VEN.

Nempe SUIDAS habet Ἐπιπρεπείαις. στολαῖς εὐπρεπέσιν. *Vestibus decoris*, formoſis, pulchris. Divites marcesſent, contabescent, in vestibus ſuis ſplendidis, rectius dicitur, quam in πορείαις αὐτοῦ, *in viis ſuis*. Eleganter quoque ἐπιπρεπεία reſpondet τῇ εὐπρέπεια *pulchritudini*, modo memoratae. VERSCHUIR (*x*).

Vs. 25. οὗτος οὐκ ἀκροατὴς] — — οὕτως, ERASMUS, BEZA, VENEMA.

Cap. II: 10. γέγονε πάντων ἔνοχος] γέγονε πάντως ἔνοχος, ex conjectura BAULACRE *omnino*, *profecto*. Sic omnis evanescit difficultas. VEN.

Vs. 18. δεῖξον μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου] ἐκτὸς τῶν ἔργων σου, VEN. *Extra opera*, ſive χωρὶς *ſine* operibus. Sic bene cohaeret Apostoli ratiocinatio. VERSCHUIR (*y*).

Cap.

(*x*) Hac admiſſa emendatione, ut mihi videtur, omnis orationis venuſtas perit, ſiquidem ſenſus hic est: ut ſolis ardor herbam arefacit, eoque orto decora floris ſpecies ſubito evanescit, ſimili modo potest dives ex improviſo tolli morte. Πορεῖαι ſunt in libris ſacris idem ac ὁδοὶ, adeoque optime redditur: in medio curſu, i. e. ex improviſo; et hoc tantum exprimitur imagine, quo auctor uſus est. L.

(*y*) Omnino legendum esſe χωρὶς probare conatus

ſum

Cap III: 1. Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε] non spernenda P. JUNII conjectura legentis πολυλάλοι. VERSCH

— Vs. 6. Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας οὕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν] sunt haec obscura, et vix intelligenda; forte haud uno vitio corrupta. Saltem multo clarius sic legeretur, οὕτως ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὕλη, καὶ ἡ γλῶσσα κ. τ. λ. VEN (z).

— Φλο-

sum in peculiari Diss. inserta *Bibliotheek van Theol. Letterkunde*, Tom. I. pag. 409. seqq. L.

(z) Et hic locus quantopere interpretum ingenia torsit. *Syrus* legit: καὶ ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ἡ ὕλη. CLERICUS, *in not. ad Hamm.* suspicatus est verba: καὶ ἡ γ. π. ὁ. κ. τῆς α. glossema esse quod e margine in contextum orationis irrepserit, quo eliminato, repetitio inutilis vitabitur, et series orationis commodissima erit. Consentientem habet EICHHORNIUM, *Allg. Bibl. der Bibl. Letter.* vol. 1. pag. 325. POTTIUS autem *Excurs.* 3. ad h. ep., quamquam non diffiteatur haec verba glossae speciem habere, attamen coniecturam nimis audacem esse dixit. Miror talia viro docto excidisse; reperiuntur quidem ea in codd. et vers. omnibus, tamen, cum aliunde constet, et multis probatum est exemplis, hic illic in N. T. libris vitia reperiri codd. et vers. antiquiora, equidem illorum auctoritas efficere nequit, ut ea, quae glossae indicium certissimum habent, genuina esse credantur. Eius generis nota, ni fallor, hic reperitur. Vox enim οὕτως, ut recte observat CLERICUS, ostendit, hinc initium esse faciendum ἀποδόσεως

com-

— *φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως.*] SIMPLICIUS ad EPICT. p. 94. habet *ἀπέραντον τῆς γενέσεως κύκλον*, vid. et p. 177. quatenus *ἡ ἄλλου φθόρα, ἄλλου γένεσις ἐστι.* Quod clarius et fusius explicuit PLATO in *Phoedon.* p. 71. Vid. quae habet GATAK. *ad Marc Annot.* l. II. §. 14. VEN. Juvenis ego etiam hanc phrasin explicare conatus fui in *Diss. Phil.* quae inserta est *Syllogae Diss. Phil. sub praes.* SCHULT. et SCHROEDERI. VERSCH (*a*).

Cap.

comparationis, ut in superioribus similitudinibus; in quibus *πρότασις* quidem inchoatur vocula *ἰδοὺ*, *ἀπόδοσις* vero coniunctione *οὕτως*, quemadmodum hic. — Porro, *ἡ γλῶσσα πῦρ* idem sonat ac tota similitudo, et *ὁ κόσμος ἀδικίας* orationis seriem turbat. Nec dicendum, ultima haec *ὁ. κ. ἀ.* praedicatum esse praecedenris *η. γ. π.*, sic enim addi non potuisset *ὁ*. Et quis tandem, ut alia mittam, unum corporis membrum appellet mundum? — Igitur, recte, ut opinor, CLERICUS animadvertit, librarium quendam, ut argumentum totius similitudinis breviter expresserit, codicis orae addit: *ἡ γλῶσσα πῦρ.* Deinde ut interprerareter *ὅλον τὸ σῶμα*, subiecit *ὁ. κ. τ. α.* quo explicare voluit obscuriorem vocem *τῆς γενέσεως.* Haec igitur cum marigine non sine ratione illita fuissent, tamen in contextum sunt translata. Quae, si alicui nimis liberale dicta videantur, non is ego sum, qui pertinaciter huic coniecturae inhaerere cupio, modo planum faciat nihil hic esse vitiatum, saltem turbatum. L.

(*a*) Quia Codd. antiquiores accentus non habebant, li-

Cap. IV. 2. φονεύετε καὶ ζηλοῦτε] malim cum Erasmo aliisque legere φθονεῖτε: Φθόνος et Φόνος aliquando a librariis confunduntur, ut in Eurip. *Phoen.* vs. 482, ubi consulendus Valckenarius, etiam in *Adnot. Critic. ad N. F.* Nostrates Belgae, publica auctoritate muniti interpretes, hanc probantes conjecturam, verba φονεύετε et ζηλοῦτε, reddunt, *gy benydet*, *ende yvert*, manifesto argumento, eos Erasmi emendationem, tanquam lectionem genuinam recepisse. Egregie Valckenarius ad h. l. in *Annot.* p. 343 sic

librarii recentiores in iis apponendis nonnunquam erra- runt. Hic non paroxytonon τρόχον sed oxytonon τροχὸν, exhibuerunt, propterea a multis notati; recentiores fere omnes legunt τρόχον. Morus, *Praelect. in epist. Jacob et Petri*, pag. 55. ad verba φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως scribit: „ ad verbum esset: incendit „ rotam nativitatis. Hoc fateor me plane non posse in- „ telligere. Libens igitur assentior illis, qui ponendum „ putant τρόχον." Mirum profecto! Potest, docente Rhoerio, *Fer. Daventr.* pag. 207. cor nostrum satis commode τροχὸς γενέσεως adpellari. Mallem ego venustam metaphoram retinere a rota petitam. Vox τροχὸς exprimit hebraicum גַּלְגַּל, quo usus est *Ecclesiastes*, cap. 12: 6. in eleganti mortis descriptione. Jam, vitae rotam inflammare, quid quaeso aliud est, quam vitae nocere? Sensus igitur, remoto tropo, hic est: „ ut exiguus ignis „ sylvam quantam possit incendere, sic lingua totum cor- „ pus inficit, et vitae nocet; sed ipsa olim in gehenna „ gravissimas luet poenas." L.

ſic disſerit. *Argutus aliquis Sophista ſi potest in aliis locis verba profundere, et ſuo quodam modulo disputare, hic tamen perſuadere ſibi non poterit, φονεύετε, occiditis, reddi potuiſſe, gy benydet:* ERASMO, φθονεῖτε *corrigenti*, *adſtipulatur* BEZA: ERASMI *quoque conjecturam Nostrates probarunt; non certe talem, ut velut dubio vacuam auſus illam fuiſſem in contextum immittere.* Ubi deinde J PRICAEI correctionem memorat φθονοῦντες ζηλοῦτε, *invidendo ardetis*, et Ill. GROTII legentis φονᾶτε, *ſaevitis* alii in alios. Est autem φονῶ vi ſuae formae φονέυειν ἐπι θυμῷ. Cl. VENEMA omnia illa, φονεύετε καὶ, ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, οὐκ ἔχετε δὲ, glosſam esſe ſuspicatur. Certe ſi illa abesſent, et legeretur, ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς parum detrimenti hic locus caperet. VERSCHUIR (*b*).

— Vs 6. Μείζονα] Μείζονι. (*c*).

— Vs.

(*b*) ERASMUS, non est culpandus, quod φθονεῖτε reſtituerit; ſi quidem vs. 5. qui locus cum hoc nostro arcte cohaeret, φθόνος exhibet; et quia auctori frequens est gradationum uſus, eo maiorem, ut puto, commendationis vim habet haec emendatio, quod et Nostrates ſentiisſe videantur. Conf. POTTIUS ad h. l. L.

(*c*) CAPZOVIUS, *epiſtol. cathol.* pag. 106., recte obſervat μείζονα poſitum esſe pro μεῖζον, μείζονιας, quaſi ſcriberetur: μείζονως δὲ. L.

— Vs. 12. Εἷς ἐςιν ὁ νομοθέτης] legendum videtur Εἷς ἐςι κριτὴς ὁ νομοθέτης. VEN. GRIESBACHIUS et C. F. MATTHAEI hanc vocem in contextum immiſerunt, ſed alio loco poſuerunt, Εἷς ἐςιν ὁ νομοθετης καὶ κριτὴς, nixum auctoritate Codicum et verſionum antiquarum. Vid. WETST. Pro ſeq. ὃς κρίνεις in aliis Codicibus legitur ὁ κρίνων. VERSCHUIR.

— Vs. 15. Ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ] non mihi tempero, quo minus SOCRATIS exemplum referam, adeo modeſte loquentis apud PLATON. *Alcib.* I. t. V. p. 70. ed. *Bip.* ὅτι ἐὰν Θεὸς ἐθέλῃ. VERSCH.

Cap V: 3. καὶ φάγεται τὰς σάρκας ὑμῶν ὡς πῦρ ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις.] Legendum καὶ φάγεται τὰς σάρκας ὑμων ὡς πῦρ, ὃ ἐθησαυρίσατε, ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. VEN.

— Vs. 16. πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη.] ſc. διὰ πίςεως. Sic Galat. V: 6. πίςις δὶ ἀγάπης ἐνεργουμένη. VEN.

I PETRI.

Cap. I: 8. δεδοξασμένη] δεδοκιμασμένη. VEN. In initio hujus vs. οὐκ εἰδότες, praetulerim cum aliis lectionem variantem οὐκ ἰδόντες, confer. VALCKENARIUS in *Adnotationibus Crit.* p. 348. Quod vero ad integram ſententiam attinet ὃν οὐκ ἰδόντες ἀγαπᾶτε, εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντές, πιςεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοκιμασμένῃ, liquet ex his eos oppido falli, qui nihil credere volunt, quod ſuis oculis non viderint. Quanto his rectius optimi

ve-

veterum Philofophorum! audiamus COTTAM, apud CICERON. contra EPICUR. *de nat. Deorum* l. I. *Quid? Deum ipſum numne vidisti? cur igitur credis esse? tollamus ergo omnia, quae hiſtoria nobis, aut nova ratio affert. Ita fit, ut mediterranei mare esse non credant* &c. VERSCHUIR.

Cap. II: 21. Εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε, ὅτι καὶ χριστὸς ἔπαθεν] — — ὅ τι κ. τ. λ. VEN.

— Vs. 24. οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε] οὗ τῷ μώλωπι αὐτοὶ ἰάθετε VEN.

Cap. III. vs. 19. cum ſequente non est connectendus, adeoque punctum ponendum ad ἐκήρυξεν. Cujus ſenſus huc redit: Spiritu Chriſti reſuscitati Divino fuisſe mortuos nonnullos ſuscitatos et in gloriam coelestem introductos, *Matth.* XXVIII: 52, 53. libertatis nuncio ipſis efficaciter facto. Sequens vs. 20. cum proximo vs. 21. cohaeret et novam conſtituit pericopam, cujus ſenſus est: ſicut in gratiam infidelium Deus longanimitatem exercuit tempore Noae, ſed pauci tantum ſervati ſunt, ita nunc credentes Judaeorum ex exitio Judaeis imminente ſervantur per ſpiritualem baptismum bonae conſcientiae propter Christum reſuscitatum. φυλακὴ vs. 19. hic nihil aliud est, quam ᾅδης, locus et ſtatus animarum, a corpore ſeparatarum. Vs. 20. pro ὅτε legendum ὡς, vs. 21. pro Ὧ οὕτω. VEN (*d*).

Bap-

(*d*) Contortam esse hanc interpretationem, nullus opinor, diffiteri recuſat; probabilior videtur ea, quae VITRINGAE est in *Typo doct. prophet.* pag. 40. DAVID.

Baptismus, non corporis ſordium ablutio, ſed ſpiritualis purgatio mentis a pravorum affectuum, cupiditatum, et conſiliorum ſordibus, vocatur hic συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα, *bonae conſcientiae examen.* ἐις Θεον *ad Deum* ejusque honorem tendens. VERSCHUIR.

2 PETR.

Cap. I: 4. Δἰ ὧν] Διὸ. VEN.

Cap. I: 10. Διὸ] Δἰ ὧν. VEN.

Cap. I: καὶ ἐςηριγμένους ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ.] Legendum videtur, καὶ ἐςηριγμένους ἐν τῇ τῆς παρουσίας ἀληθείᾳ. VEN.

Cap. II: 13. ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπαταις αὐτων, συνευωχούμενοι ὑμῖν.] Vix dubito, quin legendum ſit ἀγάπαις. Quae lectio haud ſpernenda munita est auctoritate. Vid. WETSTENIUS. VERSCH. (*e*)

Cap. III: 2. καὶ τῆς τῶν ἀποςόλων ἡμῶν ἐντολῆς τοῦ κυριου] — — leg. διὰ τοῦ κυρίου. VEN.

Vs. 3. ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπαῖκται] talis ἐμπαίκτης fuit PORPHYRIUS, τὰς θείας γραφὰς διαβάλλειν πεπειραμένος. μηδὲν μηδαμῶς φαῦλον ἔγκλημα τοῖς δόγμασιν ἐπιβαλεῖν δυνηθεὶς, ἀπορίᾳ λόγων, ἐπὶ τὸ λοιδορεῖν τρέπεται, verba ſunt EUSE-

BII

CLERICI, *Quaestion.* pag. 179 ſqq. probata nuper a TITMANNO, v. Cl. *Opusc. theol.* pag. 647. L.

(*e*) Vix dubito, quin ἀγάπαις genuina ſit lectio, quippe *Jud.* vs. 12, qui locus nostro ſimilis est, eandem exhibet vocem. L.

bii *Eccl. Hift.* l. VI. c. 19. p. 279. Quae veterum Christianae Religionis hostium artes nondum exoleverunt. Verschuir.

— Vs. 6. Δὶ ὧν,] Δὶ οὗ. Ven.

— Vs. 12 προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας] προσδοκῶντας καὶ οὐ σπεύδοντας κ. τ. λ. coll. *Jef.* XXVII: 16. המאמין לא יחיש ὁ πιςεύων οὐ σπεύσει.. et *Ecclefiast.* II: 2. καρτέρησον καὶ μὴ σπεύσῃς. Ven.

I JOANN.

Cap. II: 2. καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐςι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου.] Eodem modo Clemens, Romanus apostolorum discipulus, *ep.* I. § VIII. fanguis Chrifti παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπῷνεγκε. Verschuir.

— Vs 16. ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς κ. τ. λ.] Eodem modo ἐπιθυμίαι a Polybio dicuntur *cupiditates* divitiarum, fplendidorum ornamentorum et illicitae veneris. *Hiftor.* l. VI c. 5 Verschuir.

Cap. III: 6. Conf. Ignatius *ep. ad Eph.* §. XIV Verschuir.

Cap. IV: 2. Ἰησοῦν χριςὸν] Ἰησοῦν τὸν χριςὸν Ven.

— Vs. 3. Et hic legendum videtur Ἰησοῦν τὸν χριςὸν. Ven.

— Vs. 10. αὐτὸς ἠγάπησεν], αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν, coll. vs. 19. Ven.

Cap. V: 2. ὅτι ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ὅταν

τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν] ordine mutato legendum esse, ὅτι ἀγαπῶμεν τὸν Θεὸν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ ἀγαπῶμεν, cum H. GROTIO censebat VENEMA.

JUD.

— Vs. 9. διελέγετο περὶ τοῦ Μωσεως σώματος] suspicabatur C. VITRINGA P. lectionem hanc vitiosam, et legendum esse περὶ τοῦ Ιησοῦ σώματος. Lis enim Diabolo cum JOSUA erat, *Zachar.* III. in *observat.* S. l. IV. C. IX. p. 970. t. 1. Potius tamen retinerem lectionem Μωσέως, adversabatur enim Satanas JOSUAE, tanquam religionis et cultus Mosaici antistiti, atque Mosaicarum legum interpreti et defensori, qui haec omnia, una cum urbe Hierosolyma, hujus cultus sede, restituta vellet. Pro σώματος autem legendum conjicit VENEMA σχήματος in *Hist. Eccl.* V. T. t. I. p 159 Commode tamen hic retineri posse putaverim lectionem vulgatam. *Corpus* MOSIS est legum et rituum Mosaicorum corpus. Sic *Corpus* JUSTINIANI est corpus juris JUSTINIANI. Eodem modo *Corpus* NUMAE dicitur *corpus* legum NUMAE, LACTANTIO *Div. instit.* l. I. *et de falsa Relig.* cap. 22. De signari videtur tota Reipublicae Judaicae constitutio, auctore MOSE facta, tam politica quam sacra, Respublica MOSIS, quae Μωϋσέως σύστημα vocatur 2 *Macc.* XV: 12. Si quis pro σώματος omnino aliud vocabulum substituere velit, legat συστήματος. VERSCHUIR.

APO-

APOCAL.

Cap. III: 7. *ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβιδ*] forte rectius legeretur *τοῦ ἅδου*. Sic cap. I: 18. *ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ἅδου καὶ τοῦ θανάτου*. VENEMA.

FINIS.

APOCAL.

Cap. III. γ. ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ forte rectius legeretur τοῦ ᾅδου. Sic cap. I. 18. ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου. VERNEMA.

FINIS.

INDICES.

Index locorum sacri Codicis, quae citantur, aut quibus lux affertur.

GENESIS.

IV: 6. Pag. 11
VI: 5. 43
XII. 20
XIV: 18-20. 1
XVII. 340
XX. 20
—: 16. 323
XXIII. 20
XXIV. 3 1
—: 15, 16, 65. 327
—: 63 301
XXV: 21. 327
XXVI. 20
XXIX: 9. 327
XXXVII: 28. 330
XLIII: 30. 265

EXODUS.

I: 10. 223
IV: 24-27. 332
X: 12. 283
—: 14. 280
XII: 5. 104
XIV: 27. Pag 309
XVI: 15. 84
XVIII. 20
—: 2. 344
XXII: 20. 153
XXXIII: 7. 335
XXXIV: 67. 42

LIVITICUS.

XIII: 6. 352
XVIII. 159
XX: 9. 351
XXIV. 153
—: 18. 159

NUMERI.

XV. 153
XXIV: 17. 193
XXV: 1. 5
XXX. 153
XXXI: 16. 172

DEUTERONOMIUM.

I: 7. 234

I:

I: 17. Pag. 251
IV: 29. 335
IX: 14. 345
XII: 31. 175
XIII. 153
XVII. 141
XX: 10, 11. 291
XX: 19, 29. 331
XXIII: 13. 355
XXX: 3. 286
XXXII: 11. 266

JOSUA.

I: 14. 234
II: 9. 20
X. 4
XIX: 2. 5

LIBER JUDICUM.

V: 26. 23
VII: 12. 100
IX: 4. 331
XVI: 5. 331
XVII: 4, 10. 331
XX: 16. 247

LIBER I SAMUELIS.

II: 14. 205
— 18. 298
III: 13. 356
VI: 10. 215
XI: 3. Pag. 345
XV: 5. 243
—: 12. 355
XIX: 2. 335
XXII: 14. 340

LIBER II SAMUELIS.

VI: 14. 298
XVIII: 11, 12. 331
—: 18. 355
XX: 19. 335
XXI: 1, 2. 335, 336
XXIV: 16. 345

LIBER I REGUM.

I: 2. 57
III: 26. 266
X. 21
—: 29. 331
XI: 40. 335
XIII. 125
XIV: 25. 189
XVIII: 3. 187
—: 15. 57
XIX: 4. 60
XXII. 125
—: 27. 216.

LIBER II REGUM.

III: 14. 57

IV: 27. Pag. 345
VIII: 12. 292
XIV: 25. 37,78,80
XVII: 30. 317
—— : 31. 175
XVIII: 2. 292.
XXIV: 2. 194

LIBER I CHRONI-
CORUM.

IX: 16. 187

LIBER 2 CHRONI-
CORUM.

II: 11. 21
XI: 16. 336
XIV: 14. 310
XVIII: 1. 339
XXI: 16. 189
—— : 17. 310
XXV: 2. 189
XXXVIII: 17. 190
XXXIV: 12. 187

N E H E M I A.

XI: 17. 187

E S T H E R.

I: 10. 58
VI: 2. 335

J O B.

V: 14. Pag. 332
— : 17. 324
— : 23. 291
XV: 4. 302
XIIX: 13. 265
XIX: 17. 40
XX: 23. 216
XXXI: 3. 223
—— : 29. 266
XLII: 10. 285

P S A L M I.

II: 11. 251
XXII: 18. 222
—— : 24. 251
XXIII: 2. 289
XXVII: 8. 336
XXVII: 8. 345
—— : 32. 335
XXVIII. 40
XLVI: 5. 256
LIV: 9. 222
LXV: 13. 289
LXVIII: 38. 266
LXXVI: 3. 5
LXXVIII: 9. 253
———— : 67 et 68. 255
———— : 60. 244
LXXIX: 7. 289
LXXXIII: 13. 289
LXXXVII: 2.seqq. 255. seqq

LXXXVII:

LXXXVII: 5. Pag. 260
——— : 6. 261, 262
LXXXVII: 9. 8
LXXXXVIII: 8. 257
CIV: 34. 301
CXIX: 40. 308, 309, 310
—— : 78. 301
CXXII. 100
CXXIV. 100
CXXV: 7 183
CXXXVII. 124
——— : 7. 221

PROVERBIA.

IV: 25. 328
VIII: 22. 11
XII: 20. 43
XIV: 23. 275
XVII: 12. 333
XXI: 25. 227
XXIV: 26. 328
XXX: 25. 279

ECCLESIASTES.

I: 7. 309

CANTICUM.

I: 10. 288
VIII: 6. 347

JESAIA.

V: 17. 289
VIII: 9. Pag. 220
XIII. 135
—— : 13. 283
XVII: 6, 9. 270
XIX: 17. 210
XXI: 11. 204
XXII: 18. 355
XXIV: 23. 235
XXV: 1. 335
—— : 8 294
—— : 17, 18. 304
XXVI: 10. 328
—— : 19. 294
XXXVIII: 10, 13. 241
——— : 19 205
XXX: 10. 216
XXXII: 9. 300
—— : 22. 235
XXXIII: 3. 283
XXXV: 5. 202
XXXVI: 14. 210
XLIII: 4. 244
XLV. 181
—— : 19. 336
LI: 19. 311
—: 22, 23. 226
LVII: 2: 328
—— : 19. 275
LXIII: 1. 202
LXV: 10: 289
LXVI: 6. 205

JEREMIA.

II: 31. Pag. 183
VI: 3. 355
X: 10. 282
XV: 15. 21
—: 19. 58
XXII: 24. 347
XXV. 202, 226
—: 19. 225
XXVI: 21. 335
XXVII. 195
XXXVIII: 4. 291
XXXIV: 14. 286
———: 22. 291
XXXI: 25. 310
XXXII: 20. 242
XLVIII: 1. 220
———: 4. 245
XLIX. 190, 191
—: 1. 293
—: 7. 188, 203
—: 9, 10 213
—: 12. 225
LI: 5, 9. 195
—: 25. 292

THRENI.

II: 2. 368
III: 5. 216

EZECHIEL.

XX. 175
XXV. Pag. 203
XXVII: 19. 103
XVII: 27 et 29. 101, 102
XXXIII: 7. 282
XXXIII: 23. 280
XXXV. 188
———: 1. 220
XXXVIV: 11. 284

DANIEL.

XI: 14. 205

HOSEA.

III: 5. 335
IV: 18. 236
V: 2. 238
—: 8. 280
—: 11. 241
—: 13. 243
VI: 7. 243
VII: 10. 335
VIII: 1, 3, 5, 11. 244, 245, 246, 247.
IX: 6. 247
—: 8 et 15. 245
—: 12. 248
X: 1, 2. 249
—: 5. 250
—: 7. 251
—: 9. 253
—: 10. 262
XI: 3. 264
—: 4, 6, 8. 265

XI: 9, 10. Pag. 266, 267
XII: . 1 181, 267
XIII: 1. 273, 294
— : 8. 333
XIV: 5. 274

JOEL.

I en II. 276
I: 6. 279
II: 1. 280
—: 3. 281
—: 9, 10. 282
—: 22. 289
III. 283
IV: 5. 221
—: 17. 230

AMOS.

I: 1. 277, 287
—: 2. 289
—: 6. 290
—: 11. 203, 291
—: 13. 291
—: 14. 292
II: 1. 299
—: 2. 294
—: 13. 295
III: 10. 328
—: 12. 295
IV: 2. 298
—: 3. 299

IV: 9. Pag. 277
—: 13. 300
V: 6. 302
—: 18. 303
—: 26. 305
VI: 1. 306
—: 3. 307
—: 8. 308
—: 9, 10. 310
VII: 2, 4. 277, 311
—: 7. 10. 313
VIII: 8. 315
—: 14. 317
IX: 1, 7. 318, 319
—: 12. 321

OBADIA.

I. 187-235
—: 21. 321

JONA.

I: 2. 43
—: 4 83, 104
—: 7. 100
II: 1. 83
—: 3-11. 67, 97
—: 5-10 45, 46
IV: 1-4. 39, 51
—: 2. 40
—: 6, 7. 83, 85

MI.

MICHA.

II: 4. Pag. 184
VI: 8. 302

NAHUM.

II: 3. 309
III: 19. 352

HABAKUK.

I: 8. 245
- : 12. 294

ZEPHANIA.

I: 6. 335

HAGGAI.

I: 10. 215
II: 23. 347

ZACHARIA.

XII: 6. 231
XIV: 5. 277

SIRACH.

XLIX: 10. 86

LIBER I MACCAB.

I: 11. 179

LIBER II MACCAB.

IV: 7. 179

TOBIT.

XIV: 4. Pag. 86

MATTHAEUS.

I: 18. 358
II: 6. 358
— : 16. 274
III: 4. 359
V: 25. 291
VIII: 24. 63
— : 26 353
— : 28. 274
X: 17, 19, 21. 290, 291
XII. 48
— : 4. 87
— : 7, 8. 359
— : 39 42. 89, 91
XVI: 4. 87, 91
XVII: 21. 359
XVIII: 6. 274
— : 34. 291
XIX: 4. 359
— : 25. 274
XX: 23. 360
— : 30. 355
XXII : 4. 360
XXIV: 9, 10. 290
XXVI: 2, 15, 16. 290
— : 31. 361
XXVIII: 9. 338
— : 17. 361

MARCUS.

II: 26. Pag. 361
IV: 1, 4. 355
— 38. 63
V: 11. 28 48
— 23. 362
V: 20. 362
VII; 3. 363
VIII: 1. 364
IX: 29 }
X: 17 } 65
XI: 13 }
XIV: 72 366

LUCAS.

I: 78 }
II: 2 } 367
— 14 }
— 26 369
III: 25 }
VI: 38 } 370
VII: 44 }
VIII: 24 }
IX: 42 } 353
— 54 60
XI: 12. 370
— 29, 30. 91
— 52. 87
XII: 11. 371
XIII: 23. 31
XVIII: 7. }
XIX: 38. } 372
XXIV: 32. }

JOANNES.

VI: 8. Pag. 372
— 64, 71. 290
VII: 3 }
— 38 }
XII: 47 } 373
XIII: 20 }
— 34. 374
XIV: 2. }
XVI: 25, } 375
XVIII: 14,15 }
XIX: 11,14,35,39. 376
XX: 2. 377
— 17. 338
XXI: 20. 377

ACTA APOSTOLORUM.

I: 2. 377
— 4. 378
— 25. 379
II: 1, 5, 6, 9. 380
— 45. }
IV: 5, 19. } 381
V: 12. }
VI: 9. }
VII: 37 } 382
— 52. }
VIII: 3 } 291
— 37. 382
IX: 20. 383
X: 34, 35. 20
— 43. 383

XII:

XI: 12. XIII: 18. — 48. } 384
XIV: 26. 385
XV: 4. 386
— 17. 322
XVIII: 9, 10, 25, 27. XIX: 4. } 386
— 24. 305
XX: 4. 386
XXIII: 8, 15, 30. 387
XXIV: 4. XXV: 9. XXVI: 29. XXVII: 33. } 388

AD ROMANOS.

I: 17. 388
— 20, 29. IV: 17. V: 7. } 389
VII: 14. 390
VIII: 2. IX: 11. XII: 3. } 391
XIV: 21. XV: 15. XVI: 7. } 394

I. AAD. CORINTHIOS.

II: 4. 394.
III: 13. V: 4. V: 3. VI: 2. } 396
VII: 6. 397
VIII: 1 IX: 9 X: 2. XI: 10. } 398
XII: 31. XIII: 12. XIV: 7. XV: 7. } 401
— 45, 55. 402
XVI: 9, 15, 16. 403

II. AD. CORINTHIOS.

I: 17. II: 3, 16. } 403
III: 2. IV: 3, 4. V: 6, 9. } 404
— 10, 11. 405
VII: 10. VIII: 2. IX: 29. } 406

AD. GALATAS.

I: 1. II: 2. IV: 5. V: 17. VI: 4, 16. } 407

Ad EPHESEOS.

II: 1, 3.
— 15, 17.
III: 9. 409
IV: 14
— 21, 24.
V: 19. 410
— 26.
VI: 5. 411

Ad PHILIPPENSES.

I: 4. 411
— 11, 21, 27. 412, 413
II: 21.
III: 15, 17 414
IV: 16.

Ad COLOSSENSES.

I: 18, 19, 20. 415
II: 3, 14, 21, 22. ibid
— 23.
III. 16. 416

I. Ad THESSALONICENSES.

II: 13.
III: 13. 416
V: 5. 417

II. Ad THESSALONICENSES.

I: 10.
II: 4. 417
— 16, 17. 418

I. Ad TIMOTHEUM.

III: 11.
V: 16. 418
VI: 3.
— 19. 420

II. Ad TIMOTHEUM.

II: 2. 421
— 7, 8, 15. 422

Ad TITUM.

II: 15. 423

Ad PHILEMONEM.

I: 4, 5, 6. ibid

Ad HEBRAEOS.

I: 6. ibid
II: 9. 424

— 10. 425
— 15.
III: 1, 6, 7.
IX: 1. 426
— 2, 4. 447
— 9, 27.
X: 15, 27. 428
XI: 20.
XII: 21, 24. 429
XIII: 3, 9. 432

JACOBUS.

I: 11, 25.
II: 10, 18. 433
III: 1, 6. 434, 435
IV: 2. 436
— 6. 437
IV: 12, 15.
V: 3, 16. 438

I. PETRI.

I: 8. ibid
II: 21, 24.
III: 19. 439

II. PETRI.

I: 4, 10, 12.
II: 13.
III: 2, 3. 440
— 6, 12. 441

I. JOANNIS.

II: 2, 16.
III: 6.
IV: 2, 3, 10.
V: 2. ibid

JUDAS.

I: 9. 442

APOCALYPSIS.

III: 7. 443

VOCES HEBRAICAE, QUAE EXPLICANTUR.

אמר	Pag. 269	פרה	Pag. 275
ברך	11	קלל	351
גול	250	קשר	313
דמשק	295	דבר	289
חבל	101	רוח	182
חול	259, 265	וחם	41
חתם	347	רתת	273
חרד	339	שחט	239
טוב	245	שוב vel תוב	309
טול	83	שרח	301
יד	355	שטה	238
יסד	240	שלח	217
יכל et כול	313, 314	שלם	290
כהה	352	שתט	239
מכן	84	תגע	337
פרא	120		

IN-

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

Abrahamus potens Emir
——— Arabicus Pag. 3
——— num idololatriae labe infectus fuit, incertum est. 22
Aristides vocatus justus. 4
Bellorum Judaicorum ratio. 149
Bileamus. 122
Cadavera principum ludibrio non sunt habenda. 293
Clemens VI. 145
Danielis vaticinium vindicatur. 129
——— eius de Alexandri M. victoiris et imperio vaticinium. 127
Deus Altisſimus vulgagare nomen inter gentiles. 10
eius vestigia apud Phoenicios. 9
eius vera notitia inter Perſas et Chinens. 22
in Arabia filici conſervata. Pag. 23
Apud Graecos et Romanos. 24 ſeqq.
Episcopi Romani ab Hebr. Pontifice ſe adumbratos crescunt. 146
Haeretici a magiſtratu ſupplicio non afficiendi. 153
Hebraei desciverunt a regimine Theocratiae. 144
Hierarchia e prava V. Oeconomiae imitatione orta. 146
Hildebrandus, ſive Gregorius VII, ſupremum terrarum orbis ſe gesſit monarcham. 145
Idololatriae Origines. 21, 163
inter Israelitas cauſae. 168
Joannes XXII Papa,

ad suum tribunal vocavit Ludovicum Bavarum. 115
Jona, quando vixit. 37
3. eius historia. ibid.
4. quid docet. 40
1. indoles et agendi ratio. 56
2. Character vindicatur. 59
5. non est ad fabulae leges conscriptas. 64
6. est excerptum e maiori operi historico 97
Ismaelis posteritas est dilineata. 120
Locustae ad humas grassatrices regiones vastant. 281
—— instrumentorum aeneorum clangore tenantur ibid.
Moses propheta. 121
—— ante eum fuerunt prophetae ibid.
—— ceteri ex ipso non ut fonte hauserunt. 123
Mulieris nuptiae faciem obvelabant 327
Ninus sive Ninive. Pag. 37, 81
Oraculorum origo e recentiorum mente exponatur. 108
refutatur. 119
Paulus IIV. Papa. 145
Prophetarum series apud Hebraeos. 122
Regnum Dei inter Israelitas *Polito-Ecclesiasticum* erat. 140
—— in hoc magna fuit auctoritas Pontif. M. 141, 143
—— Christi indoles. 145
Religio Patriarcharum. 20
salva mansit. 34
reliquiae apud ceteros populos. 20, 21
vera semper eadem. 32
Rex sacrorum apud Romanos. 8
Salem eadem urbs quae Hierosolyma. 5
Vates Hebraeorum futura contingentia adnunciaverunt. 119
Victima humana. 174
Virgines apud veteres faciem non obvelabant. 327

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag.	4 Reg.	1	ערק	legatur	צרק.
—	—	13	θειοτάτὴν	—	θειοτάτην.
—	in not.	1	פרק	—	פרק.
—	—	5	indoes	—	indoles.
—	5 in not.	17	ſeba	—	Seba.
—	7 in not.	5	˙γεμονίας	—	ἡγεμονίας.
—	11 —	16	cum	—	eum.
—	—	19	קכה	—	קבה
—	—	24	ipſum	—	ipſam
—	13 —	9	precari.	—	precari,
—	—	23	clargitus	—	elargitus.
—	18 —	1	perſectis-ſimum	—	perfectis-ſimum.
—	—	30	potis-ſimum	—	potis ſimum.
—	20 —	14	Moſes	—	Moſen.
—	21 in not.	1	veteri	—	vetere
—	2 —	6	prae	—	piae
—	2 —	9	verum	—	rerum.
—	—	18	Dua	—	Duo.
—	28 in not.	11	Soecrates	—	Socrates.
—	29 —	9	reliqui	—	reliquiae

العنينت لي حناة legatur الحنينة الرحيهة

—	42 —	5	libertatis	—	liberalitatis
—	50 —	27	VI.	—	VII.
—	57 —	21	corum	—	coram.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag.	57	——	28	eoram	coram
——	59	——	8	philantiae	philantiae
——	69	——	2	potest.	potest,
——	71	——	14	actatem.	aetatem,
——	74	——	14	ſuo	ſuo
——	76	——	7	marinus;	marinus,
——	79	——	11	parabolam;	parabolam?
——	81	——	4	ſecundas	ſecundus.
——	84	——	4	menſurari	menſurare;
——	131	in not.	2	iuſerta	inſerta
——	185	——	19	Judicio	*iudicio.*
——	213	in not.	18	meum	mecum.
——	217	in not.	11	נבול	גבול
——	227	in not.	12	ἔθναι	ἔθνη
——	233	——	27	posſum	posſum.
——	243	——	26	VII	VI
——	329	in not.	16	domo	domum
——	360	——	1	eu	ſeu
——		in not.	10	discendendum	rescindendum
——	364	in not.	6	post ſect. 147 addantur haec: neque aliter magnus SCALIGER in *ſcaligeranis ſecund.* 473, et L. CAPELLUS in *ſpicilegio*, pag. 39, 40, locum intelligunt. Et cum Marci conſilium fuit tradere, Judaeos id omnino curasſe, ut nunquam illotis manibus cibum ſumerent, inepta prorſus videtur vulgaris interpretatio, e verſione ſyriaca originem ducens. Ceterum vs. 304,	

ut

ut docuit GRIESBACHIUS *Commentar. Crit. in Marc. Particul.* 4, pag. 1, parentheseos nota a re liqui sunt seperandii, quia vs. 5. exhibet apodosin ad vs. 2. Hinc patere arbitror et vs. 2. delendum esse, ἐμεμψαντο, et vs. 5. reponendum esse loco vulgaris textus lectionis κοιναῖς χερσὶ; haec sane erat usitata in Pharisaeorum scholis formula, quam Marcus vs. 2. interpretatus est. —— Quae iam sequuntur in textu sic constiutenda sunt: Liceat hac occasione ad hunc versum hoc adnotare.

——	371	in not.	15	οἶν	——	οὖν
——	378	——	4	VI	——	VII
——	378	——	4	inrerprete	——	interprete.
——	379	in not.	4	obstanr	——	obstant
——	381	in not.	3	quae	——	delendum.
——	385	in not.	8	heae	——	haec
——	——	in not.	10	Contrastare	——	contra stare
——	390	in not.	4	Koppio quae	——	Koppio. Quae
——	405	in not.	6	cum	——	tum
——	404	——		τά	——	τό
——	——	in not.	2	a conselio	——	consilio
——	417	in not.	4	hinc,	——	hinc
——	420	ad not.	I.	addantur haec cum WESSELINGIO facit LOESNERUS *observat. ad N. T. a Philone Alex.* pag. 405. seqq.		

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag.	432	in not.	1 XII.	——	XIII.
——	433	——	15 ſic.	——	ſic
——	435	——	18 faſiat	——	faciat
——	440	reg.	10 *i*:	——	I: 2.
——	441	——	23 *χειϛὸνι*	——	*χειϛὸν*
——	442	——	23 De ſignari	——	Deſignari

Reliqua operarum menda, quae oculis meis et aliorum ſe ſubduxere, ea velim pro humanitate ſua Lector benevolus emendet. Vitio typothetae factum est, ut primum Auctoris praefatio exhibeatur.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Verschuir, Johannes H.

Opuscula

Traiectum ad Rhenum 1810

Exeg. 1138 f
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10413081-6